BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
57 G 45

R. P. MARTINI DE ESPARZA
Artieda Societatis Ieſu.

QVAESTIONES DISPVTANDÆ DE ANGELIS

QVAESTIONES
DISPVTANDÆ
DE
ANGELIS

Auctore.

R.P. MARTINO DE ESPARZA
Artieda Societatis IESV.

Collegij Maronitarum
An 1693

ROMÆ,
Typis HH. Corbelletti. 1659.

Superiorum Permiſſu.

[illegible]

[illegible]

GOSVVINVS NICKEL Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis.

CVM Quæſtiones de Angelis P. Martini de Eſparza Artieda noſtræ ſocietatis ſacerdotis aliquot eiuſdem ſocietatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, poteſtatem facimus, vt typis mandentur, ſi ita iis, ad quos ſpectat, videbitur. Dat. Romæ 26. Iunii 1659.

Goſuuinus Nickel.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſſimo P. Magiſt. Sac. Pal. Apoſt.

M. A. Oddus Epiſc Hierap. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Ord. Prædic. Sac. Palat. Apoſt. Mag.

IN-

INDEX
Quæſtionum de Angelis.

QVæſt. 1. Vtrum ſint poſſibiles, & dentur de facto ſubſtantiæ creatæ puræ ſpirituales, & incorporeæ? pag. 1.
Q. 2. V. Angeli ſint compoſiti ex materia, & forma? p. 52
Q. 3. V. Angeli ſint incorruptibiles, ac indefectibiles ex ſua natura? pag. 61
Q. 4. V. Angeli ſint multiplicabiles ſecundum ſpeciem? pag. 76
Q. 5. V. Sint poſſibiles plures Angeli intra eandem ſpeciē infimam? pag. 97

Q. 6.

Q. 6. V. Dentur de facto plures Angeli eiuſdem ſpeciei? pag. 121
Q. 7. V. Angeli aſſumant corpora? pag. 127
Q. 8. V. Duratio Angeli ſit indiuiſibilis? pag. 140
Q. 9. V. Angelus ſit in loco? pag. 156
Q. 10. V. Angelus poſſit moueri, & tranſire de loco in locum, quin tranſeat per medium? pag. 175
Q. 11. V. Subſtantia ſpiritualis ſit ex conceptu ſuo intellectualis, & intelligens actu? pag. 184
Q. 12. V. Angeli intelligant per ſpecies ſibi ſuperadditas? pag. 198
Q. 13. V. Species Angelicæ ſint inæquales pro inæqualitate Angelorum. pag. 216
Q. 14.

Q. 14. V. Angelus cognoſcat naturaliter omnia intelligibilia ? pag. 226
Q. 15. V. Intellectus Angelicus ſit capax compoſitionis, & diuiſionis, diſcurſus,& falſitatis ? pag. 255
Q. 16. V. Angelus poſſit eadẽ obiecta cognoſcere mediatè & immediatè ? pag. 272
Q. 17. V. Subſtantia intellectiua ſit ex conceptu ſuo volitiua ? pag. 289
Q. 18. V. Intellectus, & voluntas Angeli ſint potentiæ diſtinctæ inter ſe, & ab eius ſubſtantia ? pag. 302
Q. 19. V. Angeli ſint præditi libero arbitrio ? pag. 324
Q. 20. V. Angelus naturaliter diligat alios Angelos, ſicut ſe ipſum, & Deum pluſquã ſe ipſum ? pag. 329

Q. 21.

Q. 21. V. Angeli loquantur inter ſe ſola voluntate reuelandi proprios conceptus? 344
Q. 22. V. Angeli fuerint creati in gratia? p. 363
Q. 23. V. Angeli meruerint ſuam beatitudinem? p. 381
Q. 24. V. Angeli conſecuti ſint gratiam, & gloriam inęquales, iuxta inæqualitatem naturæ? p. 397
Q. 25. V. Angeli ſint peccabiles? p. 411
Q. 26. V. Angeli potuerint peccare pro primo ſuæ exiſtentiæ inſtanri? p. 439
Q. 27. V. Primum peccatum Dæmonum fuerit ſuperbia? pag. 467
Q. 28. V. Gloria, & pœna Angelorum ſtatim poſt vnicũ actum meriti, & demeriti inductæ ſint, idque ex natu-
ra

ra ipſa rei propter immutabilitatem eorum? p. 497.
Q. 29. V. Dæmones verè crucientur igne inferni? p. 518
Q. 30. V. Detur aliquis ordo inter Dæmones. p. 538
Q. 31. V. Angeli, & dæmones poſſint aliquid agere circa corpora, præter motum localem? p. 544
Q. 32. V. Omnes homines ſubſint cuſtodiæ Angelorum, & impugnationi dęmonum? pag. 565
Q. 33. V. Angeli ſuperiores influant in inferiores, ſicut infimi influunt in homines? pag. 584

De his quęſtionibus agunt Theologi, cum Mag. in 2. à diſt. 2. Et cum D. Th. 1. p. à q. 50. vbi eorũ citationes ſubintelligentur.

QVAE-

QVAESTIONES DISPVTANDAE De Angelis.

QVAESTIO I.

Vtrum ſint poſſibiles, & dentur de facto ſubſtantiæ creatæ purè ſpirituales, & incorporeæ?

VIDENTVR non dari de facto, nec eſſe poſſibiles. 1. Quia homo, inter omnia creata, eſt antonomaſticè imago, & ſimilitudo Dei, iuxta illud Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam;* Si autem darentur Angeli, ipſi potiſſimum eſſent imago, & ſimilitudo Dei, vtpote perfectiores, ac propinquiores Deo.

2. In eodem loco Geneſis enumerátur ſingillatim, quæ Deus creauit initio. Et quod nullum genus operum enumerandum vlterius ſupereſſet, apparet ex illa totius enumerationis clauſula, quæ

ſubiungitur in fine capitis: *Viditque Deus cunctaque fecerat, & erant valde bona.* Et clarius initio capitis ſequentis: *Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat. Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum: Quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit, vt faceret.* In illa autem enumeratione non exprimuntur Angeli, nec fit vlla de ipſis mentio. Ergo Angeli non continentur inter opera Dei.

3. Subſtantiæ purè ſpirituales, & incorporeæ non pertinent ad perfectioné, & complementum vniuerſi. Quia, quæ ad illud pertinent, poſſunt ab homine naturaliter cognoſci cognitione certa, ac euidenti; Quandoquidem ita cognoſcere poteſt (vti ponderatum eſt quæſt. 2. de Deo art. 24.) hoc vniuerſum auctoré habere Deum, cuius perfecta ſunt opera, & à quo nihil imperfectum, ac incompletum eſſe poteſt. Subſtantiæ verò purè ſpirituales, & incorporeæ non poſsunt ab homine naturaliter cognoſci certò. Quia homo nihil certo cognoſcere poteſt naturaliter, niſi mediante ſenſu atque ſenſibilia, cum non ſint cauſæ, neque effectus ſubſtantiarum purè ſpiritualium inferiorum Deo, nullá præcontinét in ſe participationem perfectionis propriæ, ac peculiaris ipſarum, ideoque manuducere naturaliter nequaquam poſſunt

ſunt ad earum cognitionem, ſaltem certam, ac euidentem. Quæ autem non pertinent ad perfectionem, & complementum vniuerſitatis rerum creatarum, non dantur de facto. Alioquin Deus feciſſet, quod fieri ab eo non poteſt, cumulum effectuum diſſonum, ac monſtruoſum, vt potè nulla mutuæ perfectionis, ac perfectibilitatis habitudine, & nexu colligatum vniuerſaliter, & continentem in ſe aliquid redundans atque ſuperfluum, qualis eſt manus ſex digitorũ. Ergo ſubſtantiæ creatæ purè ſpirituales, & incorporeæ nullæ dantur de facto.

4. *Omnis creatura certis ſua natura circumſcripta eſt limitibus* vt dicit Ambr. t. 4. lib. 1. de Spir. Sanc. cap. 7. initio Omne autem, quod circumſcribitur, eſt corporeum; cum poſſe circumſcribi ſit proprietas omnis, & ſolius corporis. Id quod expreſſit clarius Elias in orat. 1. Nazianz. *S. nihil enim niſi ſolus Deus*, ait, *circumſcriptionis expers eſt, quia ſolus propriè corpore vacat Circumſcripti autem Angeli, quia nec incorporei, propriè ſunt, etiamſi noſtri reſpectu incorporei dicantur.* Eamdem Angelorum circumſcriptionem, & corporeitatem tradunt non ſemel Orig. Baſil. Auguſt. Bernard. & alij apud Suarez, lib. 1. cap. 6. initio. Ergo Angeli ſunt corporei.

5. Intellectus humanus eſt omnia fieri, & eſt quodammodo omnia, vt di-

cit Phyloſophus. Vnde ita ſe habent omnia ad eſſe ſicut ſe habent ad intelligi, & quæ ex ſua natura non cadunt in intellectum, ſeu quibus intellectus ex ſua natura aſſentiri nullatenus poteſt, quod ſolum prouenit ex implicatione terminorum, eo ipſo repugnat, vt ſint, ſuntque chymerica, & repugnantia ex terminis. Repugnat autem, vt aliquid intelligatur intellectu humano independenter à corpore, cum intellectus humanus in omni actu ſuo dependeat à ſenſu, & ſenſibili Repugnat igitur, vt aliquid ſit independenter à corpore, ac proinde omnia poſſibilia fieri ſunt corporea, vel dependentia à corpore, ideoque corporalia.

6. Omnes effectus. qui communiter attribuuntur Angelis, & ex quibus exiſtentia eorum communiter arguitur, habent alias cauſas ſufficientes ex ſe. Quia motus Cœlorum, ex quo arguit Philoſophus. & poſt ipſum plerique alij prouenit ab ipſis Cœlis in genere cauſæ efficientis, & materialis vt moderni Aſtronomi manifeſtiſſimis indicijs efficaciſſimè perſuadent,

Similiter opera arreptitiorum, necnon magorum, & incantatorum, quæ humanas omniumque aliarum cauſarum corporalium vires ſuperant manifeſtiſſimè, & ad quæ propterea recurrunt Vaſquez, & nonnulli alij, profectò non ſuperant vires animarum ſeparatarum.

Quæ

Quæ videlicet, & linguas norunt omnes, & actiua paſſiuis omnia applicare pro libito congruenter poſſunt, vt potè dominante, corporibus propter exceſſum perfectionis, quo ea longè ſuperant. Quid quòd Philoſophus eoſdem illos effectus attribuit humoribus melancholicis eorumque prædominio reſpectu hominum, in quibus talia deprehenduntur. Nihil igitur ſupereſt, ex quo Angelorum exiſtentia, quam patet, non innoteſcere nobis immediate, efficaciter colligatur mediatè.

7. Quodlibet incorporeum præeminet cuilibet corporeo. Nihil autem eſt inter omnia creata, quod præemineat homini, qui vtique eſt corporeus. Quod patet ex Auguſtino dicente cap. 34. de quantitate animæ initio. *Quemadmodum fatendum eſt, animam humanam non eſſe quod Deus eſt; ita præſumendum nihil inter omnia, quæ creauit Deo eſſe propinquius*. Similia tradit lib. 3. de lib. arb. cap. 11. lib. 83. quæſt. 54. & lib. 3. contra Max. cap. 25. Idem diſertè aſſerit Bernard. lib. 5. de conſiderat. cap. 3. nihil igitur creatum eſt prorſus incorporeum.

8. Siquæ eſſent ſubſtantiæ penitus incorporeæ tales certiſſimè eſſent ſoli Angeli. Angeli autem non ſunt penitus incorporei. Quia illud Gen. 6. 2. *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores*; videtur intelligendum

dum de Angelis, maximè reponentibu 70. *Angeli* Dei, vbi dicitur; *filij Dei.* Manifeſtum verò eſt vxores accipi non potuiſſe à ſubſtantijs penitus incorporeis, multoque minus ex ea coniunctione naſci potuiſſe Gigantes, vt idem mox perhibetur. Accedit Ioannem Theſſaloniceuſem relatum in 1. Synodo dixiſſe Angelos pingi poſſe, quia ſunt corporei, atque Patres concilij amplexos deinde fuiſſe ſententiam eius. Nullæ igitur dantur ſubſtantiæ penitus incorporeæ.

9 Ad complementum, & perfectionem vniuerſi pertinet, vt dentur ſubſtantiæ ex vna parte intelligentes independenter à ſenſu, minimèque ſentientes, & ideo homines ſuperiores; ſimulque ex alia parte habentes potentiam loco motiuam ac progreſſiuam, & ideò præditæ corpore. Subſtantiæ autem ſuperiores homine, ſunt ſoli Angeli, atque Angelis nihil eſt ſuperius infra Deum. Nullæ igitur dantur ſubſtantiæ creatæ expertes corporis. Aſſumptum ſuadet Caietanus, circa illud ad Epheſ. 2. 2. *Secundum Principem poteſtatis aëris huius ſpiritus*, hac ratione. Ad complementum, & perfectionem vniuerſi ſpectat, vt detur vegetatiuum ſine ſenſu, & ſenſituum ſine motu locali proprio, & ſenſitiuum ſe mouens ſine ratione, & ſenſitiuum ſe mouens cum ratione. Ergo ſimiliter ſpectat ad complementum, & perfectionem vni-

vniuerſi, vt detur intellectiuum, ſe mouens localiter, ac progreſſiuè ſine ſenſu. 10. Rationes à priori ex perfecta ſimilitudine Dei in rebus creatis, & ex neceſsitate perfectionis in omni genere ad totale vniuerſi complementum, quæ communiter adducuntur pro exiſtentia Angelorum, æqualem habent vim ad probandum, neceſſe eſſe ex natura rei vt detur omnes ſpecies rerũ abſolutè, & ſimpliciter poſſibiles; ac proinde, vt detur vnio hypoſtatica, & viſio Dei aliaque dona ſupernaturalia, necnon ſubſtantia purè creata intrinſecè impeccabilis, ſancta, & beata, ſi ea eſt abſolutè poſsibilis. Hoc autem eſt manifeſtè abſurdum, minimeque ferendum in Theologia. Ergo & id vndè ſequitur.

Art. 1. Reſpondetur. Multa ſunt, quæ Angelorum exiſtentiam efficaciter perſuadent, & ad aſſenſum eius fortiter impellunt. Sed ſunt pauci, qui efficaciam eorum agnoſcere valeant, velintque cedere fortitudini. Nempè homo, & arduus intellectu, & ſenſu repens, ad ſubſtantias ſibi, quà maximè præſtat, affines, ac propitias multiſque indicijs manifeſtas, magno fertur pondere. At indidem vi reuocat haud quaquam minori ſenſus, vmbratum & nullitatis, ac fictionis incuſans, quæcumque carent corpore, quod ipſi eſt limes, & nulla menſura realitatis, ac veræ entitatis. Ex iſto mu-

tuo intellectus multa cogitantis. & ſenſus illum deprimentis conflictu ſuborti ſunt in primis apud gentiles tot illi Dij, Deæque penetrabilitate, agilitate, fortitudine, futurorum contingentium certa, ac immediata prænotione ſupra conditionem corporum euecti, quo parti intellectuali hominis ſatisfieret; ſimulque vilitati corporum, nihilominus obnoxij, propter cibum, & potum diſcrimina ſexuum, concubitus, paſsiones, & multiplicem earum effectum, quibus admiſſis & non aliter, ſtulta ſenſuum perſuaſio ſublimiora illa facilè permitteret;

Art. 2. Et quidem gentiles volentes in vna, eademque re conſtituere indiuiſim limites potentiarum inuicem diſparium, nec intra eamdem ſpheram contentarum atque confundentes ſupremum intelligibile cum ſupremo ſenſibili, perabſurdè confinxere eiuſmodi prædicatorum inuicem pugnantiū identificatas combinationes, & neutri potentiæ aſsignauere obiectum adæquatum ſibi congruens, dum vtrique indulgent ex æquo; nec ſeruitutem reſpectu ſenſus totaliter profeſsi, nec ſpiritualem intellectus amplitudinem, ac libertatem perfectè ſecuti. At Sadducæi nihil aſſurgentes ſupra ſenſum, eique penitus ſuccumbentes, nihil eſſe dixerunt nihilque eſſe poſſe præter corpora, omnia que putauerunt eſſe chymærica, quæ corporea, purèque corporea non eſſent, iuxta illud

illud Actorum 23, 8. *Sadducæi dicunt non eſſe reſurrectionem neque Angelum, neque Spiritum*. Platonici è conuerſo vſque adeo intellectui adhæſere, vt modis intelligendi noſtris omnes rerum eſſendi modos conformari; iiſdemque eoſdem penitus metiri voluerint. Vnde quia intellectus à corporibus in ſe indiuiduis abſtrahit rationes communes, cum præciſione ab hic, & nunc contrahibiles per indiuidua, poſuerunt ſubſtantias ſeparatas eſſe ſpecies exemplares corporum ex quarum participatione corpora ſubſiſtant omnia, vti refert D. Tho. quæſt. 50. Art. 3. initio. ex philoſopho fuſius id exponente 1. metaph. à tex. 6. Eadem diuerſitas apparentiæ rerum ex ſenſu, & intellectu peperit ſimiliter multiplices, & inter ſe diſcordes opinandi modos circa proprietates, & operationes Angelorum non ſolum mirabili vbertate apud Theologos ſcholaſticos, ſed etiam ex parte apud Sanctos PP. aliis pleraque omnia trahentibus ad conditionem corporum, & apparentiam ſenſus, aliis nimium, vel non ſatis, idque diſpariter indidem recedentibus; vt non pauca, nec paucorum aſſerta circa Angelos videri, ac meritò dici poſſint reliquiæ, vel Sadducæorum, vel Platonicorum.

Art. 3. Medium veritatis iter felicites præcæteris tenuere, idemque poſteris circumquaque commonſtrant illuſtrius

Diuus in primis Dionyſius, & deinde D. Thomas, præcelſo vterque illimi, ac Angelico ingenio præditi, atque diuinitus illuſtrati circa iſtam ſpecialiter partem Thologiæ. Cuius obiectum eſt imperium ſenſibus, ſicut Deus, nec apparet ex vllis ſuis ſenſibilibus effectibus, quibus impertierit participationem ſui, atqne impreſſerit ſimilitudinem, ſicut impertitus eſt, atque impreſsit Deus reſpectu ſui. Et tamen ſublimes duæ illæ mentes de eo egere melius etiam maiorique cum compræhenſione, & quaſi dominio, quam agant plerique alij de ijs, quæ, & cernimus oculis, & tangimus manibus. Quapropter pręcipuum in omnibus hiſce quæſtionibus ſtudium noſtrum erit, vt documenta Dionyſij potiſsimum & poſt ipſum D. Thomæ, & eruamus diligenter & religioſè obſeruemus. Præferemus verò vbique de more, ſed cum obſeruatione magis accurata, ſi quid ex ſacris litteris, & Concilijs, vel manifeſtè innotuerit, vel latenter tranſparuerit, vt certitudine, & illuſtratione, ac manuductione diuinæ reuelationis dirigatur, fulciatur ac promoueatur ſpecialis in hac materia debilitas, & fluctuatio rationis humanæ.

Art. 4 Præferendum itaque initio eſt dari ſubſtantias creatas, ideoque inferiores Deo; quæ ſimul ſint homine ſuperiores, atque intrinſecè perfectiores. Notum namque primò eſt, vt apparebit

ex

ex pluribus teſtimonijs indicandis in progreſſu, dari ſubſtantias creatas, quæ cómuniter dicuntur Angeli, id eſt miſsi ſeu nuncij, nomine officij notioris tranſlato ad ſignificationé naturæ minus notæ, vt liquet inter alios PP. ex Ambr. in cap. 1. Epiſt. ad Hebr. v. 7. circa illud ex Pſal. 103. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus.* Idem frequenter traditur ab interpretibus circa illud eiuſdem capitis, fine: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis?* Ex quo teſtimonio innoteſcit præterea, quod in progreſſu manifeſtabitur magis, nomen Angelorum, ita ex officio accommodari de facto naturæ iſtarum ſubſtantiarum, vt non ſit ex ſe alienum ab eadem ipſarum natura ſecundum ſe. Quia nimirum eiuſmodi ſubſtantię ex natura ſua hoc habent intrinſecè ac determinatè, vt ſint adminiſtratorij ſpiritus, vtque mittantur, & nuncient. Vnde non eo omnino modo dicuntur Angeli ſeu miſsi, & nuncij, ſicut homo dicitur miles, quod eſt exemplum Ambroſij, ſed tantùm cum proportione quadam analogica.

Art. 5. Certum ruſſus eſt Angelos eſſe homine ſuperiores, ac perfectiores ſubſtantialiter. Quia Pſ. 8. præmiſſa admiratione v. 5. *Quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum?* Immediatè ſubiungitur v. 5. *Minuiſti eum*

paulo minus ab Angelis, gloria, & hono re co-ronaſti eum. Vbi non dubium eſt quin in priori parte iuxta ſenſum litteralem, cõponatur homo cum Angelis, eiſdemque poſtponatur quoad naturam, & perfectionem ſubſtantialem; ſicut in poſteriori parte extollitur abſolutè quoad dona gratiæ. Tametſi enim in Hebræo, loco Angelorum ponatur Deus, ſeu Dij, ſenſus tamen eodem proculdubio redit: tum quia Angeli, ſicut, & homines iuſti, necnon Principes ſupremi nonnunquam vocantur Dij in Scriptura: tum quia 70. & Vulgata voci Hebrææ ſubſtituunt Angelos tanquam quid æquiualens, ac ſynonymum: tum quia non paulò, ſed infinitè minoratus eſt homo à Deo Optimo Maximo, atque à ſolis Angelis paulò minus minoratus dici poteſt: tum denique quia Apoſtolus ad Hebr. 2. 7. accommodans Chriſto patienti prædictum Pſalmi locum, vtpotè pertinentem ad ipſum, iuxta ſenſum allegoricum, vt notant ibi Bellarminus, & alij, ponit ſimiliter Angelos & non Deum, dicens: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*. Certum igitur eſt Angelicam naturã naturæ humanæ præeminere.

Art. 6. Accedit, Apoſtolum toto c. 1. eiuſdem Epiſtolæ quater cũ Angelis conferre Chriſtum Dominum, vt oſtendat dignitatem eius, & excellentiam ſuper omnia purè creata, vtque concludat ad-

uer-

uerſus incredulitatem Hebræorum contemptricem Chriſti, & crucis, ac doctrinæ eius, ſicuti concludit initio capitls ſecundi his verbis; *Propterea abundantius oportet obſeruare nos ea, quæ audiuimus; ne forte pereſiuamus. Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis præuaricatio, & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?* Fuiſſet autem in idonea ea comparatio pro ſcopo propoſito, & concluſio inefficax, ac eneruis, ſi Angeli non tenerent primum locū inter omnia purè creata, vt per ſe patet. Certè ſi homines eſſent Angelis ſuperiores, eiſdemuè pares; cum ipſis potiſſimū facienda fuiſſet comparatio, vt ex notiſſimis duceretur argumentum eoque ad inſtruendum, ac permouendum euaderet efficacius. Qua eadem profectò de cauſa aſſumpſit Apoſtolus circa Angelos, quę erant, & præ cæteris illuſtria, & apud Hebræos notiſſima; Primum negatiuè v. 5. *Cui enim dixit aliquando Angelorum? filius meus es tu &c.* Deindè poſitiuè eligẽdo teſtimonia maximè honorifica reſpectu Angelorum, eaque conferendo cum alijs auguſtioribus circa Chriſtum Dominum teſtimonijs; idque nullo, aut loco, aut auctore determinatè indicato. quia erant ex celebrioribus, ac notiſſimis apud Hebræos, vt obſeruat ibi D. Thomas, nec non alij frequenter ad illud capi-

pitis 2. 6. *Teſtatus eſt autem in quodam loco quis*. Supponit ergo ſimiliter Apoſtolus tanquam notiſſimum Angelos præeminere rebus omnibus alijs pure creatis, atque adeo, & homini quoad perfectionem ſubſtantialem naturæ.

Art. 7. Idem docet ex profeſſo,& exponit luculenter Dion. cap. 4. de Diuin: nom. & ex eo D. Tho. quæſt. 75. art. 7. & quæſt. 93. art. 3. quibus vnanimi conſenſu ſuffragantur cæteri, tum SS. PP. tum Theologi ſcholaſtici. Confirmatur ex 2. Petri 2. Vbi malis Angelis, quibus ſola relicta eſt perfectio naturæ ipſorum propria, tribuitur poteſtas, & virtus maior poteſtate, & virtute hominis. Similiter cap. 41. Iob, multis præmiſſis mirabilibus de fortitudine, virtute, ac poteſtate Satanæ concluditur in fine. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, vt nullum timeret*, vtique ſuper terram ſuper quam eſt homo. Angelica igitur natura, eſt humana intrinſecè, ac ſubſtantialiter ſuperior.

Art. 8. Subſtantia autem homine ſuperior nequit eſſe corporalis, quia homo præeminet inter omnes ſubſtantias corporales. Anima namque hominis, penes quam penſatur eius perfectio, minimam omnium habet dependentiam à corpore, quandoquidem eſt capax ex ſua natura, vt ſuperſit, conſerueturque ſeparata à corpore, nec ei vnitur naturaliter, niſi

ad

ad breuiſsimum tempus, atque dum vnita manet, præcipuas ſuas intelligendi, & volendi operationes exercet independẽter ab organo corporeo, vt dictum eſt in qq. de anima. Quæ quidem eſt minima omnium, quæ cogitari poſſunt dependentia à corpore. Neceſſe igitur eſt vt forma maioris aliquatenus perfectionis, quam ſit anima humana, qualis vtique forma eſt ſubſtantia Angelicà. à qua videlicet paulò minus diminutus eſt homo. vt dictum eſt: Neceſſe inquam eſt, vt talis forma ſit penitus independens à corpore, atque omnino incorporea, puruſque ſpiritus. Dantur igitur ſubſtantiæ purè ſpirituales, & incorporeæ, quas dicimus Angelos.

Art. 9. Pluribus in locis ſuffragantur aperte huic veritati ſacræ litteræ, dum Angelos dicunt ſpiritus: Spiritus enim, & ſpirituale iuxta proprium, ac germanum ſenſum ſignificant genus rerum oppoſitum corpori, & corporali; atque verba Scripturæ accipienda ſunt in ſenſu proprio, ac germano, nec ſunt ad metaphoras traducenda, iuxta celebre Auguſtini documentum, dum neque contextus, nec teſtimonium aliud clarius eiuſdem ſcripturæ, neque ratio aliqua manifeſta ad id omnino cogunt. Cuiuſmodi certè nihil adeſt circa ſequentia teſtimonia 1 ad Hebr. fine, *Nonne omnes ſunt administratorij ſpiritus?* Act. 8. 29. *Dixit autem*

tem Spiritus *Philippo* Et rurſus v.39.*Cũ autẽ aſcendiſſent de aqua, ſpiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum eunuchus.* Apoc. 14. Septem Eccleſijs, quæ ſunt in Aſia, ſalutem dicit Ioannes his verbis: *Gratia vobis, & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt.* Et cap.5.6. præmiſsis figuris ſymbolicis ſeptem Angelorum, ſubijcitur immediatè: *Qui ſunt ſeptem Spiritus Dei miſſi in omnem terram.* Sed & malis Angelis (quibus profecto nulla inſunt dona gloriæ valentia reddere corpus quodammodo ſpiritale, iuxta illud 1. ad Corinth. 15. 44. *Surget corpus ſpiritale*) tribuitur eodem modo ratio ſpiritus tum alibi ſæpè tum maximè Matthei 8. 16. *Eijciebat ſpiritus verbo* Et cap 10. 1. *Dedit illis poteſtatẽ ſpirituum immundorum, vt eijcerent eos.* Lucæ 10.20. *Spiritus vobis ſubijciuntur.* Et cap. 11. 24. *Cum immundus ſpiritus exierit de homine perambulat &c. Et aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe.* Cum igitur *ſpiritus*, vt dicit Chriſtus Lucæ 24. 39. *carnem, & oſſa non habeat*; id eſt ſit corporis expers; atque ad excludendam corporeitatem tribuatur ratio ſpiritus, tum Deo, qui eſt remotiſsimus à corporis imperfectione, vt apparet inter alia ex Ioan. 4. 24. *Spiritus eſt Deus*, tum animæ humanæ, quæ & ipſa eſt ſecundum ſe incorporea, licet ſit vnibilis corpori, Iacobi 2. 26 *Sicut enim*

corpus

corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, & alibi frequenter & inſuper in loco Actorum indicat ſupra art. 2. ad exprimendum errorem Sadducæorum nihil agnoſcentium præter corpora, dicatur, ipſos negare reſurrectionem, Angelum, & ſpiritum. Cum inquam hæc ita ſe habeant, dubitari minimè poteſt, quin Angeli, qui toties dicuntur ſpiritus, ſint prorſus incorporei.

Art. 10. Magna vi hoc ipſum perſuadet Conc. Later. ſub Innoc. 3. Quia capite 1. quod continet profeſsionem fidei, Deus Trinus, & Vnus dicitur, *Creator omnium inuiſibilium, & viſibilium, ſpiritualium, & corporalium*. Et deinde ſubiungitur immediatè: *Qui ſua omnipotenti virtute ſimul abinitio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem: Angelicam videlicet, & mundanam ac deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam*, Quibus nihil clarius, aut efficacius pro re propoſita dici potuiſſe videtur. Quia creaturam ſpiritualem, & Angelicam contraponit corporali, ac mundanæ, tanquam ab ea omninò diuerſam. Et ne ſupereſſe poſſet dubitatio de pura prioris extremi ſpiritualitate, ac incorporeitate, comparat ſubinde vtrumque extremum, cum natura humana, eamque dicit vtrique quaſi communem, quatenus conſtituta eſt ex ſpiritu, quo conuenit cum ſpirituali, &

An-

Angelica creatura, & ex corpore, quæ ſimiliter conuenit cum creatura corporali, & mundana. Manifeſtè igitur profitetur Concilium Deum auctorem, & ex nihilo conditorem triplicis differentiæ rerum, purè ſpiritualium purè corporalium, & ex ſpiritu, & corpore conſtantis.

Art. 11. Cenſent nihilominus Carranza in annotationibus, Canus lib. 5. de locis cap. 5. Sixtus Senenſ. lib. 5. bibl. annot. 8. nec non Valentia, & nonnulli alij in præſenti, nullam inde certitudinem huius rei haberi poſſe. Nempè Concilium nihil de hoc puncto definire, aut tanquã dogma fidei profiteri voluiſſe; ſed vnicè intentum ex profeſſo ad articulum Dei, vt auctoris rerum omnium creatarum, cætera obiter adiunxiſſe maioris claritatis gratia iuxta ſenſum magis communem Doctorum. Quo pacto in Concilijs, non paucis reperiuntur plura, articulis ac definitionibus fidei interiecta, quæ non propterea cenſentur, aut ſunt re ipſa de fide, vt potè accidentaliter, ac purè materialiter ſe habentia ad ſcopum Conciliorum præcipuum. Id quod in genere eſt inconfeſſo apud omnes, nec in re præſenti adeſt vlla ratio ſpecialis, quæ vetet, quominus idem abſque abſurditate dicatur.

Art. 12. Verum reſponſio iſta, vt poſſit videri probabilis relatè ad priora iſta

ver-

:rba Concilij: *Creatur viſibilium, & in-ſibilium; ſpiritualium, & corporaliū*, qua-:nus hæc illorum extremorum in obli-io poſitorum diſtinctio poteſt cenſeri on intenta ratione ſui, ſed accidentali-:r tantum ſuperaddita ad clariorem, ac ommodiorem declarationem, ac per-eptionem ſui recti: Relatè tamen ad oſteriorem integram propoſitionem: *Qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio, &c.* Non video, qua ratione ſubſiſtere oſsit, aut tolerari eadem interpretatio. Quia independenter ab iſta propoſitione rat iam per priora verba, ſufficienter de-laratus articulus creationis rerum om-ium. Vndè apparet eam propoſitionem peradditam, ac intentam fuiſſe ratione i, ad exponendam, ac determinandam iſtinctionem, & naturam rerum ipſarū reatarum, cuius notitia eſt neceſſaria, m ad excludendum errorem Saddu-æorum, aliorumque ſternentium ſibi iam ad negandam exiſtentiam Dei ne-ata exiſtētia creaturarum pure ſpiritua-um, tum ad legitimam intelligentiam lurium illorum de ſpiritibus locorum ſa-ræ Scripturæ. Profectò cum reliquæ mnes propoſitiones Concilij, & priores poſteriores contineant ſingulæ ſingu-s articulos fidei ex indubitata omnium onfeſſione; nec poſſent negari abſque æreſi, tametſi ex nullo alio teſtimonio onſtaret de certitudine ipſarum; atque

hæc

hæc ipſa propoſitio, de qua agitur, contineat conſtitutionem hominis ex ſpiritu & corpore, quæ eſt ſimiliter de fide; nec dubitari poſſit, quin intentio Concilij fuerit, illam profiteri, ac ſtatuere tanquam dogma fidei, irrationabiliter omnino eximitur eadem propoſitio quoad priorem partem, per voluntariam abſque ſpeciali fundamento exceptionem a vera, ac propria profeſſione, & definitione fidei Catholicæ.

Art. 13. Non tamen ob hæc auſim aſſirmare, aſſertam Angelorum puram ſpiritualitaté, & incorporeitatem eſſe certò de fide: tum propter auctores indicatos id negantes: tum maximè, quia D. Thomas, qui fuit prædicto Concilio pluribus annis poſterior, dicit quæſt. 16. de malo Art. 1. initio, ex Auguſtino lib. 21. de Ciu. cap. 10. *Non multum referre ad fidei chriſtianæ doctrinam, ſiue dæmones habeant corpora ſibi naturaliter vnita, ſiue non habeãt:* atque inibi in reſponſione ad 1. in contrarium, addit, fore, vt dæmones poſſent dici abſolutè ſpiritus, tametſi haberent corpora ſibi naturaliter vnita. Quia videlicet non ſubderentur corporibus, ſicut nos, ſed magis ea haberent ſibi ſubiecta, vt tradit Auguſtinus, ideoque præualente ratione ſpiritus, dici poſſent abſolutè ſpiritus; tametſi homines ob contrariam rationem ſpiritus dici non poſſint. Ex quo patet aditus ad interpreta-

tio-

tionem teſtimoniorum Scripturæ, quę ſuperius ponderata ſunt, quoad Angelos etiam bonos. Vt vt autem hæc habeant, res eſt iam plena temeritatis, ne quid dicatur ſeuerius, negare puram Angelorum ſpiritualitatem, & incorporeitatem conſentientibus iam in eam Doctoribus catholicis vniuerſis poſt Mag. diſt 8. & D. Thomam quæſt. 50. art 1. cum magno fundamento in doctrina reuelata, vt apparuit ſuperius, & conformiter ad expreſſam, & ſæpe, ac multiplicite repetitam doctrinam Dionyſij cap. 4. de diui. nom. & cap 1. ac 2. de cæleſti Hierar.

Art. 14. Duæ ſunt præcipue rationes naturales, quæ in idem tandem incidunt re ipſa, quibus D. Thomas in illo art. 1. & lib. 2. contra gent. cap. 46. & alibi, atque alij communiter auctores probant exiſtentiam Angelorum, ſeu ſubſtantiarũ purè ſpiritualium, ac intellectualium, atque ſuppoſita creatione aliquarum rerum neceſſe fuiſſe ex natura rei, vt eiuſmodi ſubſtantiæ crearentur. Altera ratio petitur ex intentione Dei in condendo vniuerſo; altera ex perfectione intrinſeca eiuſdem vniuerſi. Intentio Dei condentis vniuerſum tendit ad producendam perfectam ſimilitudinem ſui. Quia omne agens intendit propagare ſe ipſum imprimendo effectibus ſuis, atque in eis exprimendo ſimilitudinem ſui, quantum poteſt. Similitudo autem effectus cum

cauſa

cauſa attenditur penes id, per quod eadem cauſa operatur, & in quo perfectio eius cauſatiua principaliter conſiſtit. Cũ igitur Deus operetur per intellectum, & voluntatem atque in ijs perfectio eius cauſatiua principaliter conſiſtat, vt liquet ex dictis quæſt. 26. de Deo, necnon quæſt. 36. ad 3. patet in toto vniuerſo, quod eſt effectus Dei adæquatè ſumptus deeſſe minimè poſſe ſubſtantias perfectè intellectuales, ac volitiuas, atque iſtius modi ſubſtantiarum exiſtentiam intendiſſe principaliter Deum in creatione vniuerſi. Subſtantiæ autem imperfectæ intellectuales, ac volitiuæ neceſſariò ſunt penitus incorporeæ. Quia intellectus, & voluntas exercent ſuas operationes independenter ab organo corporeo, & dependentia intellectus à phantaſia; eiuſdémque intellectus coniungibilitas naturalis cum corpore eſt argumentum, & cauſa imperfectionis in opere intelligendi, iuxta illud Sap. 9. 15. *Corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Quod licet directè referatur ad ſtatum hominis, corporiſque humani quatenus deprauati, ac depreſſi per peccatum originale; indirectè tamen oſtendit, maximopere impediri intellectualitatis præſtantiam ex coniunctione cum corpore, nondum glorioſo. Quia ratione peccati originalis non eſt inducta penitus de nouo, ſed ſolum

lum creuit vsi impeditiua, ac retardatiua, ſeu depreſſiua intellectualitatis, quæ vis naturaliter ineſt corpori, reſpectu formæ intrinſecè ordinatę ad ſuum complementum ſubſtantiale. Quod nimirum efficit ex natura rei, ne veritates vniuerſales neceſſariæ ac æternæ, ideſt præſtantiſſimæ omnium intelligi poſſint, niſi obnubilatæ, ac infeliciter tráſformatæ vmbris, ac ænigmatis rerum ſingulariú contingentium, ac corporalium. Neceſſe igitur eſt ex natura ipſa rerum, intentioniſque diuinæ volentis creare, & educere aliquid extra ſe, vt dentur ſubſtantiæ intellectuales purè ſpirituales, atque omnino incorporeæ, in quibus reluceat perfecta, quoad fieri poteſt, ſimilitudo cum Deo, quoad intellectum, & voluntatem.

Art. 15. Altera ratio, ſeu modus alter arguendi pro exiſtentia Angelorum, ex perfectione vniuerſi eſt manifeſtior, ac dilucidior, quia reſoluitur in principia notiora, magiſque obuia. Manifeſtiſſimũ namque primo eſt vniuerſum iſtud, idemque dicitur de qualibet alia collectione rerum creabili à Deo, eſſe vndequaque perfectum, idque ei conuenire neceſſario, ac intrinſecè ex ſua ipſa natura Quia vniuerſum iſtud eſſentialiter eſt opus Dei. Quod eſt certum ex fide, atque ratione euidenti alibi demonſtratum. *Dei autem perfecta ſunt opera*, & Deuter. 32. 4. nec fieri poteſt, vt aliquod opus Deum habeat

au-

auctorem, & nihilominus non ſit eatenus perfectum iuxta naturam, & exigentiam ſuam intrinſecam, vti pluribus expoſitum, & confirmatum eſt quæſt.26.& 28. de Deo, atque magnificè prædicatur ſæpius in ſacris litteris; maximè verò Eccl. 42. à v. 15. vbi incipit: *Memor ero igitur operum Domini,* circa quem locũ multa in eam ré valde opportuna videri poſſunt apud Cornelium à Lapide, alioſque interpretes. Manifeſtum ruſus eſt, de conceptu operis perfecti vniuerſaliter eſſe vt nihil ipſi deſit eorum, ſine quibus eſſet ineptum ad ſuum finem,, nec poſset ad illum ſeu peruenire, ſeu perduci, vtque nihil eidem perperam inſit. Nihil namque notius eſt, quàm eſse imperfectum, tum quod eſt ineptum, ſeu inſufficienter diſpoſitum ad ſuum finem, tum cui aliquid ineſt inutiliter omnino, ac ſuperuacaneè nihilque conferens ad finem ipſius.

Art.16. Ad perfectionem vero operis diuini adæquatè ſumpti, ſeu vniuerſi cuiuſuis ſpectat præterea ſpecialiter, vt in eo emineat omne genus perfectionum abſolutè poſſibilium, atque inuicem compoſſibilium. Quia opus reſpectiuè perfectum dicitur, in quo apparet, imperfectum verò, in quo non apparet, quantum fieri abſolutè poteſt, tota perfectio præexiſtens in cauſa, totaque artificis peritia. Id quod comparatione Dei, operiſque diuini ſpecialis ratio efficaciter

per;

erſuadet. Quia videlicet omnes effectus x ſua natura eſt oſtenſiuus, ac commenatiuus perfectionis præexiſtentis in cau; idque conuenit eſſentialiter, ac priario effectibus Dei comparatione ipſius :pote eſſentialiter ordinatis ad laudé, : gloriam Creatoris. Patet autem imerfectè fungi hoc munere effectum in uo non apparet; perfectè, eum ſolum, 1 quo apparet, quantum abſolutè fieri cteſt, tota perfectio præexiſtens in caua, totaque artificis peritia; atque adeo riorem effectum eſſe imperfectum, ſoımque poſteriorem eſſe perfectum comratione ſuæ cauſæ, ſeu perfectione reitiua effectus ad cauſam. Quæ quidem :rfectio, & imperfectio in effectibus Dei aatenus comparabilibus cum ipſo Deo, incidit cum perfectione, & imperfeione ipſorum abſolutè, & ſimpliciter tione, modò indicata. Cum igitur eus contineat in ſe eſſentialiter, ac iniuiſim omne genus perfectionis. neceſſe ique eſt ex natura ipſa rei, vt in effectu læquato, ſeu in qualibet tota collectio: rerum à Deo producta dentur entitas, & perfectiones omnis generis.

Art 17. Supereſt, vt oſtendatur exiſtentiam Angelorum eſſe neceſſariam ex tura ipſa rei ad perfectionem vniuerſi, cta ſingulas ex tribus notionibus perfei, quæ præmiſſæ ſunt. Quod ad priım attinet de fine vniuerſi, Notum

eſt, quod nuper iterum dicebatur, finem primarium rerum omnium creatarum eſſe laudem, & gloriam Creatoris, iuxta illud Prou. 16. 4. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*; nempe propter ſemetipſum manifeſtandum, & glorificandum ſiquidem nihil aliud haberi poteſt ex creaturis reſpectu Dei. Vnde Hab. 3. 3° dicitur: *Operuit Cœlos gloria eius, & & laudis eius plena eſt terra*. Cuiuſmodi ſunt alia plura facile obuia in ſacris litteris præſertim in Pſalmis. Hic autem finis obtineri nequaquam poteſt; niſi inductis in vniuerſum ſubſtantijs intellectualibus. Quæ nimirum ſolæ cognoſcere æſtimare, confiteri, ac celebrare poſſunt ex creaturis potentiam, ſapientiam, & maieſtatem Creatoris; cum Deus non ex creaturis, ſed ex ſe præcisè agnoſcat, & glorificet ſe ipſum; quæ vero intellectualia non ſunt, ſint prorſus incapacia percipiendi titulos, ſeu merita laudis, & gloriæ, & vtramque exhibendi, præterquam obiectiuè tanquam materia, ac motiuum. Sed neque natura intellectualis corporea eſt ſufficiens ad tribuendam Deo totam eam laudé, & gloriam, ad quam vniuersú creatú, ipſaque maximè natura intellectualis corporea apta eſt mouere, quantú eſt de ſe. Quia natura intellectualis corporea tú intellectualitas eſt immerſa corpori, nihil cognoſcere poteſt ex natura rei, niſi depédenter à ſenſu, ideoq; præſtátiſſimas

quaſ-

iaſque veritates, non niſi ænigmaticè, adæquate, ac valde imperfecte cogno- ɜre poteſt; atque forma intellectualis turaliter vnibilis corpori, dum eſt in tu ſeparationis ab ipſo, nihil magis, aut elius cognoſcere poteſt, vt docet D. iomas, certè non multo plus cognoſce- poteſt, quam dum eſt vnita corpori, : quo alibi ex communi conſenſu Cum go laus, & gloria Creatoris deriuabilis : creaturis commenſuretur neceſſariò rfectioni cognitionis circa ipſas, ſubor- : ex vi motiua earumdem; concluditur, s creatas non poſſe naturaliter conſe- ii perfecte, & adæquatè ſuum iſtum æcipuum finem laudis, & gloriæ Crea- ris, niſi dentur ſubſtantiæ creatæ pu- intellectuales, atque omnino incor- reæ, quæ illas, tum ſingulas ſeorſim, m omnium ſimul ordinem mutuum eo- m, & harmoniam, totamque pulchri- dinem adæquatè, cognoſcere, & com- æhendere poſſint, atque ita laudare, gloriaficare Creatorem, eiuſque po- ntiam, artificioſam prouidentiam, iu- tiam, &c. quantum laudabilis, & glo- icabilis eſt ex vi motiua, earumdem rum creatarum. Qua de cauſa Regius altes volens pſ 14. 8. inuitare omnia eata ad laudem, & gloriam Creatoris erito incipit ab Angelis, tanquam ad id iximè idoneis non aliundè quam ex ra intellectualitate omnino incorporea

dum dicit: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis. Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius.*

Art. 18. Hinc ſponte apparet ſecundum inconueniens de aliquo perperam exiſtente in vniuerſo, ſi in eo non darentur ſubſtantiæ purè intellectuales, atque omnino incorporeæ. Quia non datis huiuſmodi ſubſtantijs non poſſet reduci in actum ſecundum, ac proinde exiſteret perperam vis motiua, quæ ineſt reliquis creaturis, ad cognitionem comprehenſiuam, tum vniuſcuiuſque ex illis ſeorſim, tum omnium collectiuè, atque ordinis mutui, & pulchritudinis ex omnium proportione, connexione, & iuſta correſpondentia conſurgentis, cum virtute inducendi æqualem ei cognitioni delectationem. Quapropter ſi Deus condidiſſet vniuerſum non inductis in ipſum ſubſtantijs incorporeis, ac purè intellectualibus; perinde feciſſet, atque ſi pictor exponeret picturam artis eximiæ ſolis cæcis, & cæcutientibus, aut muſicus delicatiſſimi concentus chorum ſolis exhiberet ſurdis, ac ſurdaſtris, & ſic de ſimilibus, in quibus manifeſtiſſimum ſit ſenſibile aliquod, aut intelligibile, præſertim eximium, ac valde delectabile ſuperare magno exceſſu captum eorum omnium, quorum tantummodo gratia exiſtit. Eo namque ipſo manifeſtiſſimum erit, inutiliter, ac inſipienter tantam operi perfectionem, tan-

tam-

ımque vim ſenſum, aut intellectum de-
:ctabiliter permouendi adiectas fuiſſe.
erperam igitur, & inſipienter feciſſet
)eus, quod abſit, ſi condidiſſet vniuer-
m illud ſenſibile vſque adeo perfectũ,
ıirabile, ac delectabile, & glorificati-
um ipſius, ſi non induxiſſet ſimul ſubſtã-
ıas pure intellectuales, atque omnino in-
orporeas, quæ ſolæ ſunt capaces, vt coo-
erentur adæquatè toti cognoſcibilitati,
c delectabilitati eiuſdem vniuerſi.

Art. 19. Simile argumentum conſici-
ur ex dirigibilitate, & indigentia dire-
tionis, quæ ineſt rebus inanimatis, at-
ue omnibus vniuerſim rationis experti-
us. Nempè inanimata, atque omnia
niuerſim rationis expertia ex vna parte
:tinent, quantum eſt de ſe, vniformem
:mper operandi modum, nec poſſunt ex
: præcisè inducere vllam vnquam ope-
ationum, atque effectuum diuerſitatem,
ræterquam vniformiter difformem re-
euntibus ſemper in orbem iiſdem effe-
tuum, parium ac diſparium, viciſſitu-
inibus; nec fieri potuit, vt cauſæ liber-
atis, ac electionis expertes, vi, & impe-
ı proprio ſibi relicto, aliter operentur.
x alia vero parte eadem omnia exiſtunt
mmediate propter hominem qui non
ſt ſemper vniformiter diſpoſitus, ac af-
:ctus, ſed varietatem ſubit propè innu-
ıerabilem, tum quoad corpus, tum ma-
ımè quoad animam, ideoque indiget

vt pro diuerſis temporibus cum proportionali varietate ſubueniant ſibi, atque inſeruiant, quæ ſunt infra ipſum omnia, atque ita iuuent, tum ad tuendam ſalutē corporalem. tum maximè ad correptionem,& correctionem prauorum morum atque ad bonorum fomentum,& promotionem; ad coercitionem, & pœnam impietatis. atque ad pietatis ſtimulos,& remunerationem. Id quod fieri minimè poteſt ob rationem modò præmiſſam, niſi adſit cauſa prædita libertate, & electione, quæ propterea ſit idonea ad inducendas in principijs. & ſubiectis libertatis expertibus varietates diſpoſitionum, & operationum opportunè congruentes varietatibus prædictis, quas homines, partim naturali neceſſitate patiũtur, partim libertate ſua in ſe ipſis inducunt. Hac de cauſa cõceſſum eſt homini, prout perhibetur Gen. 1. 26. & 28. vt præſit, ac dominetur vniuerſæ terræ. atque omnibus, quæ ſunt,& mouentur ſuper terram. Vt nimirum præſidendi officio,& dominatione ſua dirigeret omnia, atque determinaret, applicando actiua paſſiuis, quantum, & qualiter ſua, atque humani generis intereſſet; ideſt quantùm,& qualiter opus eſſet, vt ea omnia ſuum proximum finem creatum conſequerentur.

Art. 20. Verum homo non ſufficit ad tantum, & tam perfectam rerum inanimatarum, ac irrationabilium directionem

iem quanta, & quam perfecta opus ipſis
bſolutè eſt, relatè ad finem prædictum.
Primo quia homo, (idemque dicitur de
uauis alia, ſiquæ præterea poſſibilis eſt,
ubſtantia intellectuali corporea) nequit
xactè, & adæquatè inter ſe conferre
omnes, & ſingulas quaſque mundi huius
enſibilis partes, vt potè non cognitas ſibi
xactè, & adæquatè. Deinde vt ea
omnia exactè, & adæquatè complecti in-
elligendo poſſet, deſtituitur tamen vir-
ute, & actiuitate phyſica ad eadem om-
nia vniuerſaliter permouenda, atque in-
uicem contemperanda, ſprout oportet,
nductis pro loco, & tempore, & pro
humanis vbique gentium meritis, ac de-
neritis, tempeſtate, & ſerenitate pluuiis,
& ſiccitate; fame, & abundantia; ſalu-
britate, & inſalubritate, ac peſte, ven-
torumque vi, ſeu frænata, ſeu laxata, &
mari, & terra. Demum cæli, qui & ipſi
ſunt dirigibiles à principio libero quoad
plures ipſorum motus, ac diſpoſitiones,
à quibus ſublunaria omnia dependent,
non poſſunt ſub eſſe directioni humanæ,
cum captum hominis, & manifeſtius acti-
uitatē eius phyſicam longiſsimè ſuperent.
Neceſſe igitur eſt, vt dentur in vniuerſo
ubſtantiæ purè intellectuales, atque
omnino incorporeæ, quæ ad ea omnia
ſufficiant; ne perperam data ſit dirigibi-
itas cæleſtium, & ſublunarium corpo-
rum excedens capacitatem intellectualē,

& actiuitatem phyſicam hominum, atque commenſuratam capacitati, & actiuitati ſubſtantiæ creatæ purè ſpiritualis, vtque potentia illa paſſiua reducatur in actum ſecundum per huiuſmodi potētiam actiuam, quæ ſola intra Deum explere illam iuſtè & exercere adæquatè poteſt.

Art. 21. Venio ad tertium & poſtremum caput de neceſſitate perfectionum omnis generis, vt vniuerſum ſit perfectũ. Genus quoddam vnum peculiare, ſeu ſpecialis gradus, & claſſis perfectionis dicitur vnaquælibet peculiaris ratio pluribus inter ſe eſſentialiter diuerſis communis, quatenus continens in ſuo conceptu plus perfectionis, ac æſtimabilitatis, quam quæ eidē ſuperadditur per rationes differentiales eorum, quibus ipſa eſt communis. Vnde & omnia, & ſola dicuntur abſolutè contineri intra vnum, idemque genus, gradum, & claſſem perfectionis, quorum ratio aliqua vniformiter communis præeminet omnibus rationibus differentialibus eorumdem. Quę vero ita inter ſe comparantur, vt alicui, vel aliquibus eorũ inſit plus perfectionis, penes rationem ſuam differentialem, quam penes prædicata omnia iiſdem omnibus cõmunia, dicuntur abſolutè diuerſorum generum quoad perfectionem, & æſtimabilitatem; tametſi logicè, & quoad prædicabilitatem ſub vno, vel multiplici eodem genere contineantur. Itaque limi-

tes

es vniuſcuiuſq; generis quoad perfectio-
em, & æſtimabilitatem ſunt omnes, &
olæ rerum ſpecies, quæ plus inter ſe
onueniunt, quàm differunt, ſeu pluris
ſtimantur ratione alicuius communis,
uàm ratione differentiarum. Pertinent
erò è conuerſo ad diuerſa genera, quæ-
unque plus differunt inter ſe, quàm cō-
eniunt, ſeu quorum aliquod pluris ha-
etur ratione ſuæ peculiaris differentiæ,
uam ratione communium. Hoc modo
mnes plantæ dicūtur habere perfectio-
em eiuſdem generis, atque abſolutè cō-
ineri ſub vno, eodemque gradu, & claſ-
: perfectionis. Quia ratio viuentis, quæ
ſt illis omnibus cōmunis, eſt maioris per-
ctionis, plurisque habetur, quàm vlla
ifferentialis ratio, cuiuſquam plantæ
articularis. Rurſus omnia bruta dicun-
ır ſimiliter eiuſdem generis. Quia ratio
nimalis, in qua conueniunt, præponde-
ıt omnibus eorum inter ſe differentijs,
ruta verò, & plantæ non ſunt eiuſdem
eneris quoad perfectionem, & æſtima-
ilitatem, quia nihil eſt vtriſque com-
ıune, quod præemineat prædicatis om-
bus, per quæ differunt inter ſe. Patet
ıim brutum eſſe præſtabilius, qua ani-
al eſt, vndè differt à plantis, quamqua
uens præcisè eſt, per quod vltimo con-
nit cum iiſdem.

Art. 22. Patentius vero multo eſt ſub-
atiæ intellectuali creatæ, qua talis eſt

ineſſe genus perfectionis longè diuerſum à perfectione rerum omnium, quæ intellectuales non ſunt. Quia intellectualitas continet in ſe amplitudinem quandam eſſendi quodammodo infinitam, ac interminatam, quatenus omnia, & quælibet intelligendo poteſt eadem omnia ſibi ex ſe quodammodo adiungere ac ſuperaddere per ſimilitudines, & imagines ipſorum, quas actiuitate ſua exprimere atque ex ſua eſſendi, & perfectionis vaſta plenitudine expromere poteſt; cum bruta ſint reſtricta ad ſola immediatè ſenſibilia, quæ vero cognoſcitiua non ſunt, ſint adhuc reſtrictiora incomparabiliter, vtpotè modis omnibus coarctata ad vnicum determinatum genus non contentiuum generum aliorum vllo modo. Præeminet itaque intellectualitas omnibus alijs prædicatis, quæ ſunt communia ſubſtantijs intellectualibus, & non intellectualibus: cum nullum aliud prædicatum continere in ſe, atque intellectualitati ſuperaddere poſſit tantumdem præſtantiſſimæ, ac planè mirabilis amplitudinis eſſendi, & quæ ad eam conſequitur capacitatis, vt eleuetur ad videndum, poſſidendumque perfectè Deum. Vnde ſubſtantiæ intellectuales certiſſimè conſtituunt genus quoddam ſpeciale entis, & perfectionis. Cum igitur neceſſe ſit ex ipſa natura rei, vt detur in vniuerſo omne genus entis ac perfectionis iuxta poſitionem præmiſſam

art.16,

Art. 16 Neceſſe vtique eſt ex natura ipſa rei, vt dentur in vniuerſo ſubſtantiæ intellectuales. Immo quia genus illud entium diſtat multò magis magnitudine, & amplitudine perfectionis, vt apparet ex ratione nuper ponderata à reliquis omnibus rerum generibus, quàm diſtant inter ſe quælibet alia duo rerum genera, maior omnino, certè manifeſtior longe eſt neceſsitas naturalis, vt dentur ſubſtantiæ intellectuales datis ſubſtantijs non intellectualibus, quam vt dentur res vllæ aliæ datis rebus aliquibus alijs.

Art. 23 Iſta porro eadem ratione maioris perfectionis cõuenientis generi ſubſtantiæ intellectualis, quàm vlli alij rerum creatarum generi conficitur, ſub iſto potius quàm ſub vllo alio debuiſſe conſtitui differentias, & extrema, perfecti & imperfecti, inuicem ſibi oppoſita. Quò enim prædicatum aliquod genericum maioris eſt perfectionis, eò plurium eſt capax diuiſionum in ſpecies diuerſas, magiſque indiget diffuſione ſui per differentias ſummæ, infimæ, & mediæ perfectionis, vt totum intuentibus explicatiſſimè appareat, vimque ſuam totam exerat complete, ac cumulatè vti diſtinctius exponetur quæſt. 4. In generibus autem nobilioribus vniuerſim omnibus rerum, quæ, ſub ſenſum cadunt, manifeſta experientia, deprehenditur iſtud artificium ordinis diſtribuentis vnumquoque genus

in extrema ſummæ, & infimæ perfectionis. Quorum alterum maiori ſuæ vilitatis, atque in nihilum decliuitatis conſpicuitate diſtinctiùs referat originem totius generis ex nihilo. Alterum verò illuſtriori ſuæ dignitatis, atque ad purum eſſe aſcenſionis prominentia clarius manifeſtet auctorem totius eiuſdem generis ſummum. Et ſic ex mutua vtriuſque extremi comparatione innoteſcat clariſſimè terminus à quo, & per quem, & ad quem extrahuntur, diriguntur, ac eleuantur creata omnia; atque oppoſitis, vt dicitur iuxta ſe poſitis vtraque ea extrema tam indicatiua quam indicata magis eluceſcant, & viliſſimorum comparatione maxima quæque emineant auguſtius in omni genere ad eum modum, quo circumiectis vmbris ſolent pictores attollere, & quaſi accendere. ac venuſtiores reddere nobiliores quaſque imaginum partes

Art. 24. Huc ſpectat ex communi interpretum intelligentia illud Eccl 45.25. *Omnia duplicia vnum contra vnum, & non fecit quidquam deeſſe*. Quod non tam de rebus ſingulis, quam de omnibus, & ſingulis rerum generibus continentibus, lege vbique vniformiter inuiolabili, binarium differentiarum, alterius perfectæ, & alterius imperfectæ, accipiendum eſſe, idque doceri requiſitum ex natura rei, ne quid deſit vniuerſo, nempe pulchritudinis,

nis, & perfectionis pertinentis per ſe ad complementum eiuſdem vniuerſi, oſtendit præ alijs accuratè atque inductione vniuerſali dilucidè confirmat Fran. Valeſius ſacræ Phyloſ. cap. 75. Sed iuuerit magis auſcultare concinnam expoſitionem, & ſententiam Aug. lib. 11. de Ciu. c. 18. circa ſimilem aliam diuini artificij commendationé ex c. 33. eiuſdem libri v. 15. *Antitheta enim*, præmittit, *quæ appellantur in ornamentis elocutionis ſunt decentiſſima, quæ latinè appellantur oppoſita, vel quod expreſſius dicitur contrapoſita* - Et poſt pauca ſubiungit: *Sicut ergo iſta contraria contrarijs oppoſita ſermonis pulchritudinem reddunt; ita quadam non verborum, ſed rerum eloquentia, contrariorum oppoſitione ſaculi pulchritudo componitur. Apertiſſimè hoc poſitum eſt in libro Eccleſiaſtico hoc modo: Contra malum bonum eſt; & contra mortem vita: Sic contra pium peccator Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi, bina, & bina, vnum contra vnum.*

Art. 25. Neceſſe igitur eſt ex natura rei, vt ſub genere etiam ſubſtantiæ intellectualis detur differentia perfectæ, & imperfectæ; corporalis, & ſpiritualis, ſeu compactæ ex corpore, & ſpiritu penituſque incorporeæ. Immò quia in omni genere imperfectum eſt propter perfectū, atque neceſſitas finis eſt maior quam meliorum; multo magis neceſſe eſt, vt dentur Angeli purè intellectuales, penituſque

que incorporei, quam vt detur homo, qui eſt altera differentia imperfecta, nempè intelligentis corporei, ideoque intelligente imperfectè propter dependentiam à ſenſu.

Ad 1. Ratio imaginis Dei cõuenit proculdubio perfectius Angelo quàm homini, dicente Dion. cap. 4. de diu. nomin. *Angeli ad Dei ſimilitudinem, quoad eius fieri poteſt, expreſſi ſunt, bonitatiſque ſpeciem præſeferunt.* Et rurſus: *Imago Dei eſt Angelus, latentis lucis declaratio, ſpeculum nitidum, perlucidiſſimum, integrum, incorporeum, non inquinatum, quod recipit vniuerſam, ſi fas eſt dictu, figuræ diuinæ bonitatis pulchritudinem.* Vnde omnes Theologi docent cum D. Thoma quæſt. 93. art. 3. Angelum magis eſſe ad imaginem Dei, quam hominem. Cæterum reſpectu intellectus humani magis conuenit ratio imaginis Dei ipſi homini, quam Angelo. Quia homo magis cognoſcitur ab homine, quam Angelus, ideoque manuducitur magis ad cognitionem Dei, cognitione naturæ humanæ, quam Angelicæ. Quia vero liber Geneſis ſcriptus eſt, ſicut, & reliqua ſcriptura, ad eruditionem hominis, propterea ipſi potiſſimum homini tribuitur vnicè quod ſit ad imaginem Dei, præſcindendo interim ab Angelis, non vero idem de iiſdem negando.

Ad 2. Communis, vera certaque ſententia eſt Angelos creatos à Deo fuiſſe

ſimul

ſimul cum Cælo, & terra, eſtque præ-
terea longè probabilius nō fuiſſe præter-
miſſam à Moyſe creationem eorum, ſed
nomine cæli comprehenſam ſimul fuiſſe,
uti videri poteſt apud Suarez lib. 1. de
opere ſex dierum, apud Molinam, alioſ-
que communiter cum D. Thoma quæſt.
61. a. 3. Ratio autem, ob quam non ex-
primŭtur Angeli nomine proprio à Moy-
ſe, ſed latenter ſub nomine Cæli com-
prehenduntur, tamquam eius incolæ,
hæc communiter redditur. Quod nimi-
rum liber ille dirigeretur ad inſtruendum
rudem Hebræorum populum, qui prop-
terea docendus erat directè, ac imme-
diate de creatione rerum ſenſibilium, eo-
que facilius perceptibilium, quibus de-
inde mediantibus poſſent peritiores con-
ſcendere ad cognitionem Angelorum, &
creationis eorumdem.

Ad 3. Negandum eſt non poſſe intel-
lectum humanum peruenire ad cognitio-
nem certam exiſtentiæ, & naturæ Ange-
lorum mediantibus rebus ſenſibilibus. Pa-
tet enim in primis à poſteriori per expe-
rientiam ex dictis ſuperius peruenire om-
nino poſſe. Deinde à priori, quia non
ſola cauſalitas efficiens, & phyſica ſuffi-
cit ad cognoſcendam cauſam ex effectu,
ſed etiam cauſalitas finalis, ac intentio-
nalis licet hæc poſterior ſit latentior, ac
profundior, quatenus media & ratio artfi-
cioſi, nō ita participant perfectionē pro-
priam

priam finis, & artificis, ſicut participant perfectionem propriam cauſæ cuiuſque efficientis effectus per ipſam producti. Res autem ſenſibiles ordinantur ad Angelos, tanquam ad finem ſuum ſecundarium, atque ab eiſdem ſortiuntur concinnitatem, & ordinem mutuum ſibi cōgruentem, vti ſuperius inſinuatum eſt, & in progreſſu declarabitur vberius. Poſſunt igitur Angeli, tametſi ſpirituales, & omnino incorporei ſint, cognoſci ab homine mediante ſenſu, tanquam pertinentes, & requiſiti, prout re ipſa pertinent & requiruntur ad complementum vniuerſi, vti ſuperius oſtenſum eſt.

Ad 4. D. Ambroſius immediatè poſt illa verba obiectionis ſubdit ſic: *Siquidem & illa inuiſibilia opera, quæ non queunt locis & finibus comprehendi, ſubſtantia ſua tamen proprietate clauduntur. Quomodo quis audeat creaturam appellare Spiritum Sanctum, qui non habeat circumſcriptam, determinatamque virtutem!* Ex quibus manifeſtè apparet Ambroſium non tribuere Angelis circumſcriptionem localem, quæ eſt propria corporum, ſed ſolam circumſcriptionem perfectionis, quæ conuenit omni enti creato, ac finito, ſiue corporali, ſiue purè ſpirituali. Eodem ſenſu nonnulli etiam alij SS. PP. vſurpant circumſcriptionem, dum eam attribuunt Angelis. Alij verò corporeos dicunt Angelos corporeitate latè ſumpta pro vera realitate,

te, & quaſi ſubſtantialitate eſſendi.
lij vero eandem locutionem vſurpant
: Angelis comparatione Dei, vt ſolam
gnificent imperfectionem eorum, &
otentialitatem, quę eſt maximè propria
orporum, & ratione cuius Angeli com-
arati cum Deo, qui eſt purus actus, pu-
ique perfectio, apparent corporei, qua-
enus Angeli ſunt re ipſa medij inter Deū
t res propriè, ac ſtricte corporeas, at-
ue medium interduo extrema compa-
atum cum altero eorum induit apparen-
am oppoſiti extremi, vt obſeruat D.
'homas quæſt. 50. art. 1. ad 1. & tradi-
ir non ſemel à Philoſopho. Negari ni-
ilominus non poteſt, quin aliqui SS. PP.
latonicis documentis vehementer ad-
icti tribuerint Angelis corpora pro-
riè talia, vel homogenea cum ſubluna-
bus, vel certè ſubtiliora. Sed quia
mdiu pręualuit in Eccleſia Dei maxima
anctarum ſcripturarum inclinatio in pu-
am ſpiritualitatem Angelorum, atque
li acceſſit Concilij Lateranenſis vſque
deo clara, & efficax determinatio, &
l eam ſubſecutus eſt vnanimis eamdem
partem Theologorum omnium con-
nſus, ac demum Platonicæ eatenus do-
rinæ fundamenta euidentibus rationi-
us conuulſa ſunt, nulla ex eorum Patrum
ictoritate probabilitas manet corporei-
ti Angelorum, ſeu compoſitioni eorum
: corpore, & ſpiritu, præſertim cum
eidem

eidē refragentur Dionyſius, ſuperius productus, necnon Athanaſ. Nazianz, Nyſſen. Chryſoſt. Hier. Ambroſ. Greg. Mag. alijque SS. PP. apud Suarez cap. illo 6.

Ad 5. Diſtinguendus eſt in intellectu humano, dum eſt vnitus corpori, modus cognoſcendi, ac apprehendendi à modo affirmandi, ac iudicandi. Plura enim cognoſcit ænigmaticè ad modum aliorũ, per quorum proprias ſpecies ad cognitionem illorum perducitur, quin tamen illis iudicando attribuat modum eſſendi conformem modo apprehendendi ſuo. Atq; ita contingit in apprehenſione, & cognitione, tum Dei, tum Angelorum, quos cognoſcit per ſpecies rerum coporearum ideoque ad inſtar corporum. quin tamē affirmet de ipſis corporeitatem, & modum eſſendi corporeum, ſed magis eumdem neget ratione deducta ex iiſdem rebus corporeis, vt ſuperius innotuit. Pro dignoſcenda autem natura cuiuſque rei non tam eſt attendendus modus, quo ea cognoſcitur ab homine, ſed quale ſit prædicatum, quod de eadem ab eodem cognoſcitur, eidemque iudicando attribuitur.

Ad 6. Ex iis, quæ ſuperius producta à nobis ſũt, liquet ſupereſſe rationes efficaces pro incorporeitate Angelorum, demptis illis duabus, quæ tanguntur in obiectione. Vnde reſponderi primò poteſt; tranſeat eas duas rationes eſſe prorſus

ſus inefficaces, ac inutiles. Deinde tametſi ratio Phyloſophi de neceſſitate Angelorum pro motu cœlorum probari mihi, aut firma omnino reputari nō poſſit, quatenus cælis nullum motum localem concedit ex propria ipſorum actiuitate, actione, & reactione, ob ea, quæ alibi fuſius diſcutienda ſunt; ſuper eſt nihilominus neceſsitas Angelorum ad dirigendos motus Cælorum, ſicut & corporum ſublunarium pro multiplici mutuo eorum occurſu inextricabili, ac indeterminabili abſque interuentione agentis libertate, & electione præditi, vti obſeruatum eſt ſuperius art. 19. & 20. atque fuſius expoſitum eſt qu. 29. De Deo. Quoad alteram rationem de arreptitijs fateor ſimiliter, plures vulgo arreptitios putari, & obſeſſos à dœmone, qui ſolis vexantur humoribus melancholicis, ſolaque laborant læſione phantaſiæ. Cæterum negari non poteſt, quin plures verè obſideantur à dœmone, ſeu ſpiritu malo, in quibus videlicet deprehenduntur effectus peritiæ linguarum, alijque ſuperantes omnem vim naturæ, & qualitatum, atque affectionum corporearum. Quia vero eiuſmodi effectus, nec Deo tribui poſſunt, cum plerique manifeſtè tendant in malum ſintque inhoneſti, nec ab animabus ſeparatis prouenire poſſint, cum animæ ſeparatæ non plus poſſint in corpus, & circa res corporales quàm dum eſſent vnitæ

nitæ corporibus,& præterea animæ beatæ eadem ratione, qua Deus excludantur ab eiuſmodi operibus, reprobæ vero detineantur in Inferno, nec permittantur ſaltem ordinarie redire ſub aërem iſtum, rectè concluditur, tales effectus prouenire ab alia ſpecie ſubſtantiarum, eaſque eſſe purè ſpirituales,& incorporeas,quandoquidem naturaliter penetrantur cum corpore humano, necnon ſecum inuicem in maximo numero, vt apparet ex 8 Lucæ, vbi traditur legionem integram dæmoniorum intrauiſſe in vnum hominem, quæ tam numeroſa eorũ penetratio fuiſſet naturaliter impoſſibilis, ſi eſſent corporei. Patet igitur vtramque eam rationem eſſe abſolutè vtilem, & efficacem. licet nonnulli vtramque plus iuſto amplificent.

Art.I Ad 7.Obſeruanti totũ ſuperiorẽ Auguſtini contextum immediatè præcedentem ad caput illud 34. de quantitate animæ, haud obſcurè apparet, conferri ab ipſo cum anima humana cætera omnia creata, quoad differentias ipſorum proprias ſecundum ſe præcisè conſideratas, & præſcindendo à prædicato capacitatis contemplandi, ac videndi Deum, quod eſt eidem animæ commune; ſolumque negare voluiſſe, nullam dari,nullamque eſſe poſſibilem ſubſtantiam creatam, cui ex ſola ſua ratione differentiali cõueniat maior perfectio, maiorque ad Deum

pro-

opinquitas, quam quæ ineſt animæ
imanæ ex ſuo conceptu adæquato,
uod merito, veriſſimeque negatur, vt
quet ex dictis ſupra art.21.& 22. & ap-
iebit clarius ex dicendis quæſt.1. *præ-*
rtim ad 1. Verum id non tollit, quo
inus ſint poſſibiles, & dentur ſubſtan-
æ, quæ ſecundum ſuum conceptum
læquatum contineant in ſe abſolutè ali-
ualem ſubſtantialis perfectionis exceſ-
m reſpectu animæ humanæ. Fieri nã-
ue poteſt, vt ſubſtantiæ aliæque res qui-
us eſt vniformiter commune prædica-
im, quod eſt in vnoquoque earum præ-
puum, ac præeminens, differant nihi-
minus diſpariter quoad prædicatum
iud minoris ex ſe præcisè perfectionis;
que ratione prioris vniformitatis quoad
rædicatum præcipuum dici haud abſur-
è poſſunt abſolutè æquales, maxime vi
i prædicatum idem præcipuum ac vni-
orme fuerit notabiliter notius, ac diſcer-
ibilius, quàm rationes differentiales. vt
uenit in re *præſenti*; & tamen ratione
onceptus differentialis difformis, ac inæ-
ualis quoad prædicatum minus præci-
uum, dici etiam poterunt inæquales abſ-
ue falſitate, aut abſurditate.
Art.2. Facit hoc Auguſtinus quoad vtrãq;
artē. Quia ſicut in teſtimoniis obiectionis
firmat æqualitatē. & excludit inæquali-
tem inter animam humanam, & alios
iritus: ita preeminentiam, & exceſſum
An-

Angelorum reſpectu eiuſdem animæ tradit diſertè lib. 11. de Ciu. cap. 5. dicens; *Angelica natura omnia cætera, quæ Deus condidit, natura dignitate præcedit*. Eodem pertinet, quod habetur lib. 1. retract. cap. 26. vbi recognoſcens, quod dixerat quæſt. illa 54. *Nihil eſt rationali anima melius niſi Deus*; ſubdit ſic; *Vbi dixi*; *quod omni anima melius, id Deum dicimus, magis dici debuit, omni ſpiritu melius*. Inſumma intentio Auguſtini quod eos loquẽdi modos, qui indicantur in obiectione, hæc proculdubio fuit, animam humanam à nulla alia ſubſtantia creata ſuperari poſſe eo modo, quo ſuperantur ab eadem anima omnia irrationalia, ſiue animata, ſiue inanimata, ſiue ſenſitiua, ſiue ſenſus expertia. Quod eſt veriſſimum. Quia anima humana ſecundum ſuam præcisè rationem intellectualitatis, qua differt ab omnibus illis, includit in ſe perfectionem longe maiorem, quàm ſit tota irrationalium quorumlibet perfectio; idque ipſum nulli alij ſubſtantiæ intellectuali conuenire poteſt reſpectu eiuſdem animæ, vt dictum eſt. Idem ſenſus legitimè accommodatur Bernardo, & ſi quis alius ſimiliter locutus eſt. Alios exponendi, ac conciliandi modos, ſed in modum prædictũ neceſſario reducendos, videre licet apud Suarez lib. 1. cap. 1. fine, apud Franciſcum de Lugo, alioſque in præſenti.

Ad 8. Communis interpretatio illius lo-

ci Geneſis intelligit nomine filiorum
ei, vel poſteros Seth, vel viros quoſuis
tes, ac potentes; nomine vero filia-
n hominum, vel fœminas deſcenden-
à Cain, vel quaſuis alias viles, ac te-
oris fortunæ. Ratio eſt, quia proge-
s Seth fuit pia, & iuſta, ac placens
o. Homines autem iuſti appellantur in
:iptura filij Dei, nec non & Angeli. At-
: hoc ipſum Angelorum nomen accó-
odatur nonnunquam viris etiam poté-
us, ac præeminentibus inter alios; fœ-
æ vero venientes à Cain. qui recepe-
à Deo originariam prauitatem ſuis
ribus referebant, ideoque filiæ homi-
n ibi vocantur per antitheſim ad filios
i, quaſi non filiæ Dei; idemque nomen
arum hominum congruit, propter vti-
item, abiectioribus quibuſque fœmi-
. Iam viri prioris vtriuſque conditio-
abſtinuere, per aliquod, tempus à
trimonijs cum fœminis poſterioris v-
iſque conditionis, impediente eam
tam coniunctionem diuerſitate, ma-
que diſtantia, vel morum, vel fortu-
. Sed poſtea creſcentibus in dies viri-
concupiſcentiæ, & præualentibus re-
ctu honeſti, ac decentis, in ea tandem
rimonia, aut qualemcumque mutuā
nmiſſionem ventum eſt. Inde vero
i ſunt Gigantes, nempe viri inſigniter
ceri, ac robuſti, propter impetum
ui inter parentes amoris nimium

æſtuan-

æſtuantis, atque largius tranſmittentis præferuidos ſpiritus vitales in prolem. Ijdem fuere inſuper præpotentes propter confluxum in ipſos factionum prius diuerſarum, atque inuicem oppoſitarum prouenientem ex coniunctione parentum, alterius ex vna, & alterius ex oppoſita factione. Auctores huius quoad ſubſtantiã expoſitionis videri poſſunt apud Suarez ſect. illa 6. in fine, & apud Pererium, Fernandez, alioſque interpretes eius loci cõmuniter. Sed alia præterea ratione Angeli ſumpti pro ſubſtantijs homine ſuperioribus intelligi in eo loco nullatenus poſſunt. Quia boni iam eo tempore erant beati, ac impeccabiles. Mali vero dici non poſſunt, nec vnquam in ſcriptura dicuntur filij Dei. Quod ad teſtimonium attinet Ioannis illius Theſſalonicenſis cuius contextum integrum exſcribit Molina quæſt. 50. art. 1, notiſſimum eſt Patres alioſque ſuffragatores Conciliorum ſolere, ante definitionem dogmatum adducere pro eorum veritate, ac definibilitate varias pro cuiuſque captu, & principijs rationes alias legitimas, & alias illegitimas, à quibus deinde abſtrahit Concilium, dum tandem concipit definitionem fidei, ita vt teneatur concluſio ſuffragatorum, non tamen propterea approbentur præmiſſæ, ex quibus ea à ſingulis deducta fuerat. Hoc igitur pacto ſeptima Synodus amplexa eſt definiendo con-

cluſio;

uſionem, quam ſuadebat theologus ille
:ca imagines Angelorum, atque pi-
uras, quin propterea amplecteretur,
t approbaret rationem eiuſdem funda-
n in corporeitate Angelorum.

Ad 9. Negatur aſſumptum. Probatio
Caietani conceditur antecedens,& re-
tur conſequentia. Quia ſubſtantia in-
llectualis non indiget corpore,vt tran-
at ex vno ſpatio ad aliud ſpatium,vt pa-
bit ex quæſt. 9. & 10. & apparet clarè
anima humana tranſeunte cum mori-
r homo ex ſpatio corporis, ad ſpatium
:lorum, vel inferorum. Quod autem
dem anima, dum eſt vnita corpori mo-
atur motu propriè locali, ac progreſſi-
, hoc pertinet ad puram imperfectio-
m corporis, quia ſeparata à corpore
ouetur perfectius, ac velocius. Quare
ſubſtantiæ intellectuali adijceretur cor-
ıs præcisè ad motum localem progreſ-
ıum, adijceretur vtique complementũ
›i, & connaturale, & purè nociuum.
uod repugnat. Quia purum nocumen-
m nulli poteſt eſſe connaturale, nec ad
nplementum eius intrinſecum pertine-
. Vnde patet differentiam intelligibi-
corporei, qualem intendit Caietanus
n poſſe pertinere ad complementum,
perfectionem vniuerſi cum ſit differen-
entis intrinſecè abſurda, & chimæ-
:a.

Ad 10. Illi obiectioni indulget nimium

Suarez diſp 35. Metaph. ſect. 3. Admittit enim eadem ratione, & æquè oportuiſſe, vt daretur vnio hypoſtatica, & fore vt oporteret exiſtere ſubſtantiam creatam intrinſecè impeccabilem, ac beatam, ſeu intuitiuam Dei, ſi ea eſſet abſolutè poſſibilis, qua oportet vt dentur ſubſtantiæ purè intellectuales, atque omnino incorporeæ. Quod licet idem auctor condire, ac lenire, vtcumque moliatur de more adiunctis nonnullis obſeruationibus, quæ ſubſtantiam doctrinæ præmiſſæ non tangunt, ferendum nequaquam videtur. Quia vnio hypoſtatica, & cætera omnia, & quælibet dona ſupernaturalia ſuperadduntur à Deo reliquis partibus vniuerſi purè gratuitò, & liberaliter, nec conſequuntur neceſſariò neceſſitate ex natura rei ad donum creationis, vt pluribus dictum eſt cum Auguſtino in qq. de Gratia, maximè 6. & 7. Rationes autem, quæ adducuntur pro exiſtentia Angelorum, ad hoc tendunt, vt oſtendant neceſſe eſſe ex natura rei, quod dentur ſubſtantiæ intellectuales incorporeæ datis rebus ſenſibilibus, ac corporeis. Neganda itaque eſt ſequela. Quia res ſenſibiles, & corporeæ haberent in ſe aliquid perperam, ac inutiliter, niſi illis adiungerentur ſubſtantiæ eiuſmodi purè ſpirituales, vt apparet multipliciter ex ſuperioribus noſtris argumentis. Id autem ipſum nequaquam ſequitur ſi eædem ſubſtantiæ ſpiritua-

tuales ſimul cum rebus corporeis exiſterent abſque vllo ente ſupernaturali. Quia totam ſuam vim actiuam, & paſſiuam, exercere poſſent adæquatè adæquatione virtutis ipſarum independenter ab exiſtentia donorum omnium ſupernaturaliũ ſeu rerum, quales proponuntur in obiectione, vt in iiſdem qq. de gratia oſtenſum eſt, præſertim in 7. Progreſſus porrò in infinitum ipſarum ſubſtantiarum purè intellectualium, & perfectiorum ſine fine quomodo, & vbi cohibendus, ac terminandus; quod nonnullos non parum vexat, declarabitur quæſt. 4.

QVAESTIO II.

Vtrum Angeli ſint compoſiti ex materia, et forma.

VIDENTVR eſſe compoſiti 1. Quia in omni motu datur materia, vt dicitur 12 metaph. tex. 7. Angeli autem ſunt mutabiles de vno loco in alium, ex vna differentia in aliam, ex vna cognitione, & volitione in aliam. vt infra dicetur. Neceſſe igitur eſt, vt in Angelis detur materia, quæ ſit ſubiectum eductionis; & receptionis eorum motuum.

2 Vbicunque datur agere, & pati, datur etiam materia, & forma, quia ratio agendi eſt forma, & patiendi materia. Datur autem in Angelis agere, & pati, quia datur intelligere, quod eſt quoddam pati, & velle, quod eſt proprijſſimè agere, iuxta doctrinam Philoſophi. Ergo datur in Angelis materia, & forma. Confirmatur ex Boetio dicente *lib.* de Trinit. ante medium formam ſimplicem ſubiectum eſſe non poſſe.

3 Angelus non eſt actus purus. Quia hoc eſt proprium ſolius Dei. Ergo Angelus eſt compoſitus ex actu, & potentia. Ratio autem actus conuenit formæ, & ma-

materiæ ratio potentiæ, vt dicitur in 1. Phyſ.

4 Repugnat vniuerſaliter enti completo, vt ſit pura potentia, cui nullus inſit actus. Ergo repugnat ſimiliter omni enti creato, vt ſit purus actus, cui nulla inſit potentialitas. Patet conſequentia quia non minus eſt de cóceptu entis creati potentialitas aliqua, cum ſit ex nihilo quam ſit de conceptu entis vt ſic, aliqua actualitas.

5. Datur in Angel compoſitio ex genere, & differentia, ergo datur in eodem compoſitio ex mate ia, & forma. Patet antecedens, quia in Angelis dantur plura prædicata quibus conueniunt vniuoce inter ſe, & cum alijs rebus, nec non alia prædicata per quæ differunt inter ſe, & à varijs rebus; Idque eſt habere prædicata generica, & differentialia. Patet item conſequentia, quia genus ſumitur ex materia. & differentia ex forma, vt dicitur 8. Metaph. text. 6.

6. Senſibilia omnia, ac materialia conſtant materia, & forma ſenſibilibus. ergo ſpiritualia omnia creata conſtant ſimiliter materia, & forma ſpiritualibus. Suadetur conſequentia; tum quia non apparet ratio maior eiuſmodi compoſition s in ſenſibilibus, quàm in purè intelligibilibus ſeruata proportione partium componentium; tùm quia ratio finitæ ac limitatæ perfectionis in qua fundatur ne-

ceſſitas compoſitionis, & repugnantia ſimplicitatis ſubſtantialis in rebus corporalibus ac ſenſibilibus, perinde reperitur in omni ente creato, etiamſi purè ſpiritua le, ac intelligibile ſit.

7 Forma terminatur, ac limitatur per materiam. Si ergo ſubſtantia Angelica eſſet pura forma abſque materia, eo ipſo eſſet illimitata, ac infinita. Quod tamen repugnat enti creato.

Art. 1. Reſpondetur, Materia ſumitur dupliciter. Primo pro ſubſtantia ſeu completa, ſeu incompleta habente partes extra partes, & capaci trinæ dimenſionis. Sub quo conceptu communiter dicitur corpus. Quapropter oſtenſo in quæſtione præcedenti, Angelos eſſe omnino incorporeos, & neque adæquatè, neque inadæquatè corporeos eſſe, nulla modò ſupereſt quæſtio de compoſitione ex eiuſmodi materia. Secundo ſumitur pro qualicumque parte ſubſtantiali naturæ compoſitæ magis indifferenti ad alteram parté eiuſdem naturæ, quàm è conuerſo, ſiuè vtraque pars ſit expers partium extra partes, atque trinæ dimẽſionis, ſeu molis, & quantitatis, ſiue non ſit, atque in hoc ſenſu ſupereſt noua difficultas, diuerſa, ac independens à difficultate quæſtionis præcedentis; aientibus nonnullis dari in Angelis veram compoſitionem ex eiuſmodi materia, & forma, cum Alenſi, D. Bonau, Ricchardo, &

Aureo-

Aure lo poſt Auicembron tametſi iidem dicant Angelos eſſe prorſus incorporeos. Dicendum autem eſt cum D. Th. qu. 50, a.2 aliiſque communiter ibidẽ, Angelos eſſe ſubſtantialiter omninò ſimplices quo ad ſuam naturam, nec materiam habere vllá, per quam intrinſecè compleatur vis intellectiua, quæ in ipſis habet rationem formæ. Quod in primis colligitur, ex Dionyſio dicente de Angelis cap. 4. de diu. nom. *Sicut incorporales, & immateriales intelliguntur*, & cap. 7. *Ab omni materia ſoluta, ſine materia æqualiter &c.* Suadetur preterea primo quia anima humana cum ſeparatur à corpore, manet ſine vlla prorſus materia ex omnium conſenſu, de quo in libris de anima. Angeli autem ſunt perfectiores anima humana, vt liquet ex quæſtione præcedenti, atque inuariabiliter manet ſemper ad eum modum, quo anima humana manet poſt ſeparationem à corpore. Ergo Angeli multo magis ſũt expertes materiæ, omniſque compoſitionis eſſentialis.

Art. 2. Idem rurſus probatur, quia ſi in Angelis daretur materia, ea deberet inſeruire operi intelligendi, cum forma intellectiua non poſſit vniri alicui parti non intellectiuæ ex ſe, niſi propter vtilitatem eius, & vſum accommodatum ad intelligendum. Alioquin enim materia non eſſet propter formam, ſed forma eſſet propter materiam, quia hæc eſſet

ipſi vtilis, & perfectiua, non verò è conuerſo. Id autem eſt abſurdum cum imperfectum ſit propter perfectum, & minus perfectum propter magis perfectum; non vero e conuerſo. Materia autem non poſſet inſeruire operi intelligendi, niſi eſſet organica, & idonea ad recipiendas ſpecies obiectorum, quæ deinde poſt perceptionem eorum materiale intelligenda eſſent. Ratio autem organici, ac diſponibilis ad receptionem ſpecierum, & perceptionem obiectorum præuiam ad intellectionem, intelligi non poteſt abſque diſpoſitione partium extra partes ideſt abſque corpore. Excluſa igitur ab Angelis corporeitate propriè tali nulla poteſt admitti in ipſis, aut excogitari vllius generis compoſitio materialis, vt optimè inferunt poſt D. Thomam quæſt.59. a.2. Suarez Molina, & alij communiter. Demum modus operationis indicat modum ſubſtantiæ, atque ad eum conſequitur cũ iuſta inter vtramque proportione, vt optimè aſſumit ibidem D.Th. Intelligere eſt operatio prorſus immaterialis, vt apparet ex obiecto primò ac per ſe intelligibili. Quia per intellectionem abſtrahuntur ipſa etiam obiecta in ſe à parte rei indiuidualia, ac materialia ab omnibus cõditionibus indiuiduantibus, ac materialibus; ita vt quæ materialia. ac indiuidualia ſunt in ſe exiſtant in intellectu vniuerſaliter, ac omino immaterialiter. Ergo ſub-

ſubſtantia purè intellectualis, qualem dictum eſt eſſe Angelum, ex ſuo conceptu eſt omnino immaterialis adeoque eſſentialiter ſimplex.

Ad 1. In illo loco Metaphyſicæ agitur de motu ſubſtantiali, per quem fit tranſitus ab vna ſubſtantia ad aliam ſubſtantiā, quod fieri nō poteſt abſque mater a] vtrique communi. Alia ratio eſt de motu accidentali, eoque vitali: Quia hic motus poteſt recipi in eodem adæquate ſumpto, a quo efficienter procedit. Motus autem Angelorum ſunt huius poſterioris generis, & non prioris. Hinc etiam patet ad 2. Quia non eſt de conceptu actionis, & paſſionis, vt ſic & in communi, vt diuiſim correſpondeant materiæ, & formæ licet ſit de conceptu formæ vis actiua, paſſiua vero de conceptu materiæ. Boetius autem loquitur de forma omnimodè ſimplici nō ſolum ſubſtantialiter, & quoad naturam, ſed etiam accidentaliter; & vndequaque. Ex quo vlterius patet ad tertium. Quia vt aliquid ſit purus actus non ſufficit ſimplicitas ſubſtantialis naturæ, ſed requiritur prætetea exclufio cōpoſitionis ex natura, & ſubſiſtentia, necnon ex ſubſtantia, & accidenti; Maximè vero requiritur excluſio potentialitatis, ſeu capacitatis ad non eſſe ſimpliciter. Nihil autem horum conuenit Angelo, licet non conueniat materia cuius propriū eſt, vt ſit potentia ad formam ſubſtantia-

lem, de qua ſola potentia agitur in 1. Phyſ.

Ad 4. Non ita eſt de conceptu perfecti, vt ſit propter perfectibile, ſicut eſt de conceptu imperfecti, vt ſit propter perfectiuum. Potentia autem ex ſuo conceptu eſt imperfecta, & actus perfectio. Ergo licet potentia foret perperam, niſi ordinaretur ad actum, quo compleri, ac perfici poſſet; non tamen eſt de conceptu actus, vt ſimiliter ordinetur ad potétiam, ſitque perperam, niſi coniungatur cum aliquo potentiali, & incompleto reſpectu ſui. Iam potentialitas ad nihilum quæ eſt eſsentialis enti creato nō eſt propria materiæ, nec prouenit vniuerſaliter ex materia, ſed ex quauis indiſcriminatim limitatione perfectionis finitæ, qualis vtique eſt perfectio Angeli, licet ſit ſimplex quoad naturam.

Ad 5. In ijs quæ componuntur ex materia, & forma, de quibus agit Philoſophus genus deſumitur potiſſimum ex materia, & differentia ex forma, quatenus materia eſt magis indifferés reſpectu formæ, quàm forma reſpectu materiæ; ſicut genus eſt magis indifferens reſpectu differentiæ, quàm è conuerſo. Cæterum compoſitio ex genere, & differentia ex ſuo conceptu eſt compoſitio tantum logica, ſoliuſque rationis noſtræ concipientis eamdem totam entitatem, modo relatè ad accidentia, & operationes, ſeu ad con-

connotata magis vniuerſalia, & quæ in pluribus vniformiter reperiuntur, modo relatè ad connotata minus vniuerſalia, ſeu quæ in paucioribus reperiuntur. Vnde eadem entitas concepta priori modo dicitur genus; differentia vero prout concepta poſteriori modo. Patet autem diuerſos iſtos concipiendi modos dari poſſe independenter à compoſitione ſubſtantiæ ex materia, & forma. Quia independenter ab eadem ſubſtantiali cõpoſitione dari poteſt vniuerſitas illa accidentium, ſeu connotatorum magis, & minus communium, vt infra patebit, præſertim quæſt. 4. Circa hoc argumentum differit latè Vaſquez in præſenti integra de eo inſtituta diſputatione.

Ad 6. Quæ ſunt diuiſa in inferioribus, ac imperfectioribus, in ſuperioribus, ac perfectioribus exiſtunt indiuiſa. Quia eſt proprium imperfecti indigentia plurium, vt completè, & intra ſuum genus perfectè exiſtat. Quapropter ex neceſſitate ſenſibilium, atque corporalium rerum, vt componantur ex partibus eſſentialibus, non arguitur neceſſitas ſimilis compoſitionis in ſpiritualibus, adeoque perfectioribus ſubſtantijs. In quibus nimirum militat oppoſita ratio Quod additur de compoſitione fundata in conceptu finitæ, ac lim,tatæ perfectionis, non conuincit Quia ad limitationem propriam perfectionis finitæ non eſt præ-

citè neceſſaria compoſitio eſſentialis, ſed ſufficit quæuis alia compoſitio obſeruata, atque attributa Angelo in reſponſ. ad 1. fine.

Ad 7. Eſto ſubſtantiæ intellectuales, maximè vero, quæ ſunt purè intellectuales ſint quodammodo, & ſecundū quid infinitæ, ac illimitatæ, quatenus infinita ipſumque per eſſentiam ſimpliciter infinitum Deum intelligere, ac velle poſſunt; Abſolutè tamen ſunt finitæ, ac limitatæ, tum quia finitè intelligunt, & volunt obiectum infinitum; tum quia non continent in ſe omne genus perfectionis, ſed ſub determinato genere continentur. Quod quidem eſt commune omni enti creato, qua creatum eſt, atque eſſentialiter dependens ab alio. Quia eo ipſo deeſt hæc ſaltem perfectio ſufficientis ſibi ſe ſolo, nec dependentis ab alio, eodemque indigétis. Non ergo requiritur materia ad huiuſmodi limitationem, ac finitionem.

QVÆ-

QVAESTIO III.

Vtrum Angeli ſint incorruptibiles, ac defectibiles ex ſua natura.

VIDENTVR non eſſe indefectibiles ex ſua natura, ſed ex ſola gratia Dei. 1. quia res creatæ abſque vlla exceptione dependēt à libera,& pure gratioſa voluntate Dei nō minus quoad conſeruationē ipſarum, quam quoad primam earumdem productionē, vt apparet, ex Sapient.11. & Actor. 13. Nihil autem creatum neceſſe eſt, vt exiſtat ſimpliciter, & abſolutè ex natura ipſa rei.

2. Confirmatur ratione paritas in prædictis auctoritatibus contenta, quia creaturæ poſtquam iam exiſtunt nullam habent vim maiorem permouendi voluntatem diuinam ad conſeruationem ſui, quam prius haberent permouendi ad primam ſuam exiſtentiam. Quia non habent bonitatem maiorem poſtea, quam antea, ſed ſemper habent omnino eamdem. Neque vero ex vi primæ productionis, quæ fuit omnino gratioſa, vllum ius acquiri illis potuit ad vlterius conſeruationis beneficium. Quia nihil gratuitum grauat, aut reddit debitorem auctorem gratiæ, Ergo quælibet

rerum

creatarum; ac proinde, & Angelorum conſeruatio eſt gratioſa, & liberalis, non minus aut aliter, quàm prima exiſtentia.

3 Sophronius in Epiſtola, quæ habetur in 6 Synodo act. 11. & approbatur act. 13. *Nullatenus quidem moriũtur*, inquit de ſpiritualibus creaturis, *neque corrumpuntur, iuxta quod ſenſibilia defluunt, atque tranſeunt; non tamen ſunt immortalia per naturam, nec in eſſentiam incorruptibilem trãſeunt, ſed gratiam eis largitus eſt Deus à corruptione ea, & à morte coercẽtem.* Spirituales igitur ſeu Angelicæ creaturæ hoc ſolum differunt à ſenſibilibus iſtis, & ſublunaribus rebus, quod non habent intrinſecam neceſſitatem tranſeundi, ſeu intereundi; ſed non, quod præterea habeant neceſſitatem aliquam intrinſecam non tranſeundi ſeu non intereundi. Alioquin non ex gratia, ſed ex debito eſſet, vt à corruptione & à morte coercerentur, contra quàm illi Synodo viſum eſt.

4. Plures SS. PP. gratiæ Dei ſimiliter tribuunt quod Angeli nunquam deficiant, cui tamen non tribuuntur, quæ neceſſitate naturali conſequntur ad aliquid: ſicut calor ad ignem, motus ſurſum, ac deorſum ad leuitatem, & grauitatem. Audiatur inter alios Bernar. lib. 5. de cõſid. cap. 4. *Corporeo æthereos* dicit Angelos, *immortalitate perpetuos, impaſſibiles, nõ creatos, ſed factos, id eſt gratia, non natura. Si-*

mi-

militer Damaſcenus lib.2.fidei orth.c 3. *Angelus eſt ſubſtantia per gratiam non per naturam, immortalitatem conſecuta.* Ergo immortalitas non conſequitur naturali neceſſitate ad exiſtentiam Angeli.

5. Proprietates cuiuſque rei ideo ad ipſam conſequntur naturali neceſſitate, quia eidem ineſt ſufficientia intrinſeca ad illas ſibi ſuperaddendas. Nempe quæcunque ſuperant ſufficientiam, & vim actiuam vnicuique intrinſecam, eo ipſo ſunt gratioſa, nec eſt aliud caput agnoſcendi gratiam Dei propriè talem in conceſſione, ac ſupererogatione alicuius doni. Angeli autem non habent in ſe ſufficientiam ſibi intrinſecam ad conſeruationem, ſed ſola Dei actiuitate ſuperaddi illa poteſt primæ ipſorum exiſtentiæ. Ergo conſeruatio, & perpetuitas Angelorum non naturali neceſſitate ſubſequitur, ſed ex gratia Dei propriè tali vnicè prouenit.

6. Angeli poſſunt annihilari de potentia ſaltem abſoluta Dei, vtque annihilabiles ita ſint conuenit ipſis intrinſecè ex ſua natura, ac eſſentia. Nulla igitur annihilationis impoſſibilitas conuenire poteſt Angelis ex ſua præcisè natura, ac eſſentia.

7. Si Angeli eſſent ex ſua natura immortales, ac indefectibiles, non ſolus Deus eſſet immortalis. Solus autem eſt immortalis vt liquet ex illo 1. ad Timoth.

moth. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem*,

Art. 1. Reſpondetur. Certum primò eſt Angelos non eſſe eſſentialiter indefectibiles ita vt nec de potentia abſoluta annihilari poſſint. Hoc enim ex locis indicatis Sapientiæ, & actorum, alijſque pluribus ſacris teſtimonijs pertinet, ad articulum fidei quoad omnia vniuerſim creata. Et ratio eſt manifeſta, quia omnia creata pendent eſſenti liter ab influxu actuali Dei, quam quo minus ſuſpendat, quando libuerit, vtque libeat, nulla vis, nullaque ratio prohibere omnino poteſt. Certum rurſus eſt nullius cauſæ creatæ vi, & actiuitate corrumpi, aut quoquo modo deſtrui poſſe Angelos. Quia adæquatè dependent, à ſola Dei cauſalitate, contra quem nulla alia cauſa præualere poteſt. Et præterea carent corpore, nec ſubſunt cõtrarietati qualitatũ inuicem pugnãtiũ. His autẽ ſecluſis nullus eſt locus corruptioni, aut deſtructioni vlli inducendæ per cauſas ſecundas, vtpotè agentes dependenter à præſuppoſito ſubiecto, & inducendo alterationem per contrarias qualitates. Vnde Angeli proculdubio ſunt incorruptibiles, ac indeſtruibiles comparatione cauſarum ſecundarum, nec ex ſe ipſis naturali neceſſitate tendunt ad corruptionem, & mortem ſicut homo.

Art. 2. His ſuppoſitis nulla ſupereſt controuerſia realis apud eos auctores, qui

nullam

nullam in Deo agnoſcunt neceſſitatem ad ea quæ vnicuique connaturalia ſunt ſuperaddenda potiùs, & concedenda, quàm neganda, ac detrahenda. Verum quia hæc opinio pluribus efficaciter reiecta eſt quæſt. 28. de Deo, vbi demonſtratum eſt dari in Deo neceſitatem aliquam peculiarem ſubinducendi, ac ſuperaddendi quæ ſunt vnicuique connaturalia, nec fieri vllatenus poſſe, vt ea negentur à Deo, niſi rarenter, & facta compenſatione vt minimum æquali; diſcutiendum re ipſa ſupereſt an tali aliqua neceſſitate adſtringatur Deus ad æternã à parte poſt Angelorum conſeruationem ex ſuppoſitione, quod eos purè gratioſè & abſque vlla prorſus neceſſitate, ſed cũ omnimoda libertate, ac indifferentia ſemel produxerit; itaut ex natura ipſa rei ſecundum ſe præcisè conſiderata, ſpes naturaliter certa ſolumque miraculosè fruſtrabilis concipi poſſit de æterna eorum duratione, & conſeruatione? Dicendum autem eſt, Angelos eo ſenſu eſſe incorruptibiles immortales, ac indefectibiles, Ita docet D. Thomas quæſt. 50. art. 5. & 2. cõntra gent. cap. 54. & alibi ſæpè alijque Theologi communiter aduerſus Vaſquez, & paucos alios. Probatur primo ex poteſtate Angelorum ad peccandum, & honeſtè operandum. Nempè Angelis debetur ex natura rei poteſtas proxima ad actiones, tum lethaliter pec-

paccamin ſas, tum honeſtas, ac merito ri s. Actionibus autem lethaliter peccaminoſis debetur itidem ex natura rei pœna æterna, ac per conſequens actioni contrariæ honeſtæ, ac meritoriæ debetur præmium æternum. Cum ergo Angelo naturaliter repugnet, vt exiſtat abſque alterutra ex ijs duabus operationibus; repugnat vtique naturaliter, vt deſinat aliquando eſſe poſtquam iam ſemel extitit. Manifeſtum namque eſt ſubſtantiæ connaturaliter mortali, ac defectibili, ſeu non immortali, ac indefectibili connaturaliter non poſſe naturali neceſſitate conuenire operationes habẽtes deuinctam ſibi ex natura rei æternitatem ſui principij, ac ſubiecti. Patet rurſus æternitatem à parte poſt debitam connaturaliter alicui coniunctio non poſſe eſſe indebitam naturaliter parti, cui eſt debita coniunctio cum altera parte. Subſtantiæ autem Angelicæ vt coniunctæ cũ eum peccato lethali cum merito oppoſito eſt debita connaturaliter æternitas à parte poſt, vt dictum eſt in illa quæſt. 26. de Deo, & liquet ex dictis in qq. de merito ex communi Theologorum conſenſu; atque vt coniungatur cum alterutro ex ijs extremis eſt eidem ſimiliter debitum ex vnanimi omnium conſenſu. Eſt igitur debitum ex natura rei ſubſtantiæ Angelicæ vt æternum maneat, duretque indefectibiliter.

Art. 3. Idem efficaciter perſuadet ratio qua ſecundo loco vtitur D. Thomas. Nempe prioris rationis efficaciam, & cõuenientem limitationem ego nec apud ipſum aſſequor ſatis, nec apud commentatores. Ratio autem illa poſterior deſumitur ex natura operationis Angelicæ quatenus modus operationis manifeſtat modum, & naturam operantis. Modus vero, & natura operationis innoteſcit ex obiecto eius. Obiectum autem operationis Angelicæ eſt æternum, & indefectibile. Quia Angelus per intellectionem cognoſcit veritates neceſſarias, ac indefectibiles abſtrahentes à loco, & tempore, atque per amorem ad eaſdem afficitur. Ergo natura Angelica eſt intrinſece indefectibilis, & æterna, nec naturaliter fieri poteſt, vt aliquando deſinat eſſe. Confirmatur. quia Angelus naturaliter cognoſcit poſſibilem ſemper eſſe vlteriorem ſui conſeruationem, eamquè ita ſibi propoſitam naturaliter appetit. Quia vnumquodque naturali neceſſitate propendet in ſuum eſſe, & conſeruationem, quantum poſſibile eſt, tam per appetitum elicitum, ſi intellectu præditum ſit, quàm per innatum. Ne igitur perperam, & ad puram torturam inditus ſit Angelo, talis cognitio, & appetitio neceſſe eſt, vt eius ſubſtantia ſit naturaliter indefectibilis, æternumque manens. Huiuſmodi porro argumenta quam plura cõfici multipli-

tipliciter poſſunt ex poſſibilitate, & plurium ſine fine reflexionum ſupra quamlibet intellectionem directam, ex vi memoratiua ſemper vlterius ſuperſtitè circa quamlibet operationem, ex prouidentia ſemper ſimiliter poſſibili circa futurum, ex poſſibilitate mutui affectus amicabilis inter Angelos appetentes mutuo permanentiam indeſtectibilem exque, alijs eiuſmodi.

Art. 4. Non eſt prætermittenda poſt hæc ratio alia communis Theologorum deſumpta ex defectu contrarij: Repugnat enim ex natura rei vt id deſinat eſſe, cuius nullum eſt contrarium in rebus creatis ſeu cuius æternæ permanentiæ in eſſe nihil creatum aduerſatur, neque directè, neque indirectè. Quia Deus nihil corrumpit eorum, quæ ipſe facit, quantum eſt ex ſe præcisè, quia nihil odit eorum, quæ facit, ſed diligit omnia quæ ſunt, atque ſine pœnitentia ſunt dona Dei. Quæ ſunt principia reuelata, & ratione naturali congruentia manifeſtè, quatenus nihil deſæuit ſponte in opus ſuum. nec facit quidquam, vt deſtruat, nulla ratione deſtruendi aliunde ſuperueniente de nouo. Angelica autem natura, ſiquidem eſt ſimplex, & caret mate ia forn arum contrariarum capaci, vt dictum eſt, nullum habet contrarium nec vlla cauſa creata inducere poteſt vi ſua formam, aut effectum vllum incompoſſibilem cum exiſtentia, &

conſeruatione eius; quandoquidem nulla cauſa creata agere quidquam poteſt niſi dependenter à mate ia, & ſubiecto cõmuni. Sed neque indirectè deficere poteſt Angelica natura propter defectum, aut abſentiam ſuæ cauſæ ad eum modum, quo deficit lux ſolaris abeunte ſole. Quia Angelus cauſam adæquatam, & auctorem ſui vnicum habet Deum eſſentialiter indefectibilem, & vbique præſentem ſemper. Accedit Angelum exiſtere primario gratia ſui comparatione aliarum omnium rerum creatarum, vt pote amicabiliter diligibilem à Deo, & ſic dilectum, niſi obſtet peccatum. Quæ autem exiſiunt gratia ſui, nullis ſunt ex ſe præcisè circumſcripta limitibus certè, ac determinatæ durationis. Accedit rurſus vniuerſitatem rerum creatarum eſſe naturaliter indefectibilem, ac æternam. Rationes autem propoſitæ in quæſtione præcedẽti ab art. 17. pro neceſſitate exiſtentiæ Angelorum ex ſuppoſitione, quod exiſtat reliqua vniuerſitas rerum, æqualiter perſuadent, vt apparet conſideranti, eandem neceſſitatem permanentiæ Angelorum quouſque manet idem vniuerſum.

Art. 5. Probatur poſtremò hæc veritas naturalis immortalitatis, ac indefectibilitatis Angelorum auctoritate in primis Conc. Later. 3. ſub Leone 10. ſeſſ. 8. vbi ſic definitur de anima rationali. *Cum diebus noſtris nonnulli auſi ſint dicere de natu-*

ra anima rationalis quod mortalis ſit &c. ſacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectiuam mortalem eſſe. Natura autem Angelica eſt perfectior, magiſque intellectiua, quam anima rationalis. Ergo à fortiori negandum eſt eam eſſe mortalem. Quod autem negatur eſſe mortale, eo ipſo dicitur eſſe immortale. Et rurſus aliud eſt eſſe mortale, vel immortale, & eſſe, vel non eſſe moriturum, vt ponderat alicubi Auguſtinus. Quia eſſe mortale, vel immortale refertur ad exigentiam intrinſecam, atque ad intrinſecam neceſſitatem, vel impoſſibilitatem moriendi, ac deficiendi. Eſſe vero, vel non eſſe moriturum dicitur relatè ad extrinſecam, & accidẽtalem determinationem cauſæ liberę reſpectu interitus, vel conſeruationis. Conuenit ergo Angelis ſicut & animæ humanæ immortalitas ſumpta pro ęterna indefectibilitate naturali ad eum modum, quo conuenit homini mortalitas ſumpta pro naturali neceſſitate intereundi. Accedit auctoritas Dionyſij dicentis cap. 4. de diu. nom. intellectuales ſubſtantias *vitam habere indeficientem, & ab vniuerſa corruptione, morte, & materia, & generatione mundas exiſtere*; Ac deinde ſuperaddit, *animam humanam poſt Angelos habere immortalem vitam, vt ſit, & poſſit ad Angelorum aſpicere vitas*. Eadem immortalitatis voce vtuntur circa Angelos Auguſtin.

lib. 12.

lib. 12. de Ciuit. cap. 15. alijque plures SS. PP. nec eſt vlla ratio, quę cogat ad dimouendam eam vocem à proprija ſua, & communiter ab omnibus vſurpata ſignificatione, quæ nuper obſtructa eſt immo adeſt ratio in contrarium, vt patet ex dictis. Certiſſime igitur tenendum eſt. Angelos ex ſua natura eſſe naturaliter indefectibiles, ſeu incorruptibiles, & immortales, quod & plerique Philoſophi docuere olim teſte Eugubino lib. 8. de perenni Philoſophia.

Ad 1. Auctoritates illæ ſolum aſſerunt annihilationem rerum omnium poſſibilem de potentia Dei abſoluta, nihil derogando indefectibilitati earum connaturali, iuxta documentum Cyrilli lib. 8. Theſauri cap. 2 *Quæ naturis præcipuè inſunt, ea reſpectu Creatoris nihil ſunt. Quare ſicut ignis combuſtiuus quidem eſt, ſed nō Deo, ſic etiam Angelus immortalis quidem eſt, ſed non Deo.* Sicut ergo non obſtante potentia Dei ad impediendam combuſtionem, ignis naturali neceſſitate comburit; ita non obſtante eadem potentia ad annihilationem Angeli, Angelus naturali neceſſitate æternum manet. Alioquin vbicumque ſacræ litteræ commendant potentiam Dei ad effectus, & euentus, qui non niſi miraculosè exiſtere poſſunt, docerent eo ipſo nullam rebus creatis ineſſe neceſſitatem naturalem ad effectus, & euentus oppoſitos. Quod eſt abſurdum.

Qua-

Quapropter ea paritas, & coniunctio quoad exiſtentiam, & conſeruationem non eſt totaliter vniformis quoad vtrumque extremum, ſed ſolum adſtruit potentiam ſimpliciter circa vtramlibet, & circa vtraque.

Ad 2. Illi rationi fusè, ac plenè ſatiſfactum eſt quæſt. illa 28. de Deo præſertim ad 1.2.& 3. In ſumma nullum ius acquirit aduerſus Deum vlla creatura ex vi primæ exiſtentiæ ſuæ. Deus tamen eadem ſua voluntate, qua tribuit rebus exiſtentiam, imponit ſibi voluntariam neceſſitatem operandi iuxta naturam, & exigentiam intrinſecam ipſarum, quatenus opus eſt, ne quid perperam fecerit. Oſtenſum autem eſt hoc modo neceſſariam eſſe conſeruationem Angelorum, ſuppoſita eorum exiſtentia. Neceſſaria igitur eſt eorum conſeruatio aliqua peculiari neceſſitate, qua neceſſarium nequaquam fuit, vt exiſterent abſolutè.

Ad 3.& 4. nomẽ gratiæ aliquoties, nec abſurdè, accommodatur donis, quæ per diuinam potentiam abſolutè negari poſſunt, licet debeantur ex natura rei, vt dictum eſt quæſt. 1. de gratia ex Auguſt. Epiſt. 95. & 106. Oportuit verò immortalitatem hoc ſenſu Angelis gratioſam, & definiri à Concilio, & doceri à SS. PP. propter quoſdam olim exiſtimantes cum Philoſoph. l,2. de cœlo tex.36. & lib.12. Metaph. tex,44. eorum immortalitatem

eſſe

ſſe eſſentialem. Quod eſt hæreticum. Eiuſmodi autem error nunquam extitit de alijs donis connaturaliter debitis, eaque propter ſimilis de illis nec definitio extat, nec vſurpatur locutio. Hoc pacto rediguntur in concordiam ſententia illa eius Synodi ponderata in obiectione, & hæc alia eiuſdem Synodi definitio ibidem; *Deum animas, & Angelos condidiſſe immortales*; nec non teſtimonia illa Bernardi, & Damaſceni, & ea quæ ſuperius inſinuata ſunt pro noſtra ſententia. Nec obſtat, quod præcipuè expendit Martinon, illa antitheſis; *non natura, ſed gratia.* Quia tò *natura* perinde eſt atque eſſentialiter, ſeu per eſſentiam cum Metaphyſica neceſſitate, quo ſenſu nihil creatum eſt indefectibile. Confirmatur quia Cyrillus eſt vnus ex PP. vtentibus illa contrapoſitione, *non natura, ſed gratia*; Et tamen Angelos vult eo modo eſſe immortales, quo ignis eſt combuſtiuus, vt liquet ex verbis relatis ad 1. ſolus Damaſcenus videtur prorſus alienus ab hac expoſitione. Verum quia eius contextus non ſolam præſefert indifferentiam, vt patet legenti, ſed etiam naturalem neceſſitaté Angelum ad interitum intra tempus determinatum, quod omnino exorbitat à vero, & probabili; propterea vel maximè eſt piè vtcumque interpretandus.

Ad 5. Vt aliquid conſequatur naturali neceſſitate ad aliquid aliud nó eſt præcisè

D ne-

neceſſarium, vt poſterius contineatur in priori in genere cauſæ efficientis, vt patet in neceſſitate, qua conſequitur creatio, exiſtentia. & vnio animę rationalis ad corpus quatenus congruenter organizatum, ac diſpoſitum. Sufficit ergo mutua proportio intrinſeca inter prius, & poſterius, fundans exigentiam, & appetitum innatū prioris reſpectu poſterioris; ita vt negato poſteriori perperàm aliquid datum fuerit in entitate priori. Patet autem ex dictis, adeſſe in Angelo eiuſmodi proportionem reſpectu æternæ ſuæ durationis. Deinde licet Angelus non poſſit actiuitate ſua conſeruare ſe in æternum, habet nihilominus actiuitatem ſufficientem ad collectionem, & ſpecies operationum, quæ ex ſua natura poſtulant æternam, ac indeficientem permanentiam operantis, vt multipliciter innotuit ſupra.

Ad 6. Plura pluribus repugnant phyſicè, & ex natura rei, quæ non repugnant metaphyſicè, ac eſſentialiter. Quod eſt omnibus notiſſimum. Quod ergo Angelus annihilari poſſit de potentia abſoluta, id eſt non repugnet metaphyſicè annihilatio, idque ei conueniat ex ſua natura, ac eſſentia, nequaquam probat id ipſum eidem non repugnare phyſicè & ex natura rei, aut hoc ei non conuenire ex ſua ipſius natura,

Ad 7. Deus habet immortalitatem qua-

qualis nulli rei creatæ conuenire poteſt ratione magnitudinis ſuæ perfectionis. Habet enim immortalitatem eſſentialiter repugnantem deſitioni ſuæ, & non tantum ex natura rei; propRereaque veriſſimè dicitur per antonomaſiam, ac excellenter ſolus habere immortalitatem; tametſi immortalitas ex natura rei tantũ, & abſolutè dependens a voluntate, & potentia alterius ſit communis alijs ſubſtantijs. Quo videlicet pacto plura alia prædicata exponuntur in ſacris litteris tanquam propria ſolius Dei tametſi cum aliqua ſimili limitatione, iam expreſſa, iam ſubintellecta, attribuantur creaturis, vt quòd ſolus ſit bonus, & iuſtus, ſolus potens &c. Hoc modo exponit textum illum Pauli inter alios Iſidor, lib. 1. ſentent. cap. 1. *Angeli, & anima immortales ſunt, ſed immutabiles non ſunt ideoque ſolus Deus dicitur immortalis, quia ſolus eſt incommutabilis.* Similiter dici poteſt Angelus ens neceſſarium non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione quod iam ſemel extiterit, idque exprimendo ſimul, vel ſubintelligendo limitationem, ex natura rei, ſeu connaturaliter.

QVAESTIO IV.

Vtrum Angeli ſint multiplicabiles ſecundum ſpeciem?

VIDENTVR eſſe immultiplicabiles ſecundum ſpeciem. 1. Quia quæcunque cõueniunt quoad prædicatum, quod in eis vniformiter omnibus eſt nobiliſſimum, & præcipuum, ſunt eiuſdem infimæ ſpeciei. Differentia enim ſpecifica vniuſcuiuſque eſt ſuprema, & vltima eius perfectio, & comparatur cum prędicatis omnibus genericis, ſicut comparatur forma cum materia, vt paulo prius dictum eſt ex Philoſopho, aliorumque communi ſenſu. Omnes autem ſubſtantiæ intellectuales creatæ cõueniunt inter ſe quoad prædicatum, quod in eis eſt præcipuum, ac nobiliſſimum. Conueniunt enim quoad intellectualitatem, cui nullum aliud prædicatum poteſt ſuperaddere tantundem perfectionis, atque præſupponitur in ipſa intellectualitate ſecundum ſe, vt patet ex dictis quæſt. 1. a. 22. & ad 7. Omnes igitur ſubſtantiæ intellectuales creatæ ſunt eiuſdé infimę ſpeciei.

2. Quo aliquid eſt propinquius Deo, adeòque ſimilius ipſi, qui eſt eſſentialiter

ter omnibus modus immultiplicabilis, eò eſt minus multiplicabile, minorem que ſubire poteſt rationem diuiſionis, ac multiplicitatis. Angeli autem ſunt propinquiſſimi, & ſimillimi Deo inter omnia creata. Diſtinctio verò, & multiplicitas ſpecifica eſt maxima diſtinctio, & multiplicitas; certè diſtinguit, ac diuerſificat multò magis, quàm diſtinctio, & multiplicitas purè indiuidualis. Ergo in Angelis ſola eſt poſſibilis diſtinctio, & multiplicitas purè indiuidualis, & non etiam quoad ſpeciem.

3. Differentia, penes magis, & minus tantum, non eſt differentia ſpecifica, vt patet in qualitatibus magis, & minus intenſis. Angeli autem ſolū differunt penes magis, & minus. Nempe quatenus vnus perſpicacius, & alius minus perſpicaciter intelligit. Ergo nulla differentia poſſibilis inter Angelos eſt ſufficiens ad ſpecificam inter ipſos diuerſitatem.

4. Viſiones Dei, licet in diuerſis beatis ſint inæquales iuxta inæqualitatem meritorum, quibus cum ſinguli decedunt; omnes tamen ſunt eiuſdem infimæ ſpeciei propter identitatem obiecti formalis adæquati, circa quod verſantur, vt dictum eſt quæſt. 13. de Deo præſertim ad 3. Simili igitur ratione omnes ſubſtātiæ intellectuales, vtcumque inter ſe diuerſæ, ſunt eiuſdem infimæ ſpeciei. Quia videlicet omnes vniformiter am-

plectuntur totam latitudinem entis. Omnis enim, & cuiuſuis ſubſtantiæ intellectualis obiectum adæquatum eſt ens vt ſic, prout complectitur ſub ſe omnes vniuerſim rerum differentias.

5. Subſtantia intellectualis diuiditur adæquatè in incorpoream, & corpoream, tanquam in partes inuicem oppoſitas. Altera autem ex his differentia, nempe corporea comprehenditur tota ſub vnica ſpecie infima, quæ eſt homo nec ſunt poſſibiles duæ animæ rationales diſſidentes inuicem ſpecie. Ergo altera quoque differentia, ad quam pertinent Angeli, comprehenditur ſimiliter ſub vnica ſpecie infima, nec sũt poſſibiles duo Angeli diſſidentes inuicem ſpecie Patet conſequẽtia, quia oppoſitorum eadem eſt ratio, & diſciplina, & inſuper, quia maiori perfectioni magis repugnat multiplicitas vt nuper dicebatur; atqui perfectio Angelorum eſt maior, quam perfectio hominum.

6. Siquæ admittatur diuerſitas ſpecifica inter Angelos, ſequitur admittendum eſſe proceſſum in infinitum Angelorum magis, & magis perfectorum abſque vllo limite. Nulla namque ratio reddi poteſt, nulla certè hucuſque inuenta eſt, ob quam dicantur poſſibiles, aut exiſtentes de facto decem, viginti, aut centum ſpecies Angelorum gradatim inæqualiũ, & non dicantur poſſibiles ſimiliter, aut

exi-

exiſtentes de facto multo plures nempè mille centum millia, &c. Quæ ſequela eſt manifeſtè abſurda. Quod autem dicitur communiter à modernis Theologis Deum libera ſua voluntate conſtituiſſe *numerum* determinatum ſpecierum Angelicarum, quantos ſibi placuit abſque vlla ratione exigente talem numerum potiùs quàm alium maiorem, vel minorē, non videtur rectè, ſapienterque dici. Quia Deus neceſſariò facit ſapientiſſimè quicquid facit, atque *omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit*, vt dicitur Sap. 11, 21. Vnde irrationabiliter dicitur Deum aliquid ſua voluntate ſpecialiter diſpoſuiſſe in aliqua materia abſque peculiari ratione conuenientiæ ex parte ipſius. Id porrò magis neceſſarium eſt fateri de ſubſtantijs ſpiritualibus, quarum eſt maior perfectio, maiuſque momentum, quàm de rebus corporalibus, quas patet optima ratione fundata in intrinſeca earum exigentia tales, tot, & tantas conſtitutas eſſe de facto.

Art. 1. Reſpondetur. Sicut corpus quodlibet, quo maius eſt, eò eſt diuiſibile in plures partes, quarum ſingulæ per ſe ſeorſim ſubſiſtere poſſunt; ita genus quodlibet perfectionis, quo maior ipſa eſt, eò eſt diuiſibile in plures ſpecies, quę ſunt veluti partes generis quarum ſingulæ per ſe ſeorſim ſubſiſtere poſſunt. Ita viuentium ſunt plures ſpecies, quàm non

non viuentium, nec non animalium, quã plantarum, & ſic de ſimilibus. Similiter quia Deus eſt infinitæ perfectionis, ſunt poſſibiles infinitæ eius participationes inter ſe diſpares, ac diſſidentes inuicem ſpecie. Cum igitur genus ſubſtantiæ intellectualis creatæ ſit ſummæ perfectionis infra Deum, dicendum eſt ſub hoc genere eſſe poſſibiles plures ſpecies inter ſe diuerſas, quàm ſub vllo genere inferiori pluresque de facto dari ſub illo, quã ſub vllo alio. Ratio huius rei vlterior à priori eſt. Quia ſicut agentia phyſica diſtinguuntur inter ſe ſpecie penes virtutes actiuas inter ſe diſpares ad producẽdos effectus magis, & minùs perfectos eſſentialiter, & plures, aut pauciores cęteris paribus; ita ſubſtantiæ intellectuales diſtingui poſſunt inter ſe ſpecie, penes virtutem intellectiuam magis, & minus fæcundam ad cognitiones, & effectiones magis, & minus perfectas, & plures, vel pauciores cæteris paribus. Cum ergo poſſibile ſpontè appareat, vt vna ſubſtãtia intellectualis poſſit plura ſimul, ac præſtantiora complecti indiuiſim vnica cognitione, quàm alia ſubſtantia intellectualis; & ſimiliter de amore; ac proinde vt vna plures ſpecies cognitionum, & amorum elicere poſſit; patet poſſibiles eſse ſubſtantias intellectuales ſpecie inter ſe diſſidentes, tantamque eſse amplitudinem diuerſitatis huius ſpecificæ, quan-

ta

ta eſt poſſibilis diuerſitas, & inæqualitas eiuſmodi cognitionis. Quæ enim vero poſſibilis diuerſitas cognitionum inuicem diſparium, idemque dicitur de affectionibus, procedi in infinitum, certè eſt multiplicabilis multo magis quam diuerſitas poſſibilis obiectorum directè cognoſcibilium. Quia combinationes, & diſiunctiones poſſibiles circa quamlibet determinatam collectionem rerum ſunt incomparabiliter plures quàm res in collectione contentæ; atque cognitiones, & potentiæ cognoſcitiuæ ſunt multiplicabiles, & variabiles totidem vt minimum modis, vt patet ex ratione propoſita. Subſtantiæ igitur intellectuales ſunt multiplicabiles ſpecie, multò plus, quàm ſubſtantiæ, & res omnes materiales.

Art. 2. Licet autem ab intellectu humano determinari, & comprehendi minimè poſſit, quot ſdentur de facto ſpecies Angelorum; A quo nimirum neque ſpecies rerum corporalium, nec omnes vniuerſim, nec quæ ad vnum quodque determinatum genus, & claſſem pertinent, determinari, & comprehendi poſſunt: Legitima nihilominus ratione deduci poteſt qualem oportuerit eſſe ſpeciem tum ſupremam, tum infimam Angelorũ. Nam quod ad infimam attinet, conſtat eam eſſe paulò perfectiorem, quàm ſit homo. Primo quia ex teſtimonio Dauidico ponderato ſupra quæſt. 1. art. 5. compar-

ſtat hominem paulò minùs ab Angelis mi- noratum eſſe, ac proinde infimum Ange- lum eſſe paulò perfectiorem homine. Deinde quia in rebus omnibus alijs appa- ret manifeſtè principium illud deriuatum à Dionyſio, quod ſupremum infimi attin- git infimum ſupremi. Ergo homo qui eſt ſupremus inter corporalia pertingit pro- ximè infimam ſpeciem ſubſtantiarum pu- rè ſpiritualium. Quod autem attinet ad ſupremam Angelorum ſpeciem: Sicut ſu- premum, & maximum corpus eſt, quod ambit, & continet intra ſe reliqua omnia corpora; Ita ſupremum intellectiuum creatum credendum eſt, eſſe, quod vno intuitu comprehenſiuè cognoſcere, & adæquatè complecti poteſt ſe, & omnes, & ſingulas res creatas pertinentes ad per- fectionem, & complementum connatu- rale huius vniuerſi. Et quidem quod ne- ceſſaria ſit ex natura rei ſubſtantia aliqua intellectualis creata capax vaſtæ eiuſmo- di lateque potentis comprehenſionis effi- caciter concluditur iiſdem illis rationi- bus, quibus exiſtentia Angelorum vni- uerſaliter comprobata eſt quæſt 1. art. 17. 18. & 19. maximè verò 20. Quia totum iſtud vniuerſum adæquatè ſumptum fun- dat ſpecialem laudem, & gloriam crea- toris, eamque maiorem, quam quæ niti- tur ſingulis quibuſuis eius partibus ſeorſim ſumptis, atque eſt capax quantum eſt de ſe, vt moueat ad cognitionem attributi- uam

uam totius eius laudis, & gloriæ. Vnde ſi non daretur ſubſtantia intellectiua creata, quæ poſſet cooperari toti illi virtuti motiuæ vniuerſi totius, atque edere cognitionem comprehenſiuam ipſius adæquatè ſumpti, aliquid exiſteret perperàm in ipſo vniuerſo, nempe virtus eiuſmodi motiua ad cognitionem tantæ perfectionis. Rurſus ad perfectam directionem rerum creatarum non ſufficit vis directiua perfectè comprehēdens ſingulas quaſque partes vniuerſi, ſed neceſſe] inſuper eſt, vt detur vis directiua comprehendens perfectè omnes ſimul, & ſingulas partes eiuſdem vniuerſi, ipſumque vniuerſum. Perfecta namque directio alicuius totius indiget cognitione eiuſdem totius adæquatè ſumpti vltra cognitiones ſingularū ſeorſim partium; ſicut perfecta directio exercitus indiget ſupremo Duce totum ipſum exercitum conſiderante vltra centuriones, & alios inferiores adminiſtros, qui incumbūt determinatis exercitus partibus. Neceſſaria igitur eſt ex natura rei exiſtentia Angeli tantæ perfectionis, qui valeat indiuiſim comprehendere perfectè totam totius ordinis naturalis vniuerſitatem.

Art. 3. Quod autem hanc menſuram nullius Angeli exiſtentis de facto perfectio excedat, ex eo concluditur efficaciter. Quia res omnes creatæ ita ſunt invicem ordinatæ ex natura ipſa rei, vt

nulla excedat iuſtam reliquarum propor-tionem, ſed omnes concinnè ac harmonicè ſibi inuicem correſpondent perfectiſſimo, & ſuauiſſimo concentu. Nulla igitur eſt, nec poteſt eſſe ex natura rei ſubſtantia intellectiua, quæ perfectione, & virtute intelligendi prætergrediatur limites intelligibilitatis, & virtutis motiuæ ad intelligendum, quæ conuenit toti ordini naturali rerum creatarum adæquatè ſumpto. Confirmatur quia ſi daretur ſubſtantia intellectiua ſuperans virtute intelligendi totam intelligibilitatem totius ordinis naturalis rerum ſibi coexiſtentium, non poſſet naturaliter reduci in actum ſecundum, quoad exceſſum illum. Quia nullum daretur obiectum creatum, quod vi ſua motiua cooperari illi eatenus poſſet, vt per ſe patet; nulluſque intellectus creatus poteſt elicere aliquam cognitionem, aut pertingere ad aliquem cognitionis gradum, niſi cooperante obiecto motiuo quoad omnem formalitatem, & gradum cognitionis. Eſſet igitur perperam ex natura rei exceſſus eiuſmodi virtutis cognoſcitiuæ. Neq; vero dici poteſt fore, vt prædictus exceſſus virtutis cognoſcitiuæ exerceretur, aut circa Deum, aut circa ipſius Angeli ſic excedentis ſubſtantiam, Quia nullus intellectus creatus poteſt naturaliter attingere Deum immediatè, eumdemuè cognoſcere vltra menſuram cognitionis

circa res creatas, quibus, ſolùm mediantibus Deum cognoſcere poteſt. Nec magis poteſt ſubſtantia aliqua intellectiua differre ab alia ſubſtantia intellectiua, eamque ſua perfectione ſuperare præcisè propter vim reflectendi, ſeu quaſi reflectendi ſupra ſe ipſam. Quod nimirum eſt commune omni ſubſtantiæ intellectiuæ. Præterea ſicut repugnat ſubſtantia intellectiua, cui abſolutè, & adæquatè conſideratæ nihil conueniat aliud, quàm poſſe ſe ipſam cognoſcere, quia eo ipſo nihil præſupponeretur, ſupra quod caderet cognitio; ita eademq; ratione eſt impoſſibilis peculiaris aliquis gradus perfectionis in ſubſtantia intellectiua, cui nullum peculiare cognoſcibile correſpōdeat præter ſeipſum præcisè, vt cognoſcibilē, & cognoſcitiuum ſui, & à ſe. Hoc igitur pacto videntur legitimè conſtitui limites extremi ſurſum, & deorſum verſus, quibus ſpecies omnes ſubſtantiarum purè intellectualium continentur.

Art. 4. Circa numerum ſpecierum, quæ inter ea extrema clauduntur, opinio Philoſophi fuit 12. Metaph. tex.48. nec plures nec pauciores illas eſſe, quàm ſint motus Cœlorum, quod etiam tenuit Rabbi Moyſes vt refert D. Thomas quæſt.50. art.3. Vnde quia cenſent motus cæleſtiū corporum eſſe quadraginta ſeptem, totidem ſolum ſpecies intelligentiarum poſuere. Cæterum multo plures eſſe ſpe-

cies

cies Angelorum communis, & certa Theologorum ſententia eſt cum D. Thoma ibidem art 4. & ratio initio à nobis præmiſſa efficaciter perſuadet. Certè ſi ſupponatur ſententia eiuſdem D. Thomæ aliorumque ſatis frequens, de qua dicetur in quæſt. ſequenti, impoſſibilem eſſe diſtinctionem purè numericam inter Angelos, & quotquot diſtinguuntur inter ſe realiter diſſidere inter ſe ſpecie, ex principijs fidei deducitur manifeſtè multitudinem ſpecierum Angelicarum eſſe valde magnam, & quodammodo innumerabilem, ac infinitam, vt patet ex illo Iob. 25. *Numquid eſt numerus militum eius?* Et Dan 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.* Ex quibus locis cum maxima admiratione celebrat Dionyſ. cap. 14. de Cæleſti Hierar. incomprehenſibilem Angelorum numerũ. Et Gregor. lib. 17. moral cap. 9. *Supernorum Ciuium numerus infinitus eſt, & definitus, exprimitur, vt qui Deo numerabilis eſt, eſſe hominibus innumerabilis demonſtretur.* Videri eadé de re poſſunt Clemens Rom. lib. 8. conſtit. cap. 12. Athanaſ. ſermon. 3. contra Arianos. Hieron. Dan. 7. alijque PP. frequenter. Ex quibus certum eſt multitudine Angelorum ſuperari multitudinem rerum omnium corporalium, ſaltem ſecundum ſpecies ipſarum. Cui documento congruit, quod ſingulis hominibus exiſtentibus à principio ad finem vſ-

que

que mundi correſpondent ibidem Angeli Cuſtodes, iuxta communem PP. doctrinam, iique omnes, vel ferè omnes ſunt ex ſolo infimo ordine; quo ſunt numeroſiores ordines ſuperiores, iuxta vim eiuſdem illius rationis initio indicatæ. Patet autem numerum hominum ſuperare multitudinem incomparabiliter ſpecies corporum. Immo multitudine Angelorum ſuperari multitudinem etiam indiuidualē rerum omniū inferiorum ſenſit Bernard. Senenſ.t.4.ſerm,48.de amore miſericordiæ inducta eam in rem auctoritate Dionyſij his verbis: *Dionyſius in ſuo libro Hierarchia dicit, quod ſolùm Angeli in Paradiſo exiſtentes ſunt plures quam ſint ſtellæ, quam ſint arenæ maris, ac terra, quam ſint folia, & herbæ, & quam ſint omnia quæcumque creata.* Quod ſicut aſſerere nulla ſufficienti ratione poſitum, ita nec refellere efficaciter facile eſt. Verba Dionyſij, quo nititur Sanctus Bernardinus ex cap.illo 14. cæleſt. Hierarch.non continent exactè eam ſententiam. tametſi multum in eam inclinent. *Multi ſunt ait beati exercitus ſupernarum mentium, infirmam, & conſtrictam excedentes noſtrorū materialiū numerorū commēſurationē.* Ratio D.Th.prædictę rationi noſtrę cõſona eſt.QuiaDeus condidit vniuerſum ex intentione manifeſtandi magnitudinē ſuę perfectionis magnitudine perfectionis in illud inductę.Vnde quia nihil vnum alicuius generis eſt ſatis idoneum

ad

ad manifeſtandam magnitudinem diuinæ perfectionis, oportuit, vt eò plura ſub vnoquoque gene e crearentur, quo præſtabilius ipſum eſſet. Confirmatur paritate rerum corporalium, inter quas excedit incomparabiliter magnitudo corporum incorruptibilium, quæ ſunt præſtantiora, magnitudinem lcorruptibilium vt patet ad ſenſum. Magnitudini autem corporum correſpondet multitud) incorporalium.

Art. 4. Vt vt autem ſit de multitudine, & numero Angelorum, cuius ſupputatio, & comparatio cum multitudinibus alijs eſt admodum obſcura, & anceps ſoliſque coniecturis leuiter] determinabilis, quas proſequitur inter alios fuſius Suarez. lib. 1. à cap. 11. Certum eſt apud Theologos ex doctrina Dionyſij à cap. 7. de cæl. Hier. totam multitudinem Angelorum, optimæ, atque ordinatiſſimæ reipublicę more, eſſe diſtributam in tres Hierarchias, ſeu ſacros Principatus, & collectiones perſonarum ſacrarum ſub determinato Principe conſtitutas; & rurſus vnamquamque Hierarchiam diſtribui in tres ſimiliter collectiones, & ordines magis determinatos, ac ſpeciales cum peculiari aliqua conuenientia, & ſimilitudine mutua quo ad munera gratiæ, cuius diuiſio in Angelis nunquam prætergreditur aſſimilem eorum diuiſionem quoad naturalia, vt apparebit ex dicendis infra

quæſt.

quæſt. 24. In prima Hierarchia continentur Cherubim amore Dei, Seraphim ſapientia diuinorum, Throni puritate terrenorum affectuum, & diuinis fulgoribus, ſpecialiter in ſe, & ad aliorum vtilitatem præeminentes. Secũda Hierarchia cõplectitur dominationes libertate ab affectu peccati, Virtutes Fortitudine, Poteſtates conſtantia, quodam peculiari modo cõſpicuos, & ad inferiorum iuuamen intentos. Ad tertiam Hierarchiam pertinent Principatus in perfecta rerum gerendarum executione præcipui, & quoad eamdem Archangeli quidem medij, infimi verò Angeli, nomine generis ipſis accommodato determinatè, quia maximè omnium, atque immediatè mittuntur ad homines, eiſque nunciant diuina ſaltem vt plurimum. Circa iſtam triplicis Hierarchiæ, & triplicis ſub vnaquaque Hierarchia ordinis diſtributionem, & nouenarium ordinum numerum, & circa prærogatiuas, & munera peculiariter ſingulis attributa, multi multa dicunt eruditè, & conſpicuè, vt videre inter alios licet apud Suarez lib.1 cap.13. & 14. Ego libens ea prætermitto, quia vix quidquam illorum clara, aut ſatis firma ratione deprehenditur, aut auctoritate ſtabilitur nõ multipliciter flexibili.

Art.5. Duo ſunt certa quæ prætermitti non debent. Et quidem primum eorum eſt de fide, nempè prædictos nouem

o rdi-

ordines vere exiſtere inter Angelos, quidquid ſit de modo ſingulos diſtinguendi, ac exponendi, vt liquet ex 8. ad Rom. ad Coloſ. 1. ad Corinth. 15. ad Epheſ. 1. ad Theſſal. 1. 4. exque alijs pluribus ſcripturæ locis, in quibus ſinguli ex prædictis ordinibus diſtinctè nominantur vt ſupra, atque diuerſificantur inuicem. Alterum non vſque adeo certum eſt, attributiones illas præeminentiæ, quo ad amorem Dei, ſapientiam diuinorum &c. non eſſe accipiendas de exceſſu intrinſeco, & abſoluto vnius ordinis ſupra alium; ita vt Cherubim ſuperent Seraphinos amore Dei, Seraphim vero ſuperent Cherubinos ſapientia diuinorum, & ſic de ſimilibus. Hoc enim eſt impoſſibile, quia in ſpiritibus præſertim beatis, quo maior eſt cognitio Dei & diuinorum, eò maiorem eſſe neceſſe eſt amorem Dei, atque è conuerſo; cum omnes ament Deum, quantum poſſunt. Poſſint vero amare magis, qui magis, meliuſque coguoſcunt. Eadem eſt ratio de puritate terrenorum affectuum, quæ neceſſario commenſuratur amori Dei, cui ſimili neceſſitate commenſuratur libertas ab affectu peccati. Nec dubitare licet fortitudinem, & conſtantiam, qualium ſunt capaces superni ſpiritus radicari in amore, & charitate Dei eidemque iuſtè commenſurari. Ea itaq; diſtributio accipienda eſt in duplici priori Hierarchia, ſicut accipitur ab omnibus

bus in tertia Hierarchia relatè ad inferiores ſubſtantias intellectuales; ita vt quibuſdam ſpecialiter demandatum ſit miniſterium illuminãdi inferiores per reuelationem, ac manifeſtationem ſpeculatiuam myſteriorum Dei. alijs vero miniſterium ſuggerendi, ac inſpirandi, vnde accendatur amor Dei; vel à terrenis rebus arceatur affectus, & ſic de reliquis. Ex quo apparet eam partitionem Hierarchiarum, & Ordinum nulli argumento eſſe poſſe ad inducendam diſtinctionem ſpecificam inter Angelicos ſpiritus, ſi aliunde de tali diſtinctione non conſtaret, vti iam conſtitit. Poſito tamen, vti poſitum eſt dari quam plures diuerſas Angelorum ſpecies, credibile, valde, ac rationabile eſt diſtingui ſpecie, ordines, pro diſtinctione ſpecifica munerum, ad quæ ſinguli deputantur, atque præſtantioribus quibuſque in natura, & gratia præſtantiora miniſteria committi. Hoc enim potiſſimum poſtulat ratio perfectiſſimæ, & ſapientiſſimæ prouidentiæ, qualis eſt diuina. Ex ijs igitur omnibus vtcunque liquet de ſpecifica Angelorum diuerſitate, deque ſerie, & coordinatione ſpecierum omnium per ſumma capita.

Ad 1. Ratio generis differentię ęquiparantur materiæ, & formæ, non quoad omnia, ſed ſolum quo ad maiorem indifferentiam conceptus generici compa-

paratione conceptus differentialis, ac ſpecifici, quàm è conuerſo quatenus eiuſmodi maior indifferentia conuenit etiam materiæ comparatione formæ quam è conuerſo. Quia vero vltimo complenti, ac determinanti totum aliquod ſpecialiter attribuitur ratio perfectionis, quæ ineſt ipſi toti propterea ratio differentialis, & ſpecifica cenſetur maximè perfectiua vniuſcuiuſque rei. Cæterum non eſt vniuerſaliter de conceptu rationis differentialis, vt ſecundum ſe præcisè ſuperaddat maiorem perfectionem rationi genericæ, quàm quæ præſupponitur in ipſa ratione generica, vt patet inter alia in brutis, quorum rationes differentiales, manifeſtum eſt, non ſuperaddere plus, aut etiam tantumdem perfectionis, quanta illis conuenit quatenus ſenſitiua ſunt. Idem apparet in omnibus vniuerſaliter diuiſionibus vulgaribus generum, alteram poſitiuam, & alteram negatiuam. Certum namqne eſt differentiam negatiuè communiter ſignificatam, & prædicatum poſitiuum ſpeciale, in quo ea fundatur, non continere in ſe præcisè tantam perfectionem, quanta præſupponitur in genere. Abſurdè enim ſignificaretur negatiuè comparatione eius, cui præemineret. Nempe differentia ſignificantur in communibus illis diuiſionibus relatè, & comparatiuè ad ſuum genus. Conceditur itaque omnes Angelos conuenire inter ſe

quoad

quoad prædicatum, quod eſt in omnibus & ſingulis præcipuum, ac nobiliſſimum. Sed negatur inde ſequi non eſſe poſſibiles plures eorum differentias eſſentiales, per quas diuidatur prædicatum illud vniuerſale.

Ad 2. Cum dicitur genus intellectualis ſubſtantiæ eſſe propinquiſſimum Deo inter omnia creata, non ſignificatur aliquid vnum indiuiſibiliter continens in ſe ſummã propinquitatem ad Deum. Hoc enim de ſolo ſupremo Angelo verificatur. Solùm itaque intenditur, inter ea prædicata, quæ ſunt pluribus communia, & præeminent reliquis ipſorum formalitatibus, primum locum tenere intellectualitatem. Hinc autem potius infertur vti illatum eſt ſupra, plures eſſe poſſibiles differentias participes eius prædicati, quàm ſint differentiæ poſſibiles ſub vlio alio prædicato vniuerſali, ſeu genere. Quia differentiæ inæqualiter, & diuerſimode participes perfectionis diuinę eiuſdemque ſummæ ac infinitæ, ſimpliciter, infinita ſimpliciter multitudine diffundũtur. Ex maiori igitur propinquitate Angelorũ ad Deum, quam aliarum rerum, ſolum colligitur, vnumquemque Angelum eſſe ſimpliciorem in ſe, & eò magis, quo perfectior eſt, quam rem vllam corporalem. Quod eſt verum.

Ad 3. Differentia penes magis, & minus non variat ſpeciem, quando quod addi-

additur, & cui additur ſunt eiuſdem rationis; variat vero, quando additamentum eſt diuerſæ rationis. Ita magis, & minus album non differunt ſpecie, quia in magis albo additio eſt eiuſdem rationis. Idem vero album differt ſpecie à viridi, & rubro. Quia maior claritas albi quam viridis, & rubri, eſt diuerſæ rationis. Hoc autem poſteriori modo ſe habent differentiæ penes magis, ac minus, quibus differunt intrinſecè Angeli, ſicut & aliæ quælibet ſubſtantię. Omnes enim ſubſtantiæ different inter ſe ſicuti numeri vt dicit Philoſophus. Numerorum autem omnis differentia eſt penes magis, & minus, vt per ſe patet. Minus vero, & magis diuerſæ rationis, quia numerus maior includit in ſe identitatem ſui peculiaris exceſſus cum tota perfectione, quæ conuenit numero minori, eaque indiuiſio vtriuſque formalitatis eſt diuerſæ rationis à diuiſione, quæ conuenit minori numero.

Ad 4. Tranſmiſſo antecedenti, quod expoſitum eſt in loco ibi indicato, negatur conſequentia. Ratio diſparitatis eſt. Quia obiectum formale adæquatum omnium viſionum Dei eſt vnum, & prorſus idem. At non eſt vnum, & prorſus idem obiectum formale adæquatum, ad quod omnes Angeli, per omnes ſuas cognitiones, ferri poſſunt. Dictum namque eſt, & clarius exponetur, ac magis con-
fir-

firmabitur infra quæſt. 13. quoſdam Angelos poſſe plura comprehenſiuè complecti vnica indiuiſim cognitione, quam alios. Quod fieri non poteſt, quin aliqui eorum comprehendere poſſint motiuum aliquod peculiare, ad cuius comprehenſionem alij non ſufficiant. Quapropter quod communiter dicitur, & dicitur verè, obiectum cuiuſuis ſubſtantiæ intellectualis eſſe ens vt ſic, non ſignificat omnes ſubſtantias intellectuales ferre, aut poſſe ferri per omnes, aut aliquas ſuas cognitiones ad eadem omnia obiecta formalia; quod eſt falſum; ſed ſolum quamlibet ſubſtantiam intellectualem poſſe aliqualiter attingere quaslibet differentias entis, ipſamque vniuerſaliſſimam entis rationem. Quod nihil nocet multiplicabilitati ſpecificæ ſubſtantiarum intellectualium. Alioquin eſſent etiam omnes eiuſdem infimæ ſpeciei cum Deo.

Ad 5. Subſtantia intellectualis corporea eſt infima differétia poſſibilis ſub genere ſubſtantiæ intellectualis, idque ipſi conuenit, quatenus corporea præciſè eſt. Subſtantia autem intellectualis incorporea non eſt ſimiliter ſuprema differentia ſubſtantiæ intellectualis, neque conuenit ei, vt ſit ſuprema ex eo præciſè quod incorporea eſt, vt patet ex dictis. Vndè diuiſio intelligentis in incorporeum, & corporeum non eſt diuiſio indifferentias, ſeu quaſi partes æquales, ſed altera eſt

dif-

differentia ſubalterna, & altera infima; Sicut ſi è conuerſo diuideretur ſubſtantia corporea in intellectualem, & non intellectualem. Iam oppoſitorum ratio, & diſciplina eſt eadem quoad ea, ſecundum quæ formaliter opponuntur inter ſe, non vero quoad ea, ſecundum quæ diſparatè ſe habent, vti manifeſtum eſt accidere in re præſenti. Quod autem maior ſit perfectio intellectualis incorporei, ſemel atque iterum dictum eſt, valere potius ad oppoſitum.

Ad 6. Patet ſatis ex dictis ſupra toto art. 3. efficaci namque ratione concluſum ibi eſt, dari ex natura ipſa rei terminum vltimum in ſerie ſubſtantiarum intellectualium exiſtentium, & potentium connaturaliter exiſtere in hoc vniuerſo, quicquid ſit de poſſibilitate abſoluta ſubſtãtiarum intellectualium, & perfectiorum ſine vllo limite, ac termino, quatenus poſſibile ſimiliter eſt aliud, atque aliud vniuerſum perfectius ſine vllo limite, ac termino; Profecto ſicut collectio rerum ſublunarium exiſtẽs de facto poſtulat intrinſecè ſupremum cæleſte corpus tantæ determinatè amplitudinis, quanta eſt de facto atque oppoſitum perabſurdè diceretur; & nihilominus eſt abſolutè poſſibile corpus maioris amplitudinis, & capacitatis. quam quod eſt ampliſſimum, & capaciſſimum de facto, quia poſſibilia ſunt abſolutè corpora ſublunaria di-

diuerſæ rationis, maioriſque perfectio-nis, & molis: Ita etiam in eundem proportionaliter modum eſt poſſibilis abſolute ſubſtantia intellectualis perfectior quam quæ eſt perfectiſſima de facto, & tamen hæc exigitur determinate ab hoc vniuerſo, eidemque debetur ex natura rei, tanquam ſuprema, nec oppoſitum, quantum quidem conijcere mihi licet, abſque abſurditate dici poteſt.

QVAESTIO VI

Vtrum ſint poſſibiles plures Angeli intra eamdem ſpeciem infimam.

VIDENTVR non eſſe poſſibiles 1. quia diſtinctio ſpecifica deſumitur ex forma, & pure indiuidualis ex materia, quæ eſt vnicum indiuiduationis principiũ ex Philoſ. 5. Metaph. tex. 42. vbi dicit: *Ea ſunt vnum numero, quorum eſt materia vna:* Et lib 7. text 28. *Formam in his carnibus, atque oſſibus*, dicit, *eſſe Socratem, & Calliam*; & iterum text. 25. *Singulare ex vltima materia, iam Socrates eſt* Idem principium tradit D. Thom. in iſta quæſt. 50. art 4. & cap. 2. de ente, & eſſentia, atque alibi ſæpe. Angeli au-

tem ſunt prorſus expertes materiæ, vt dictum eſt. Repugnat igitur in Angelis diſtinctio purè indiuidualis ſub eadem ſpecie infima.

2. Ex prędicto principio probat idē Philoſophus 12. Metaph. tex. 149. primum motorem non poſſe eſſe niſi vnum numero, quia eſt expers materiæ, & ſimiliter 1. de cœlo cap. 9. probat, non poſſe eſſe alium mundum; quia hic mundus totam materiam rerum naturalium complectitur. Ergo vbi non datur materia, nec eius diuerſitas, multiplicitas purè indiuidualis dari nequaquam poteſt. Alioquin dicendus eſſet Philoſophus inepte argumentatus eſſe.

3. Intellectus apprehendens ſubſtantiam corpoream præſcindendo à loco, & tempore, & alijs dependentibus à materia ſignata, eiuſque proprietatibus eo ipſo abſtrahit raionem communem corporis, & reducit ad vnitatem omnia corpora, quæ ſunt inter ſe diſtincta realiter à parte rei. Qua de cauſa dicit D. Thomas quęſt. diſp. de ſpiritual. creatur. a. 8. initio, impoſſibile eſſe etiam fingere, quod ſint plures Angeli vnius infimæ ſpeciei? Quia ſi quidem rediguntur ad ſimplicem vnitatem ipſa etiam materialia, quæ ſunt in ſe multiplicia, & indiuidualiter diſtincta, cum primnm abſtrahuntur per intellectum à conditionibus, & accidentibus proprijs materiæ, multo magis ne-

ceſſe eſt, vt quæ carent materia, & conſequenter omnibus conditionibus,& proprietatibus materiæ, tum in ſe realiter, tum etiam in intellectu, gaudeant eadem vnitatis ratione, tum in ſe, tum etiam in intellectu; ita vt ne apprehendere quidẽ poſſibile ſit Angelos penitus immateriales, ſimulque pure indiudualiter diſtinctos. Alicquin enim non ſufficeret ad abſtractionem vniuerſalem precifio intellectus à proprietatibus, ſeu accidentibus proprijs materiæ.

4. Ordo, qui ineſt rebus omnibus vniuerſi eſt præcipuum, & maximum, bonum ipſarum eiſdem intrinſecum; vnde neceſſe eſt, vt mutuus ordo rerum perfectiorum ſit perfectior. Ordo autem per ſe eſt perfectior, quam ordo per áccidens. Quia in omnibus vniuerſaliter præeminet, quod eſt per ſe ei, quod eſt per accidens. Cum ergo ordo eorum quæ diſtinguuntur ſpecie, ſit ordo per ſe quæ verò ſunt eiuſdem infimę ſpeciei ordinentur per accidens, vtpote indifferẽtia, vt quodlibet eorum occupet locum, & ſubeat munus alterius; manifeſtum eſt Angelis qui ſuut potiſſima, & nobiliſſima pars vniuerſi, conuenire ordinem qui fũdatur in diſtinctione ſpecifica, eiſdem, repugnare ordinem, qui eſt poſſibilis in-ijs, quæ pure indiuidualiter inter ſe differunt. Confirmatur, quia in rebus quoque corporalibus perſpicitur hoc diſcri-

men, vt quæ ſunt ignobiliores multiplicentur intra eamdem ſpeciem, ideoque ordinentur per accidens inter ſe, vt apparet in omnibus ſublunaribus; quæ vero ſunt preſtantiores non multiplicentur intra eamdem ſpeciem, ideoque ordinentur inuicem per ſe, vt apparet in ſole, luna, aliiſque omnibus corporibus cœleſtibus. Multo igitur magis neceſſe eſt hoc ipſum dicere de Angelis, quæ ſunt ſuprema ſimpliciter, atque optima pars vniuerſi creati.

5. Quo aliquid eſt maioris perfectionis, eò eſt maioris ſufficientię in ſe, & reſpectu aliorum, vt apparet conſideranti extrema ſummæ, & infimæ perfectionis rerum omnium. Deus enim, qui eſt ſummè, ac infinite perfectus, ſufficit ſibi ſe ſolo, habetque præterea plenitudinem ſufficientiæ reſpectu aliorum omnium. Res autem corruptibiles vſque adeo ſunt inſufficientes & ſibi, & aliis, vt ad conſeruationem ſui indigeant pluribus à ſe diſtinctis, ſimiliterque indigeāt multiplicatione cuiuſque ſpeciei per plura indiuidua, vt congruenter inſeruiant vniuerſo. Ergo Angeli, qui ſunt medii inter Deum, & res materiales, habent quidem minorem ſufficientiam, quam Deus, propthereaque multiplicari poſſunt intra idem genus per plures ſpecies? habent tamen ſufficientiam maiorem, quā corruptibilia, ideoque ſunt incapacia

mul-

multiplicationis pure indiuidualis intra eamdem ſpeciem. Nempè non ſufficere per ſimplicem entitatem ad ea omnia, quæ ſpectant ad totum genus, eſt minima inſufficientia; maxima vero quæ non ſufficit ad præſtandum per ſimplicem entitatem, quicquid ſpectat ad vnamquamque ſpeciem infimam.

Art. 1. Reſpõdetur. De multiplicitate purè indiuiduali Angelorũ deque inuiduationis principio ingens iam diu contentio viget inter Thomiſtas, & Scotiſtas, atque aſſeclas vtrorumque, Thomiſtis enixè contendentibus repugnare plures Angelos eiuſdem infimæ ſpeciei, atque vnicum multiplicitatis purè indiuidualis, ſeu numeralis principium eſſe materiam ſignatam, & Scotiſtis vtrumque pari conatu reijcientibus. Quam enim vero contentionem alit, niſi fallor, fauetque magna ex parte æquiuocatio, tum quo ad rem ipſam, tum maximè quo ad mentẽ Philoſophi, & præceptoris angelici, vt paulo poſt apparebit. Mea olim opinio fuit, plures Angelos eiuſdem infimę ſpeciei eſſe impoſſibiles naturaliter, poſſibiles vero ſupernaturaliter, & de potentia Dei abſoluta. Nunc autem cenſeo poſſibiles eſſe etiam connaturaliter, & ſine vllo miraculo, aut dono ſupernaturali. Prior illa opinio cui plurimum fauet D. Thom. opuſc 36. §. vltimo *reſtat autem*, & quam tenet Aegidius Romanus cõiuncti-

bus Capreolo, & Ferrarienſi, necnon Io. de Sancto Thoma, nitebatur hoc diſcurſu. *Indiuiduum eſt id, cuius omnes ſimul proprietates alteri conuenire non poſſunt*, iuxta communem definitionem ex Porphyrio in Iſagoge, Boetio, & Alberto Magno. Impoſſibile autem est naturaliter, ſupernaturaliter vero poſſibile, vt duæ ſpirituales ſubſtantiæ completæ ſub eadem ſpecie infima contentæ habeant proprietates, quæ ſimul omnes alterutri earum indiſcriminatim conuenire non poſſint. Ergo eſt impoſſibile naturaliter, ſupernaturaliter vero poſſibile, vt dentur duę ſubſtantiæ ſpirituales completæ, contentę ſub eadem ſpecie infima, ſolumque indiuidualiter diſtinctæ. Minor ſuadebatur. Quia ſubſtantiæ contentæ ſub eadem ſpecie infima, nullam in primis ex ſe præcisè determinationem habere poſſunt ad proprietates alterutri ex illis repugnantes, vt per ſe patet. Deinde ſubſtantię ſpirituales completæ non poſſunt ſortiri naturaliter eamdem determinationem ex loco, aut tempore, vllaue alia circumſtantia, aut cauſa extrinſeca, licet ſupernaturaliter poſſint. Quia cum ſint inuicem penetrabiles ratione ſpiritualitatis, poſſunt adeſſe ſimul eadem loco. Quia verò non exiſtunt ſucceſſiuè per generationem vnius ab alia, poſſunt, Immo debent, quæ ad eamdem rempublicam pertinent, eodem ſimiliter tem-

po.

pore creari; atque vt crearentur pro diuerſis temporis: ſeu durationis cuiuſuis differntijs, nihil propterea in ſe diuerſum haberent neceſſario, ſed ſolam denominationem extrinſecam. Cumque omnibus alijs circumſtantijs, & cauſis, eodem penitus modo, eademque cum exigentia conſequenter ſubſint, ſubeſſe certè poſſint, coniunctim eadem omnia ab illis nanciſci poterunt, nec impoſſibilitas, vt eadem omnia ſimultanèe nanciſcantur, poterit eſſe connaturalis. Supernaturaliter autem eiuſmodi diuerſitatem proprietatum illis euenire nihil vetat. Quia Deus libera ſua voluntate poteſt aliquid perpetuò tribuere vni, idque ipſum perpetuò negare alteri ex duobus, quantum eſt de ſe indifferentibus ad illud.

Art. 2. In rebus materialibus, aut ad materiam intrinſece ordinatis ſecus ſe res habet. Quia omnes res materiales propter impenetrabilitatem exiſtunt in diuerſis locis, atque in illis diuerſimodè plerumque collocantur, & pleræque diuerſis tẽporibus incipiunt, ac deſinunt eſſe propter ſucceſſiones generationum, ac demum propter diuerſitatem locorum, & temporum, diuerſos aſpectus Cœlorũ ſubeunt, aliarumque cauſarum diſpoſitiones multimodè diuerſas neceſſariò reſpectu vniuſcuiuſque. Vnde conſequitur, ſemper vnicuique ſubſtantię materiali ad

eſſe aliquid, quod iam reliquis, aut alicui reliquorum conuenire non poſſit. Impoſſibile namque eſt, vt quæ ſunt inuicem impenetrabilia, non ſint inæqualiter diſtantia ab aliqua, vel aliquibus cauſis, vtque influxus cauſarum in ipſa non ſit inæqualis, ac diuerſus pro inæqualitate, & diuerſitate diſtantiæ; idemque proportionaliter dicitur de diuerſitate, quoad tempus. Patet itaque materiam plurimũ conferre, atque omnino ſufficere, vt quæ ſunt participes illius, poſsint ſortiri proprietates, quæ ſimul omnes nulli alteri, tametſi eiuſdem ſit infimæ ſpeciei conuenire poſſint; idque ipſum nulli rei independenter à materia conuenire poſſe,

Art. 3. Huic diſcurſui opponebatur, in eo aſſumi logicá indiuidui definitionem; ideoque ſolum inde ad ſummum probari, non poſſe naturaliter exiſtere duos Angelos eiuſdem infimæ ſpeciei, logica indiuiduatione diuerſos. Cæterum poſſibiles nihilominus naturaliter ſuper eſſe duos Angelos eiuſdem infimæ ſpeciei cũ indiuiduatione ſolum metaphyſicè diuerſa. Quia indiuiduum metaphyſicè definitur communiter cum D. Thoma 1. par. quæſt. 29 a. 4. *Quod eſt indiuiſum in ſe & diuiſum à quolibet alio vltima diuiſione.* Indifferentia omnium, & quorũlibet expertium materiæ & dependentiæ, ac ordinis à materia, & ad materiam ad eadem ſimul loca, tempora, cauſas, & circum-

ormſtantias, non impedit indiuiſionem vniuſcuiuſque in ſe, & diuiſionem à quo-is alio, tametſi abſit omnis diuerſitas pro-rietatum accidentalium, omniſque ne-eſſitas eiuſmodi diuerſitatis. Vnum-uodq; enim, ſicut eſt ens, & aliquid præ-isè per ſe ipſum in genere cauſæ forma-s, ita eſt vnum, quod eſt proprietas en-is, & conſequenter indiuiſum in ſe, & iuiſum ab aliis per ſe ipſum præcisè. Non igitur repugnat, vt dentur duo An-geli eiuſdem infimæ ſpeciei diſtincti in-tem per ſuas hecceitates, ſeu indiuidua-iones metaphyſicas; tametſi repugnet, propter independentiam eorum à mate-ia, vt ſortiantur indiuiduationes logicè liuerſas.

Art. 4. Verum huic oppoſitioni non difficulter ſatisfaciebam hac ratione. Ne-e indiuidua metaphyſicè diſtincta abſ-que diſtinctione indiuiduali logica, ſunt obnoxia confuſioni, & pluribus inde in-commodis contra rectam reliquæ reipu-blicæ rationalis, eorumdemque indiui-duorum inſtitutionem. Quia indiuidua eiuſdem infimæ ſpeciei omni peculiaris alicuius, vel aliquorum accidentium in-ſeparabilium charactere deſtituta, licet poſſint inuicem ſecerni, & determinate deſignari, ac proinde ſubijci liberæ ele-ctioni vtriuſuis, ſi vno mentis intuitu ſi-multaneè, & perfectè inſpiciantur, atque inuicem conſerantur, (qua de cauſa in-

diuidua etiã pure poſſibilia diſcernit optime Deus, atque inter illa eligit liberè); vno tamen eorum occurrente ſeorſim, ne quidem per intellectum, etiam intuitiuè, & comprehenſiuè cognoſcentem diſcerni illud poterit à reliquis, nec cognoſci quodnam determinate ſit ex totã multitudine indiuiduorum omnino, tã ſubſtãtialiter, quam accidentaliter ſimilium. Quia nihil habet peculiare, per quod internoſci, & ab alijs diſcerni poſſit. Nempe prædicatum diſtincti à reliquis conuenit ſimiliter vnicuilibet cœterorum ex eadẽ collectione. Qua de cauſa nullus intellectus creatus diſtinguere, ac ſecernere vllum poteſt inter indiuidua eiuſdem ſpeciei, etiam materialia, præciſè vt poſſibilia, ac proinde adhuc indifferentia ad quaslibet proprietatum, & accidentium collectiones diſcretiuas vnius ab alio. Ratio eſt quia imago alicuius, æqualiter eodemque modo eſt imago quorũlibet aliorum illi omnino ſimilium. Quare cognitio alicuius obiecti, cum ſit imago eius, æquè eodemque modo neceſſario repræſentat quæcumque ſunt illi omnino ſimilia; ac proinde ſufficere nequaquam poteſt ad diſcernendum illud ab aliquo ex ijſdem omnino ſimilibus ipſi. Idem patet experientia manifeſta. Quia ſi cui objiciantur duo oua omnino ſimilia diſcernere quidem poteſt vtrumlibet ab altero, dum ſimultaneè illa intuetur: Ce-

terum ſi poſtea alterum eorum ſeorſim aſpiciat, diſcernere nequaquam poterit, vtrum duorum ſit, an quod dextrorſum, an quod ſiniſtrorſum poſitū prius erat, & ſic de alij accidentibus. Si igitur darentur duo aliqua indiuidua metaphyſicè diſtincta, ſimulque deſtituta indiuiduatione logica, confuſionem ea parerent neceſſariò, qualis propoſita eſt.

Art. 5. Quot porrò incommodis pateat iſtiuſmodi confuſio aduerſus exigentiam intrinſecam, & iura connaturalia naturæ rationalis, quiuis facile deprehendet, ſi conſideret propoſitum de ſecreto committendo, aut commendando negotio alicui ex indiuiduis eum in modū inuicem indiſcernibilibus, nec non deſiderium de exigenda ratione, ſeu ſecreti iam commiſſi, ſeu negotij iam commendati, aliaque eiuſmodi quamplura. Ex quo liquido apparet pluralitatem eiuſmodi indiuiduorum metaphyſicè tantum diſtinctorum inter ſe eſſe incompoſſibilem cum recta, & ſapienti, & quali à quouis prudenti optabilis eſt, diſpoſitione, & conſtitutione. Quod ex eo confirmari vlterius poteſt, quia in intellectu bene diſpoſito oportet res eſſe, ſicut ſunt in ſe ipſis, vt dicit Philoſophus. Si ergo darentur res ita in ſe ipſis diſtinctæ mutuo, vt in intellectu adeſſe non poſſent cum mutua diſtinctione, ac diſcretione, nullus intellectus creatus poſſet eſſe bene di-

ſpoſitus, ſapienterque inſtitutus. Cum igitur ex ſuperiori diſcurſu pateat indiuidua logicè diſtincta dari naturaliter non poſſe independenter à materia, & ab ordine ad materiam, ſupernaturaliter verò poſſe. Pateat vero ſimiliter ex modo dictis repugnare indiuidua metaphyſicè diſtincta, quin ſimul diſtinguantur logicè, concluditur poſtremo duos Angelos eiuſdem infimæ ſpeciei naturaliter dari non poſſe ſupernaturaliter poſſe. Hucuſque olim.

Art. 6. Iam ratio ob quam, re melius conſiderata, cenſeo naturaliter etiam dari poſſe plures Angelos eiuſdem infimæ ſpeciei, fundatur in ordine, quo Angeli referuntur ad corpora ex ſua ipſa natura, Nempè Angeli ex ſua natura ſunt adminiſtratorij ſpiritus, vt notatum eſt ſupra quæſt. 1 art 4. ex Apoſtolo. Sunt vero adminiſtratorij ſpiritus circa corporalia, & præſertim circa homines, vt pote *in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Quapropter vnuſquiſque Angelus ex ijs, quos quæſt. 4. art. 4 in tertia hierarchia concluſimus, refertur ad aliquod determinatum corpus, aut ad determinatam corporum collectionem, atque cum illo, aut illis peculiariter connectitur in ratione motoris, & directoris habetque in ſe intrinſecè aliquid, per quod á Deo eſt permanenter deſtinatus ad talis determinatè corporis, ſeu cor-

po-

porum curam, & regimen, Vnde vnuſ-quiſque Angelus ex tertia hierarchia eſſet diſcernibilis à reliquis, atque logicè indiuiduatus; tametſi omnes eſſent eiuſdem infimæ ſpeciei. Eſſent vero diſcernibiles, atque indiuiduati non minus quam animæ rationales. Quia ſicut animæ rationales referuntur ſingulæ ad ſingula corpora, tanquam eorum formæ; ita ſinguli ex prædictis Angelis referuntur ſinguli ad ſingula corpora, aut corporum collectiones tanquam motores, & directores, eorum. Patet autem eos, qui in ſe habent, quo determinatè referantur aliquo modo ad ea, quæ ratione ſui ſunt inuicem diſcernibilia, eo ipſo eſſe inuicem diſcernibiles. Quia eo ipſo ineſt ſingulis aliquid ſpeciale diuerſum ab ijs omnibus accidentibus, quæ inſunt reliquis. Quia vero Angeli ſupremę, & medię hierarchiæ referuntur in ratione illuminantis ad Angelos tertiæ hierarchiæ, ad eum modum, quo dictum eſt, poſteriores iſtos referri ad homines, & ad cætera corporalia in ratione directoris, ac motoris; concluditur, Angelos etiam ſupremæ, & mediæ hierarchiæ poſſe ſimiliter eſſe diſcernibiles inuicem, atque logicè indiuiduatos, tametſi eſſent eiuſdem infimę ſpeciei.

Art. 7. Pro maiori horum omnium claritate, ac firmitate obſeruandum eſt diſcrimen inter diſtinctionem, & indiui-

duationem, ſeu inter negabilitatem vnius de alio, & diſcernibilitatem vnius ab alio; & conſequenter inter principium diſtinctionis, ſeu negabilitatis, & principium indiuiduationis, ſeu diſcernibilitatis. & quidem hæc duo eſſe inter ſe valde diuerſa liquido apparet ex doctrina Philoſophi, & D. Thomæ. Quia D. Thomas in locis indicatis in prima ratione dubitandi docet ex profeſſo, principium indiuiduationis eſſe materiam ſignatam, idemque traditur à Philoſopho in locis ibidem indicatis; & nihilominus idem D. Thomas in hac 1. p. quæſt 47. art. 1. docet ex profeſſo principium, & cauſam diſtinctionis rerum non eſſe materiam, atque Philoſophus diſtinctionem, & negabilitatem vnius de alio docet vbique conuertibilem cum ratione entis, cum qua certe conuertibilis non eſt ex mente ipſius ratio entis materialis, aut dependentis à materia. Itaque ad diſtinctionem tum ſpecificam, tum numericam ſufficit limitatio entitatis, & perfectionis, ratione cuius aliqua entitas non complectatur in ſe totam ſui generis, ſiue ſpeciei perfectionem, nec præſtare poſſit ſe ſola, quantum præſtare poteſt ſimul cum entitate alia eiuſdem aut generis, aut ſpeciei. Huiuſmodi autem limitatio tam quo ad genus, quàm quo ad ſpeciem non repugnat naturæ Angelicæ. Quoad genus quidem propter ea, quæ dicta ſunt

in

in quæſt. proximè præcedenti. Quoad ſpeciem vero, quia ſi Angelo ſupremæ perfectionis non repugnat inſufficientia, ratione cuius indigeat coexiſtẽtia Angeli inferioris, atque eſſentialiter inæqualis, nec etiam repugnare poteſt eidem, aut inferiori Angelo inſufficientia ratione cuius indigeat coexiſtentia alterius, vel aliorum Angelorum ſibi æqualium, atque eſſentialiter, ac intrinſecè omnino ſimilium. Eadem igitur ratione qua agnoſcuntur poſſibiles plures Angeli inuicem inæquales, atque eſſentialiter diſſimiles, admittendi etiam ſunt poſſibiles plures Angeli inuicem æquales, atque eſſentialiter omnino ſimiles quoad omnia prædicata identificata realiter cũ vnoquoque eorum. Hæc porro limitatio, inſufficientia, atque indigentia aliorum eiuſdem, aut generis, aut ſpeciei ſolet etiam ipſa attribui materialitati, quatenus omnis creaturarum imperfectio eſt aliqualis acceſſus ad materiam, quæ eſt ſũmè imperfecta, & quaſi pelagus imperfectionum, ſicut quæuis perfectio eſt aliqualis acceſſus ad Deum, qui eſt ſummè perfectus, & pelagus omnium perfectionum. Qua de cauſa dixit Auguſt. lib. 12. confeſſ. cap. 7. *Materia eſt prope nihil, Angeli autem prope Deum* Sunt tamen multo magis propinqui materiæ, à qua diſtant finitè tantum, quam Deo, à quo diſtant infinitæ ideoque ſunt magis capaces imperfe-

ſectionum, quæ ſunt propriȩ materiȩ, & eorum, quæ fundantur in eiuſmodi imperfectionibus, quam perfectionum, ſunt propriæ Dei, & eorum, quæ fundantur in eiuſmodi perfectionibus. Vnde cum imperfectio propria materiæ fundet, vel maximè multiplicitatem purè indiuidualem, ſeu rerum omnino ſimilium inter ſe, quoad omnia prædicata intrinſeca, ac eſſentialia, ſecundum ſe præcisè; perfectioni vero, quæ eſt propria Dei, repugnet propter ſuam infinitam magnitudinem eadem multiplicitas purè indiuidualis contraria vnitati Dei; Angeli magis affines materiæ, quam Deo, vt dictũ eſt, credendi potius ſunt capaces multiplicitatis purè indiuidualis, ſeu coniunctȩ cum totali æqualitate, ac ſimilitudine mutua diſtinctorum quoad omnia prædicata intrinſeca ipſorum, ſi nihil obſtet aliud prȩter magnitudinem perfectionis, quȩ cõuenit ipſis ex genere ſuo, Nihil autẽ obſtat aliud. Quia diſcernibilitatem mutuam, per proprietates, & accidentia inhærentia ſibi permanenter, ac inamiſſibiliter, ſortiri poſſunt per ordinationem ſingulorum ad peculiaria corpora, & res phyſicè materiales; quæ ipſis conuenit ex natura, & exigentia ſua intrinſeca, vti expoſitum, & comprobatum eſt ſupra. Poſſibiles igitur ſunt, non ſolum ſupernaturaliter, & de potentia Dei abſoluta, ſed etiam naturaliter plures Angeli eiuſdem

infimæ ſpeciei, tametſi immateriales ſint ſeu expertes materiæ habentis rationem complementi ſubſtantiali intrinſeci reſpectu ipſorum.

Ad 1. Philoſophus ibi agit de multiplicitate numerica rerum corporalium,& compoſitarum ex materia, & forma. In ijs autem certum eſt in primis, materiam eſſe principium ſufficiens indiuiduationis, atque multiplicitatis purè indiuidualis, vt liquet ex diſcurſu propoſito ſupra art. 2. Certum itidem eſt, eamdem multiplicitatem purè indiuidualem earumdẽ rerum præcipuè radicari, atque fundari in materia, quæ videlicet eſt ſummè imperfecta, atque adeo inductiua principaliter eorum omnium, quæ ſpectant ad imperfectionem, ad quam dictum eſt, vel maximè ſpectare multiplicitatem purè indiuidualem, atque inſufficientiam vnius tantùm indiuidui ad præſtanda ea omnia, quæ ſpectant ad vnamquamque ſpeciem. Optima igitur ratione, materiæ potiſſimùm attribuit Philoſophus, atque ex eo D. Thomas, multiplicitatem purè indiuidualem, eamdemque potiſſimum dixit principium eiuſdem. Cæterum neque Philoſophus, neque D. Thomas vllibi docuit, non eſſe poſſibilem pluralitatẽ indiuiduorum intra eamdem ſpeciem infimam abſque compoſitione ex materia, & forma, cum ſola habitudine, & ordine extrinſeco ad materiam; quem oſtẽ-

ſum eſt, ſufficere ad eiuſmodi multiplicitatem purè indiuidualem. Solùm itaque deſideratur in Diuo Thoma conſideratio ordinis quo Angeli ex ſua natura referuntur ſinguli ad ſingula corpora, vel corporum collectionem, coniuncta cum conſideratione ſufficientię huiuſmodi ordinis ad multiplicitatem purè indiuidualem. Quod illi accidit ex ſolita ſua adhæſione ad Philoſophum in ijs, quæ non pertinent ad fidem, ideoque non vſque adeo oportuit ipſum corrigere, vti corrigit fideliter, ac diligenter, vbicunque in eum ſcopum neceſſarium, aut opportunum eſt, Philoſophus autem ex conſideratione corporalium vix vnquam emergit & tunc emergit infeliciter, vt apparet ex erroribus eius, & pluribus, & craſſis circa intelligentias, qui ſunt inconfeſſo apud omnes Doctores Catholicos. Quare intutum eſt adhærere, & poſitiuè, & negatiuè, dum agitur de intelligentijs, eaque omnia, & ſola ſequi velle, quæ ille docuit, & quibus doctrinam ſuam omnem inædificauit.

Ad 2. Prior ille locus Philoſophi, cui plurimùm inter alios fidit à Sancto Thoma eſt prorſus inutilis pro ſcopo quæſtionis præſentis. Quia Philoſophus tex. illo 49. probat primum principium ex eo, quod non habeat materiam, neque ſpecie, neque numero multiplicabile eſſe; *Ipſum verò, ait, cui erat eſſe primum, non ha-*

habet materiam, cum actus ſit. Vnum ergo, tum ratione, tum numero. At excluſio eius materiæ, qua caret Angelus nequaquam probat, aut abſolute, aut etiam apud ipſum Philoſophum, Angelum non poſſe ſpecie multiplicari. Non ergo loquitur Philoſophus ibi de eiuſmodi materia. Accedit, ab eodem in eodem libro 12. tex. 51. probari ſimiliter, ex eadem excluſione materiæ, intellectum primi principij eſſe indiſtinctum ab obiecto ſuo, & intellectione. *Cum igitur*, arguit, *non ſit diuerſum id, quod intelligitur, & intellectus, quæcumque non habent materiam, idem erunt ac intellectio vna eius, quod intelligitur*. Vbi clarè patet, ſermonem eſſe non poſſe de materia ſola, quà caret Angelus. Intelligit igitur Philoſophus in ijs locis, vti, & ſæpe D. Thomas. nomine materię potentialitatem, ſeu capacitatem, vt aliquid perficiatur per aliud. Videatur commentarius D. Thomæ ad vtrumque locum lect. 10. & 12. paulò ante finem, & patebit ea loca Philoſophi eſſe abs re pro inſtituto præſenti. In altero loco ex 1. de Cælo, ſicut concluſio de impoſſibilitate alterius mundi, eſt falſa, ita ratio de tota materia exhauſta de facto per res naturales eſt inſufficiens, & ſupponit falſum. Deindè auctoritatem Philoſophi in hoc puncto nullius ponderis eſſe poſſe apud catholicos demonſtrat inter alios clarè DerKennis diſp. 1. cap. & §. 1. & cap 4. §. 2.

De

De mente etiam D. Thomæ, multa nonnulli mouent; vt perſuadeant ipſum non fuiſſe conſtantem vbique in ea ſententia de principio indiuiduationis indiſtincto adæquate a materia ſignata, atque in eam rem expendunt locum iam indicatū ex opuſculo 16. nec non hęc verba in primum diſtinct. 34. quæſt. 1. art. 1. *Hypoſtaſis, vbicunque diſtinguitur realiter ab eſſentia, illi ſuperaddit pro indiuiduatione determinationem materiæ, vel alicuius, quod loco materiæ ſe habent.* Præterea in quæſtione de principio indiuiduationis nouiter inuenta, & appenſa ad tres tomos opuſculorum Caietani editos ſeorſim Venetijs, origo indiuiduationis reducitur in alia etiam præter materiam. Verùm ego his & ſimilibus non immoror, quando Angelicus Doctor in præſenti, & in quæſtione diſputata, quam ſuperius indicaui, clariſſimè ſuam mentem expoſuit circa repugnantiam multiplicitatis indiuidualis Angelorum intra eamdem ſpeciem infimam, idque vnicè quia carent materia. Satius igitur eſt ingenuè fateri ipſum eatenus aduerſari ſuperiori noſtræ ſententiæ, cui tamen ſuffragantur Scotus, & Scotiſtæ omnes, Suarez, Vaſquez, alijque omnes Theologi noſtri, dempto Granados, & non pauci ex Thomiſtis.

Art. 3. Non dubium eſt, quin ipſa etiam materia trinę dimenſionis capax, ſeu corpus etiam ipſum indigeat aliquo acci-

den-

denti, aut accidentium collectione peculiari, vt ſit diſcernibilis ab alijs eiuſdẽ ſpeciei, ac proinde conceptum materiæ abſtrahentem ab omni eiuſmodi accidenti, & collectione proprietatum, eo ipſo redigere omnem materiam, & omne corpus ad vnitatem vniuerſalem, qua de cauſa D. Thomas non qualitercunque dicit materiam eſſe principium indiuiduationis, ſed materiam ſignatam, id eſt quatenus præditam tali determinata menſura, ſitu, alijſque eiuſmodi. Verùm ſicut vnicuilibet corpori neceſſariò adijciuntur, inſuntque à parte rei tales, vel tales aliquæ determinatæ proprietates peculiares nulli alij communes, ita etiam vnicuilibet ſubſtãtiæ purè ſpirituali adijciuntur ſimiliter, inſuntque permanenter, ac inamiſſibiliter ſpecialia aliqua accidentia, quibus determinatè refertur ad tale, vel tale aliquod corpus modo ſuperius explicato. Quapropter ſicut intellectus diſtinguit, atque diſcernit vnũquodque corpus ab alijs corporibus, cointellectis accidentibus, & proprietatibus eius peculiaribus, ita etiam diſtinguere, atque diſcernere poteſt vtrumquemque Angelum ab aliis Angelis, vtcunque ſimilibus quoad eſſentiam, penituſque æqualibus quoad omnia prædicata identificata realiter cum ipſis, dummodo cognoſcat ſimul accidens, vel accidentia, quibus ordinatur, ac refertur ad corpus de-

determinatè ſumptum. Conceditur itaque, nec dari, nec intelligi, vel etiam fingi poſſe, duos Angelos eiuſdem infimæ ſpeciei abſque diſcernibilitate eorum mutua per accidentia, & proprietates prædictas. Quod eodem modo verificatur de duobus corporibus eiuſdem infimæ ſpeciei ſpoliatis itidem omni eiuſmodi proprietate, ſeu accidente peculiari. Sed negatur non poſſe indi Angelis eiuſdem infimæ ſpeciei accidétia characteriſtica relatè ad diuerſa corpora, quatenus motioni, ac directioni eorum ſpecialiter ſubordinata, ſicut proportionaliter contingit in corporibus eiuſdem infimæ ſpeciei.

Ad 4. Sicut ad perfectionem vniuerſitatis rerum ſenſibilium pertinet, vt quædam diſtinguantur ſpecie, ideoque ſint inuicem ordinatæ per ſe; alię vero ſint eiuſdem infimæ ſpeciei, ideoque ſint inuicem ordinatę per accidens; ita etiam dici poteſt pertinere ad perfectionem vniuerſitatis rerum purè ſpiritualium, vt in ea reperiatur vtriuſque eius ordinis differentia. Nec enim neceſſe eſt, vt omnes ſenſibilium imperfectiones excludátur à ſpiritualibus creaturis, cùm ſint plures imperfectiones omni enti creato communes, nec adſit argumentum ſpeciale ad excludendam ex rebus ſpiritualibus iſtam potius imperfectionem ordinis per accidens, de qua agitur, quam

ad

ad excludendam quamlibet aliam imper-fectionem. Igitur ex ea comparatione hoc ſolùm efficaciter concluditur, ordinem, tum per accidens, tum per ſe rerum ſpiritualium eſſe perfectiorem, quam ſit vterque idem ordo in rebus materialibus. Quod eſt veriſſimum, quia ſicut prædicata ſpecifica Angelorum, quæ fundant ordinem per ſe, ſunt perfectiora, quàm prædicata ſpecifica corporum; ita ſunt, vel forent perfectiora accidentia indiuidualia, ſeu inuicem diſcretiua illorum, quam iſtorum, quæ fundant ordinem eorum per accidens. Quod ad confirmationem attinet nego ordinem per ſe, & ſpecificam mutuam diſtinctionem omnium cæleſtium corporum fundari in maiori ipſorum, quàm ſublunariũ perfectione, Quia animalia, ac præſertim homo, in quibus datur multiplicitas purè indiuiduales ferè innumerabilis; ac proinde datur ordo per accidens; ſuperant perfectione omnia cæleſtia corpora Alia igitur ratione nititur naturalis repugnãtia multitudinis purè indiuidualis corporum cæleſtium, de qua dicetur in loco. Nunc enim ſufficit, quod manifeſtè apparet, eam non fundari adæquatè in magnitudine perfectionis, ac proinde nihil inde concludi ad propoſitum.

Ad 5. Illa ratio eodem modo, cumque eadem prorſus vi applicari poſſet ad probandum pauciores ſpecies eſſe poſſibiles

biles ſub genere ſubſtantiæ intellectualis, quàm ſub genere ſubſtantiæ, aut ſenſitiuæ, aut negatiuæ, aut expertis vitæ, paucioreſque dari de facto ex natura ipſa rei ſpecies priorum, quam poſteriorũ ſubſtantiarum. Quia multiplicitas non minus ſpecierum ſub eodem genere, quã indiuiduorum ſub eadem ſpecie fundatur in inſufficientia vniuſcuiuſque ſeorſim, tum ſpeciei, tum indiuidui. Cum ergo intentum illud maximè omnium reprobet D. Thomas auctor huius, ſicut & prȩcedentium duorum argumentorum in loco prȩiudicato de ſpiritualibus creaturis; non video quo iure idem argumentum dirigatur ad negandam poſſibilitatem plurium Angelorum ſub eadem ſpecie infima. Dico iam abſolutè, ad ſaluandam maioré Angelicȩ naturæ ſufficientiam, quam ſit ſufficientiu naturæ corporalis, ſatis eſſe, quod vnuſquiſque Angelus per indiuiſibilem entitatem ſufficiat ad operationes longè perfectiores, quàm vllum corpus per entitatem ex pluribus partibus conflatam; tametſi nullus Angelus ſe ſolo ſufficeret ad præſtanda omnia, quæ pertinent ad totam rationem ſuæ ſpeciei, ſicut nec ſufficit vllum corpus ſublunare pro omnibus pertinentibus ad ſuam ſpeciem. Verùm de hoc dicetur pluſculum opportunè in quæſtione ſequenti, Hoc vnum hic addo, comparationem cum Deo nihil hac in re efficaci-

ter

ter concludere;. Quia omnia creata infinitè diſtant, ac differunt à Deo, ideoque oportet peculiarem adducere rationem pro tali, vel tali determinata differentia excludenda, vel non excludenda ab vnoquoque ente creato.

QVAESTIO VI.

Vtrum dentur de facto plures Angeli eiuſdem infimæ ſpeciei.

VIDENTVR non dari 1. Quia multitudo indiuiduorum ſub eadem ſpecie infima videtur ordinari ad ſolam conſeruationem perpetuam ſpeciei. Vt nimirum deficiente vno indiuiduo, ſuperſit aliud in quo ſaluetur ſpecies, quæ ſola intenditur per ſe à natura. Quæ de cauſa in ijs ſublunaribus, quæ ſunt corruptibilia, dantur plura indiuidua ſub vnaqualibet ſpecie cum incorporibus cæleſtibus, quæ ſunt incorruptibilia, nulla detur einſmodi multiplicitas indiuiduorum eiuſdem infimæ ſpeciei; cũ igitur Angeli ſint incorruptibiles, ac indefectibiles ex ſua natura, vt dictum eſt quæſt. 3. nulla duo indiuidua admittenda ſunt inter eamdem ſpeciem infimam, ne quid dicatur ſuperfluum inductum à Deo eſſe in naturam.

2. Magis confert ad pulchritudinem vniuerſi diuerſitas ſpecierum, quam indiuiduorum eiuſdem infimę ſpeciei. Ergo in ea parte vniuerſi penes quam eſt maxima, & ſumma eius pulchritudo, quæ ſunt Angeli, ſola admittenda eſt diuerſitas ſpecifica.

3. Ratio, ob quam in miniſtris, & famulitio Principum oportet, vt dentur plures paris, & imparis conditionis pro diuerſis & ſimilibus miniſterijs, iuxta illud Prouerb. 14. 28. *In multitudine Populi dignitas Regis; & in paucitate plebis ignominia Principis*. Ratio, inquam, eſt: quia ſinguli non ſufficiunt abſque aliorum conſortio ad exhibenda omnia obſequia, quibus indiget Princeps: & quia Princeps creatus nequit impertiri ſingulis ſubſtantialem, ac eſſentialem idoneitatem ad eas determinatè operationes, quas exigit ab vnoquoque: hæ autem rationes locum non habent in Angelis, qui ſunt miniſtri Dei. Quia ſufficientia cuiuſque Angeli eſt maxima propter maximam perfectionem naturæ Angelicæ: Et quia Deus poteſt facile inducere tantam diuerſitatem eſſentialem miniſtrorum, quanta poteſt eſſe diuerſitas peculiarium operum exigibilium ab ipſis.

Reſpondetur, probabilius aliquanto videtur dari de facto in vnaquaque hierarchia, atque in ſingulis ordinibus plures Angelos eiuſdem infimæ ſpeciei, idque qua-

quadruplici ratione. Prima eſt quia Angeli, quorum ſinguli ſunt cuſtodes ſingulorum hominum, omnes habent miniſterium vniforme, eiuſdemque infimæ ſpeciei. Par autem eſt credere eos eſſe omnes eiuſdem ſpeciei, quorum miniſteria ſunt eiuſdem ſpeciei, quia diuinę prouidentiæ perfectio imparibus ad imparia, tantùm, & paribus vtitur ad æqualia; atque oppoſitum huius videtur deſciſcere à ratione perfectæ prouidentiæ, atque ſapientiæ. Sicut autem infimi Angeli cõparantur immediatè cum hominibus, ita ſuperiores quique ordines comparantur cum inferioribus quibuſque ordinibus vſque ad ſupremum ordinem. Ergo eadẽ ratione admittendi ſunt plures Angeli eiuſdẽ ſpeciei in reliquis etiam omnibus ordinibus. Secunda ratio eſt, quia eadem pluralitas Angelorum intra vnamquamq; ſpeciem infimam eſt ipſis neceſſaria ad iucundum mutuæ familiaris beneuolentiæ, & communicationis omnium internorum conceptuum commercium, cuius in primis Angeli ſunt capaces, vtpote rationales; deinde indigent eodem. quia ſunt finitæ, ac limitatæ perfectionis, ideoque non ſibi quique ſufficientes naturaliter ad iucunditatem vitæ. Si autem omnes Angeli eſſent diſpares, nulli duo poſſent eiuſmodi mutuam communicationem perfecte inire. Quia Angelus inferior alio Angelo non poteſt percipere perfe-

ctè, & adæquate conceptus ſuperioris, vt patet; per ſe autem apparet moleſtum naturæ intellectuali finitæ, cum nullo poſſe agere æquè ſapienti, & æquè bono, capace eadem omnia percipere, & conanti intra eamdem ſphæram. Tertiò credibile eſt, eadem proportionali ratione inſtructam à Deo eſſe pulchritudinem curiæ cæleſtis, & mundi huius ſenſibilis. Quia perfectus artifex omnes ſui operis partes inſtruit proportione mutua, & iuſta correſpondentia, quantum fieri poteſt. Fieri autem potuit, vt liquet ex quæſtione præcedenti, vt obſeruaretur hæc etiam proportio inter ſpiritualia, & & corporalia quo ad diuerſitatem ſpecierum cum pluralitate indiuiduorum ſub vnaquaque ſpecie. Poſtremò potiſſima ratio multiplicandi indiuidua ſub eadem ſpecie infima eſt inſufficientia vnici indiuidui ad collectionem omnium operationum inuicem ſimilium, quæ eſt neceſſaria ad perfectam diſpoſitionem, ac directionem vniuerſi. Huiuſmodi autem inſufficientia manifeſtè deprehenditur inter alia ex deputatione ſingulorum ſeorſim Angelorum ad cuſtodiam ſingulorum hominum. Nempè cuſtodia vniuſcuiuſque hominis eſt eiuſdem rationis cum cuſtodia alterius hominis maximè, ſi vterque ſit, vti ſunt plerique aſſimilis conditionis, & ſphæræ. Perperam autem, ac ſuperuacaneè ſinguli Angeli ſingulis de-

pu-

putarentur hominibus, ſi vnus pro omnibus æquè ſufficeret.

Ad 1. Negatur vnicam, & adæquatam rationem multiplicitatis indiuidualis ſub eadem ſpecie infima eſſe conſeruationem ſpeciei: tum quia nuper reddita eſt alia, eaque potior ratio eius multiplicitatis, quæ viget in Angelis non minus quàm in corruptibilibus; tum quia indè fieret totidem ſolum debuiſſe dari indiuidua cuiuſque ſpeciei corruptibilium, quot præcisè ſufficerent ad perpetuam eius conſeruationem. Cuius oppoſitum cernitur manifeſtè in omnibus rerum corruptibilium ſpeciebus.

Ad 2. Eſto plus conferat ad pulchritudinem vniuerſi diuerſitas ſpecierum, quàm pluralitas indiuiduorum eiuſdem ſpeciei ſeorſim ſumpta; vtraque tamen ſimul pulchritudinem reddit maiorem, quam vtralibet ſeorſim, præſertim cum vnicuilibet indiuiduo ineſt aliquid peculiare, & diuerſum ab ijs omnibus, quæ inſunt reliquis indiuiduis, vti contingit in Angelis iuxta dicta in quæſtione præcedenti ab art. 4. Eadem igitur ratione, qua oportuit pro pulchritudine vniuerſi vndequaque completa, vt vltra ſpeciem, aut ſpecies ſupremas Angelorum darentur mediæ etiam, & infimæ ſpecies, oportuit ſimiliter, vt ſub vnaquaque ſpecie darentur plura indiuidua accidentaliter tantum inter ſe diuerſa.

Ad 3. Repugnat vt ijs, qui deſtinandi ſunt ad munera prorſus homogonea, & exigitiua æqualis prorſus virtutis in ſuo principio, conferatur ſubſtantialis, ac eſſentialis idoneitas ſpecialis pro ſingulis eiuſmodi miniſterijs. Quia diſpares in natura, & ſubſtantia eo ipſo ſunt habiles ad munera non ſolum plura, & diſtincta, ſed etiam diuerſa, ac heterogenea. Dictum autem eſt plurimum Angelorum munera, ac miniſteria eſſe prorſus æqualia, ac homogenea;

QVÆ-

QVAESTIO VII.

Vtrum Angeli aſſumant corpora.

VIDENTVR non aſſumere nec fieri poſſe, vt aſſumant 1. Quia corpus aſſumi à ſpiritu eſt hunc illi vniri, tanquã formam. Nempe aſſumere eſt ad ſe ſumere, quod fit per vnionem, nec fieri ſine vnione vllo pacto poteſt: Angelus autem nequit vniri corpori, cum ſit ſubſtantia pure ſpiritualis, & purè ſpiritualiter in ſe completa, adeoque inepta, quę compleatur per corpus ſibi vnitum, vt apparet ex dictis quæſt. 1. & 2. Ergo Angelus nequit aſſumere corpus.

2. Angelus ſufficit ſibi ſine corpore ad omnes ſuas operationes perfectè exercendas. Alioquin poſtularet intrinſecè vnionem cum corpore, tamquam cum inſtrumento neceſſario ad operandum perfectè. Quæ fuit ſententia Bernardi hom. 6. ſuper Cant. vbi dicit: *Demus Deo ſoli ſicut immortalitatem, ſic incorporeitatem, cuius natura ſola neque propter ſe neque propter alium ſolatio indiget inſtrumenti corporei. Liquet autem omnem ſpiritum creatum corporeo indigere ſolatio.* Sequela autem admitti non poteſt ob ea, quæ dicta ſunt in ea-

dem quæſt.1.& 2. Ergo nec antecedens.
Quod ſi abſque corpore poſſet exercere perfecte omnes ſuas operationes perperam, penituſque inutiliter aſſumeret corpus. Nihil autem perperam, & inutiliter peragit Angelus, Non igitur aſſumit corpus, ſi ea ſuppoſitio eſt vera.

3. Si Angelus aſſumeret corpus appareret hominibns, atque ab eiſdem exiſtimaretur corporeus, & opere ipſo diceret illis ſe eſſe corporeum. Quod eſt mentiri, & inducere in deceptionem. Angelus autem mentiri, ac decipere non poteſt. Quia peccare non poteſt.

4. Angelus aſſumpto corpore foret viſibilis, & tangibilis, ſicut homo, ac proinde eſſet indiſcernibilis per viſum, & tactum ab homine, aut ab alia ſubſtantia verè corporali. Fieri autem non poteſt, vt ſubſtantia purè ſpiritualis non poſſit certo diſcerni à ſubſtantia corporali. Alioquin fuiſſet inſufficiens argumentum Chriſti Domini, quo probat ſuá reſurrectionem Lucæ 24 39. *Videte manus meas, & pedes quia ego ſum, Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet. ſicut me videtis habere*. Ergo fieri non poteſt, vt Angelus aſſumat corpus, vtque ſub eo appareat hominibus.

5. Si Angelus aſſumeret corpus poſſet in eo edere operationes vitales vidédi, audiendi, loquendi comedendi, & localiter progrediendi, Quia eſt perfe-

ctio

ctior quàm anima rationalis, quę eiuſmodi operationes exercere valet in corpore, cui adiungitur. Fieri autem non poſſet, vt Angelus efficeret eiuſmodi operationes per corpus, quin viuificaret ipſum corpus. Quia operatio vitalis eſt eſt actus proprius viuentis. Viuificare autẽ corpus, eſt ipſum informare eidemque vniri tamquam formam. Quod iam iterum dictum eſt repugnare Angelo.

Art. 1. Reſpondetur Aſſumere dicitur tripliciter. Primo ſtrictiſſimè pro vnione phyſica perfectiua aſſumpti per aſſumens, qualis eſt aſſumptio humanitatis per Verbum diuinum. Atque hic modus aſſumptionis omnino repugnat Angelo reſpectu corporis, cùm ſit ſubſtantia ſimplex eſſentialiter completa per ſe ipſam, adeoque incapax, vt compleatur per corpus ſibi vnitum, aut vt compleat corpus per vnionem ſui cum ipſo. Immò neque ſubſiſtentia Angeli eſt idonea, quæ terminet, & vltimè compleat naturam corpoream, vt docent Vaſquez, & alij. Quia hoc differunt hypoſtaſis creata, & diuina, quod diuina præcontineat in ſe omne genus perfectionis, ideoque poteſt perficere intrinſecè, atque complere, quantum eſt ex ſe, quamlibet indiſcriminatim naturam. At hypoſtaſis creata, quia eſt finita, ac limitata ideo habet ſolam eam perfectionem, qua ſolam eam naturam perficere poſſit, cui connatura-

liter vnitur. Quæ quidem ratio probat vt obſeruat idem Vaſquez, ne quidem de potentia abſoluta fieri poſſe, vt Angelica natura, aut eius hypoſtaſis vniatur vel hypoſtaſi, vel naturæ vnione mutuò, vel non mutuò perfectiua intrinſecè ſuorum extremorum. Quia potentia abſoluta Dei nihil poteſt peculiare quoad genus cauſæ formalis, ſicut poteſt multa quoad genus cauſæ efficientis.

Art. 2. Secundus aſſumptionis modus fit per vnionem aſſumentis cum aſſumpto præcisè in ordine ad locum, & in ratione motoris, ac moti, & præterea cum vi repræſentatiua aſſumentis per id, quod aſſumitur. Atque hoc modo certum eſt ex fide Angelos poſſe aſſumere, & verè, ac realiter aſſumpſiſse varia corpora. Quia libri Prophetarum, ac maximè Tobiæ ſunt pleni apparitionibus Angelorum in figura corporali, atque varijs eorum operationibus in corporibus, & per corpora aſsumpta. Illuſtrior præ cæteris eſt apparitio Dæmonis, & collocutio cum Eua ſub ſpecie ſerpentis ex 3. Geneſ. Illuſtres quoque, ac celebres ſunt apparitiones bonorum Angelorum ſub ſpecie hominum, factæ Abrahamo, Loth; & Iacob. quę habentur Geneſ. cap. 18. & 19. & 31. vbi etiam narratur lucta Angeli cum Iacob per totam noctem. Præterea in Euangelio habentur etiam plures eiuſmodi apparitiones. Matthæi enim 4.

Sa-

Satan tentat Chriſtum viſibiliter, Et Luc. 22.43. apparet illi *Angelus de Cœlo confortans eum*. Et act. 12.7. Angelus Domini aſtitit Petro, illumque eduxit de carcere vt omittam alia eiuſmodi quam plura. Iſtiuſmodi porro apparitiones non fuiſſe purè imaginarias, vti imaginatus eſt Valricus in ſumma lib. 4. ſed veras, ac reales cum vera, ac reali vnione penetratiua Angelorum ad corpora, & cum vera, ac reali motione corporum per Angelos, cúque vera apparentia, & repræſentatione Angelorum per figuram, & modum corporum ſibi adiunctorum, perque operationes exercitas in ipſis, manifeſtiſſimè apparet. Tum ex realitate operationum corporalium, quæ exprimuntur in locis indicatis. Tum etiam quia vt optimè obſeruat D. Thomas quæſt. 51. artic. 2. quod apparet imaginariè tantum, eſt in ſola imaginatione videntis. Angeli autem inducuntur in prędictis locis, vel certè in pleriſque eorum perceptibiles indiſcriminatim ab omnibus; maximè verò Angeli, qui apparuerunt Abrahæ viſi ſuere non ſolum ab Abraham, ſed etiam à tota eius familia, necnon à Loth & à quibuſuis promiſcuè ciuibus Sodomorum, ſimiliterque Angelus Tobiæ ab omnibus promiſcuè videbatur. Quapropter veras, ac reales apparitiones corporales Angelorum, veraſque, & reales aſſumptiones corporum per Angelos cum vi, & diſpe-

ſitione repræſentandi, & indicandi cor-
poraliter, ac ſenſibiliter ipſos Angelos
vnanimi conſenſu tuentur poſſibiles, ac
ſæpe exiſtentes de facto, omnes Theo-
logi cum magiſtro in 2.diſt. 8. & cum D.
Thom. loco nuper indicato,

Art. 3. Ratio poſſibilitatis eſt quia
Angelis ineſt virtus ſufficiens ad motum
localem corporum, & ad configuratio-
nem ipſorum, qualis ipſis placuerit,& ad
præſtanda ea omnia, quę per ſolam mo-
tionem localem corporum præſtari poſ-
ſunt; quandoquidem hoc eſt minimum,
quod circa corpora peragi poteſt. Atque
Angeli aliquid peragere circa corpora
poſſunt, cum ſint directores eorum,vt ſu-
perius dictum eſt, & inferius confirma-
bitur denuo. Per ſolas autem prędictas
operationes peragitur aſſumptio corpo-
rum per Angelos, de qua nunc agitur, vt
liquet ex eius expoſitione præmiſſa in ar-
ticulo præcedenti initio. Ratio vero cō-
uenientię, ob quam pluries de facto ita
apparuerint Angeli, atque aſſumpſerint
corpora, deſumitur ex eo, quod Angeli
ex ſua natura ſunt adminiſtratorij ſpiritus
vti ſæpius dictum eſt, & vt tales incum-
bunt directioni, & protectioni, & con-
ſolationi hominum. Homo verò pluri-
mùm dependet à ſenſu, & ſenſibilibus
quoad directionem ſuorum actuum inter
norum, & quoad internam protectioné,
& conſolationem. Fieri itaque non po-
tuit,

tuit, vt omnes homines, & ſemper dirigerentur, protegerentur, atque conſolationem conſequerentur opportunam per Angelos, & tamen nunquam occurreret impoſſibilitas, ea præſtandi, aut perfectiſſimè, & conuenientiſſimè præſtandi, independenter ab aſſumptione corporis, & à vera, ac reali, verèque, ac realiter ſenſibili apparitione, & multiplici operatione corporali. Quæcumque autem ita ſunt opportuna, ac neceſſaria ad fines intentos per diuinam prouidentiam, eadem Dei prouidentia cumulatè præſtat in omni genere, quantum expedit.

Art. 4. Circa naturam porro corporis aſſumptibilis ab Angelis, ac de facto aſſumpti, licèt ſit nonnulla diuerſitas opinionum, ea tamen longè probabilior, quam tradit D. Thomas in dicto art. 2. ad 3 & alibi non ſemel, alijque plures auctores cum eodem: Angelos nimirum plerumque aſſumere corpus aereum, atque hanc eſſe conuenientem præ cæteris materiam ex qua plerumque conforment ſibi corpus humano ſimillimum. In primis enim cum Angeli ſint naturæ eſſentialiter ſimplicis, magis eis congruit corpus ſimplex, quam miſtum. Deinde cum aſſumant corpora ad breue tantummodo tempus, quo elapſo oportet, vt protinus diſpareat corpus aſſumptum, eiuſque configuratio humana; atque ter-

ra ſit corpus tenacius figuræ ſemel ſuſceptæ, nec ita facile diſpareat; patet terram ſimul cum mixtis omnibus debuiſſe ordinariè excludi ab eiuſmodi aſſumptione. Sed neque ignis, aut aqua conuenienter aſſumerentur. Quia huiuſmodi aſſumptiones, & apparitiones fiunt in gratiam hominum, vtque ipſis familiariter adſint Angeli. Ignis autem propter vehementiam ſuæ actiuitatis eſſet nimiū offenſiuus reſpectu eorum, in quorum gratiam fierent apparitiones, neque frigiditati, & humiditati aquæ idem deeſſet inconueniens. Vnus aer eſt, & maxime ſimplex, & facile ſuſceptiuus cuiuſuis figuræ, & in qua eadem figura faciliſſimè, ac citiſſimè euaneſcat, nihilque offendat hominem qui aſſidua eius inſpiratione, & reſpiratione fouetur, ac proinde eſt maximè accommodatus ex ſua natura, vt aſſumatur ab Angelis adiuncta per virtutem, & actiuitatem ipſorum conſtipatione partium, ac denſitate cógruenti, vt referat corpus humanum. Dixi autem vt plurimùm hanc eſſe materiam aſſumptionis, quia nonnunquam expedit vt corpus aſſumptum ſit naturæ, quæ non citò euaneſcat, ac diſpareat, vti videre eſt in apparitione dæmonis ſub figura ſerpentis in Paradiſo. An vero aeri, quando aſſumitur interijciatur exigua aliqua quantitas corporis craſſioris, ſicut interijcitur in nubibus, quo exemplo vti-

tur D. Thomas vbi ſupra, affirmant D. Bonauentura, Scotus, & nonnulli alij, Sed non videtur id omnino neceſſarium, nec tanti ea res eſt, vt longior mora circa eam fieri debeat.

Art. 5. Tertius aſſumptionis modus latè, ac impropriè talis, ac rarò ſub ea voce vſurpatus eſt per applicationẽ Angelicæ virtutis, & præſentiam eius, ad corpus præcisè vt ſubſtans motioni eius, abſque repræſenaatione Angelicæ naturæ per idem corpus. Quo pacto aſſumit Dæmon corpora hominum, quos obſidet, & dici quodammodo poſſunt aſſumere ſinguli Angeli ſingulos cœlos, quibus mouendis adſunt, nec non ſingulos homines, quibus cuſtodiendis, ac dirigendis inuigilant. Verùm de hoc aſſumptionis, ſeu quaſi aſſumptionis genere dicendum eſt infra ſeorſim, nec ad præsẽs attinet, vt quidquam dicatur, Quia hęc quæſtio ſubinſeritur in hoc loco à Diuo Thoma, àtque à nobis ſubinſerta eſt, tanquam appendix ad quæſtionem de incorporeitate Angelorum ad cuius intelligentiam conferunt aliquid primus, & ſecundus modus aſſumptionis, tertius verò nihil. Eadem autem ratione prætermittitur à fortiori examen apparitionis purè imaginariæ per puram apprehenſionem phantaſiæ, vel per oculos præſtigijs deluſos, de quo genere plura videri poſſunt apud Delrio, alioſque agentes de

Ma-

Magia, & aliquid à nobis etiam ſuggeretur infra.

Ad 1. Patet reſponſio ex diſtinctione aſſumptionis præmiſſa ſupra artic. 1. & 2. Secluſa enim aſſumptione per vnionem aſſumentis, & aſſumpti, vel alterutrius, quæ repugnat Angelo, ſupereſt aſſumptio per vnionem colligatiuam in ordine ad locum, & figuratiuam aſſumentis per aſſumptum, quæ non repugnat eidem.

Ad 2. Non exiſtit Angelus gratia ſui præcisè, nec operando ſoli incumbit propriæ vtilitati, cum ſit adminiſtratorius ſpiritus, tametſi principaliter exiſtat gratia ſui, atque operationes eius ordinentur principaliter ad propriam vtilitatem. Vnde licèt plerumque exiſtat ſine corpore ſibi adiuncto; Aliquoties tamen oportet, vt aſſumat corpus, quatenus aliquando accidit, vt non poſſit aliter ſubuenire hominibus, quantum, & quomodo intereſt ipſorum; interfuit autem magis, vt id frequentius fieret in veteri teſtamento, quam in nouo, vt obſeruat D. Thomas art. illo 2. ad 1. tum quia maiores erant tunc tenebræ generis humani, minorque capacitas proxima ad percipienda ſpiritualia, non ſubuenientibus extraordinario modo figuris corporalibus; tum maximè quia omnes illæ apparitiones Angelorum veteris teſtamenti erant opportunæ, & ordinabantur cum ſpeciali vtilitate ad præfigurandam

&

& pronunciandam apparitionem Verbi diuini in carne humana, & ad reddendam faciliorem poſtea in nouiſſimis temporibus fidem illius. Iam ſententia illa Bernardi procedit ex opinione eius iam ante reiecta de corporalitate Angelorum, niſi accipiatur, vt vult D. Thomas de indigentia corporis, non ad proprium intrinſecum complementum, ſed tanquam inſtrumenti aliquando neceſſarij ad actiones alijs vtiles, ideoque ad tẽpus aſſumpti modo dicto. Verum de modis interpretandi aliquos ex Sanctiſ. PP. quorum aliquæ locutiones videntur tribuere Angelis corpora connaturaliter vnita, & completiua eorum, dictum eſt iam vniuerſaliter ſupra.

Ad 3. Sicut nos, quia cognoſcimus inſenſibilia mediantibus ſenſibilibus, cognoſcimus illa ad modum iſtorum, quin propterea affirmemus inſenſibilia eſse ſenſibilia, aut credamus talem eſse modum, quo Angeli ſunt in ſe, qualis eſt modus, quo cognoſcuntur à nobis ita etiam Angelus aſumens corpus, atque ſub eius velamine apparens, non propterea dicit, aut vllatenus ſignificat ſe eſse corporeum, ſed ſe eſse perfectius, qualis imperfectè apparet, ac ſublucet per corpus, & per operationes, quas mediante corpore exercet, In quibus nimirum apparet vis intellectiua latentis

ſub

ſub corpore, & directiua hominis, atque ſufficiens ad cuſtodiam eius.

Ad 4. Optimè obſeruat Vaſquez diſp. 184. cap. 2. licèt Angeli apparentes corporaliter ſint indiſcernibiles per negligentem primi occurſus obſeruationem, quatenus corpus aſſumptum vtcumque aëreum, ac tenue, eſſet reſiſtitiuum tactus propter conſtipationem, & condenſationem eius præternaturaliter ſuperadditam, & propter colores vlterius ſuperinductos humanis ſimillimos, eſſe nihilominus diſcernibiles abſolutè per accuratam inſpectionem. Quia eſt impoſsibile, vt Angelus inducat in corpus non viuens omnes qualitates, totumque temperamentum proprium corporis viuentis. Quia ipſe ex ſe actiuitatem immediatam ad id ſufficientem nequaquam habet, nec poteſt applicare cauſas corporales ad id ipſum ſufficientes, quin deprehendatur ab adſtantibus, ſi & abſolutè id impoſſibile non eſt. Examen autem ſui per inſpectionem, & contactum, quod exigit Chriſtus Dominus à Diſcipulis fuit diligentiſſimum vt apparet ex contextu illo Lucæ, & ex cap. 20. Ioannis. Accedit Angelos bonos ſemper in eiuſmodi apparitionibus interijcere aliquas actiones, ex quibus tandem innoteſcat, certo, ac legitimè natura ipſorum. Mali vero innoteſcunt ſatis, no-

lenti

lenti decipi ex praua eorum intentione; quam manifeſtant operationes ipſorum.

Ad 5. Operationes,& effectus viuentium proprij ſunt in duplici differentia. Quia in quibuſdam non ſolus modus operandi, ſeu actio eſt vitalis; ſed etiam ſubſtantia operis, & terminus vitaliter productus eſt intrinſece vitalis, vt patet in intellectione, volitione, viſione, auditione, & ſimilibus. Atque operationes huiuſmodi nullas poteſt edere Angelus in corpore, aut per corpus aſſumptum. Quia nequit ipſum viuificare, nec vti nō viuo ad aliquid vitale,qua vitale eſt peragendum. Aliæ viuentium operationes ſunt, in quibus ſolus modus operandi,& actio eſt intrinſece vitalis, terminus vero productus eſt vitalis per ſolam denominationem extrinſecam. Huiuſmodi ſunt locutio, comeſtio, generatio, & motus progreſſiuus. Quia ſonus editus per vitalem aeris concuſſionem, qui in locutione intercedit, non eſt intrinſecè vitalis; idemque dicitur de traiectione cibi in ſtomachum, nec non de traductione ſeminis ab vno corpore in aliud; nec non de tranſitu corporis de vno loco in aliū. Atq; huiuſmodi operationes poteſt exercere Angelus in corpore, & per corpus aſſumptum cum imitatione, ſed abſque realitate vitalitatis. Quia nimirum hoc non tranſcendit limites virtutis actiuæ ſufficientis ad mouenda localiter corpo-

ra, quam certum eſt ineſse Angelo, & bono, & malo. Patet autem nihil hoc prodeſse pro ſcopo argumenti.

QVAESTIO VIII.

Vtrum duratio Angeli ſit indiuiſibilis.

VIDETVR eſse indiuiſibilis 1. Quia æternitas eſt duratio indiuiſibilis. Angelus autem durat æternitate vt habetur ex Baſil. hom. 1. Hexam. ad illud *in principio creauit*. *Erat ſanè*, ait, *ſtatus quidam mundi generatione ſuperior, abſtractis illis à concretione materiæ potentijs* (Angelis) *mundo praſtantioribus, pro decoro accommodatus temporis etiam cõditione anterior, æternus nimirum, ac perpes*, Ergo duratio Angeli eſt indiuiſibilis.

2. Duratiò diuiſibilis habet partes priores, & poſteriores; Vbi autem eſt prius, & poſterius datur numerus. Quia poſterius ſuperadditum priori conſtituit multitudinem numerabilem ſecundum ordinem eorum. At numerus eſt ſpecies quantitatis ex Philoſopho. Cum igitur Angelus ſit expers quantitatis, vtpote incorporeus, vt ſuperius dictum eſt, eſt omnino incapax durationis diuiſibilis.

3. Si

3. Si duratio Angeli eſt indiuiſibilis, nihil differt à tempore. Quia tempus eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius, vt definit Philoſophus. Duratio autem quælibet diuiſibilis eſt numerabilis ſecundum prius, & poſterius, vt per ſe patet, & ex ratione modo indicata. Duratio autem Angeli eſt longè diuerſa à tempore. Quia Angelus durat æuo, vt fert communis omnium ſententia. Aeuum autem eſt duratio media inter æternitatem, & tempus æquè diuerſa ab vtroque hoc extremo. Quod itidem docetur cõmuniter ab omnibus. Omnes enim diſtinguunt durationem in æternitate, æuũ & tempus.

4. Duratio eſt proprietas rei durantis. Proprietas autem cuiuſque rei participat naturam eius, & eſſentialiter eſt imitatio quædam eius. Cum ergo Angelus ſit indiuiſibilis quoad ſuam naturam, oportet durationem quoque eius eſſe indiuiſibilem.

5. Immo duratio eſt indiſtincta à re durante, vt docent Suarez, & alij plures. Impoſſibile igitur eſt durationem Angeli, qui eſt eſſentialiter indiuiſibilis, diuiſibilem eſſe.

Sed contra eſt 1. Quia vt dicit Auguſt. lib. 8. ſuper Geneſ. ad litt. cap. 20. *Deus mouet creaturam ſpiritualem per tempus*. Tẽpus autem eſt duratio diuiſibilis. Ergo Deus mouet Angelos per durationẽ diuiſibilem.

2. Du-

2. Duratio cuiuſque rei eſt determinatio eius ad permanendum in eſse, Determinatio autem Angeli ad permanendum in eſse, eſt diuiſibilis. Quia poſita determinatione eius, vt ſit hodie, poteſt deeſse determinatio eius vt ſit cras; quãdoquidem exiſtens hodie poteſt annihilari cras de potentia abſoluta.

3. Angeli durant ſicut animæ rationales. Quia vtriſque eſt vniformiter cõmunis immortalitas, & æuiternitas. Animæ autem rationales durant duratione diuiſibili. Quia anima, quę hodie creatur, & infunditur corpori, minus habet de duratione, quam anima Adæ, aut aliorum hominum, qui præceſsere. Vbi autem datur plus, & minus, datur vtique diuiſio, nec augmentum, & additio fieri poteſt abſque diſtinctione inter alias, & alias partes. Duratio igitur animarum & conſequenter Angelorum, eſt diuiſibilis.

4. Quæ ſunt ſeparabilia, ſunt diuiſibilia. Duratio autem Angeli hodierna eſt ſeparabilis à duratione eius craſtina. Quia fieri poteſt abſolutè, vt exiſtat hodie, & annihiletur cras, atque adeo vt detur duratio eius hodierna, & nihilominus non detur craſtina. Quæ autem ſeparabiliora eſse poſsunt, quam ea, quorum altero dato fieri nihilominus poteſt, vt alterum non detur.

5. *Proprium eſt ſolius Dei, quod non no-*

uerit

uerit fuiſſe, aut futurum, vt dicit Gloſſa Exodi 3. ex Iſidoro lib. 7. Etymolog. c. 1. atque *tantum diuinum nũc idem ſemper perſeuerat*, vt dicit Boetius lib. 1. de Trinit. referente Scoto. Ergo nullius rei creatæ, ac proinde nec Angeli *nunc* idem ſemper perſeuerat, ſed habet fuiſſe, & futurum eſſe, in quæ proinde extrema diuiſibilis eſt.

6. Duratio Angeli à parte poſt eſt infinita. Vnde ſi duratio Angeli eſſet indiuiſibilis, & tota ſimul, aliquid creatum eſſet infinitum in actu. Quod repugnat, quia ſolus Deus eſt actu infinitus, vt dictum eſt quæſt. 7. de Deo.

Art. 1. Reſpondetur. Ponendum initio eſt hoc, durationi, & vbicationi Angeli commune, immo & durationi, atque vbicationi omnis rei creatæ vniformiter conueniens: Nimirum non minus repugnare Angelo, & cuiuis enti creato, vt nulli, bi, aut nunquam determinatè ſit ex ſuppoſitione, quod verè exiſtat in ſe intrinſecè à parte rei, quàm vt vbique, aut ſẽper ſit. Repugnat enim manifeſte vt aliquid creatum ſit præſens poſitiuè imméſitati, & æternitati Dei, vti neceſſe eſt quemlibet effectum eſſe præſentem ſuæ cauſæ efficienti, quatenus efficientia, qua accipit ſuum eſſe; & nihilominus nec ſit præſens poſitiuè eiſdem æternitati, & immenſitati totis, & totaliter, nec excludatur determinate ab vlla illarum parte, aut

aut quaſi parte ; ſiue vt Deus ponat à parte rei veram, & poſitiuam Angeli præſentiam, & coexiſtentiam reſpectu ſui; Et tamen nullam determinatè præſentiã & coexiſtentiã ponat determinatè à parte rei, cum nihil vagum, ac indeterminatum dari poſſit à parte rei intrinſecè, ac entitatiuè. Sicut igitur Deus nihil creare poteſt, quin illi communicet aliquam participationem determinatam ſui eſse, adeoque determinatam entitatem; ita fieri non poteſt, vt aliquid creet, quin illi communicet aliquam participationẽ ſuæ, & æternitatis, & immenſitatis. Tam enim neceſse eſt, vt quidquid creat, creet alicubi, & aliquando, & non ſemper, aut vbique, aut nullibi, vel nunquam; quam neceſse eſt, vt quidquid creat, faciat aliquid eſse determinatè tale, & non aut habens totam plenitudinem eſsendi in omni genere, aut nihil determinatè habens de eſse. Accedit, Angelos ex ſua natura eſse ordinatos ad operandum circa corpora, & circa ſe inuicem. Id quod fieri non poteſt abſque duratione, & vbicatione, quibus coexiſtant, & reddantur indiſtantes reſpectu eorum determinatè ſubiectorum, circa quæ operatio verſari debet, cum ſit de ratione cauſæ, vt coexiſtat ſuę operationi, vtque non diſtet à ſubiecto, in quo, vel circa quod operatur. Igitur Angeli ſiue comparentur cum Deo, cuius ſunt effectus, ſiue

cum rebus creatis, in quibus agere, & operari, eos oportet, neceſſe eſt, vt alicubi, & aliquando ſint determinatæ, nec fieri poteſt vt abſoluatur ab omni aut duratione, aut vbicatione determinata.

Art. 2. Dicendum rurſus eſt, iisdem promiſcue de duratione, & vbicatione, vtramque eſſe modum ſuperadditum Angelo. Quia nimirum Angelus eſt ex ſua natura indifferens, vt creetur, & conſeruetur à Deo prius, vel poſterius, hic, aut alibi, prout ipſi placuerit. Sicut enim Deus creauit Angelos de facto ſimul cum mundo corporeo, atque in Paradiſo, ſeu in ſupremo Cœlo; ita potuit creare, vel ante, vel poſt mundum corporeum, atque in concauo lunæ, aut in aere, aut in terra. Et rurſus ſicut operantur ſinguli Angeli circa talia determinatè corpora exiſtentia in tali determinato loco, & pro tali determinato tempore; ita fieri potuit vt à Deo ordinarentur, ac diſponerentur proximè ad operandum circa corpora exiſtentia alibi, & alio tempore. Ipſi quin etiam Angeli poſſunt propria voluntate applicari ad agendum modo hic modo alibi, & circa tale determinatum corpus pro tali determinato tempore, & non pro alio. Vtraque igitur ratione apparet Angelos, licet ſint intrinſece determinati, vt ſint; nihilominus eſſe indifferentes, ad talem, vel talem potius, quam ad aliam quamlibet determi-

natam, & durationem, & vbicationem. Determinatio autem indifferentis ad aliqua duo, vel plura aliquid addit ipſi indifferenti. Non enim eſt aliquid indifferens, ſimulque determinatum ad vnum, & idem præcisè per ſe ipſum. Quod quidem eſt euidentiſſimum in ente finito, ac limitato. Quia quodlibet indifferens ad plura eſt eo ipſo ſeparabile à determinatione reſpectu cuiuslibet ex illis determinatè ſumpta, vt per ſe patet Patet autem æquè clare quæ ſunt inuicem ſeparabilia realiter, eſſe inuicem diſtincta realiter. Verum de hoc fuſius in philoſophia. Ratio enim propoſita ſufficit, quantum quidem ego aſſequor, quidquid reclament nonnulli, vt ſupponatur tanquam certum vbicationem, & durationem Angeli eſſe modos realiter ipſi ſuperadditos, atq; ab eodem realiter diſtinctos non minus, aut aliter, quam diſtinguantur intellectio, & volitio. Supereſt iam vt explicetur tantum qualis ſit vterque modus an diuiſibilis, an indiuiſibilis. Atque de vbicatione dicetur in quæſtione ſequenti.

Art. 3 Quod ad durationem attinet in genere, tres eius differentiæ aſſignantur communiter, æternitas, æuum, & tempus. Quæ diuiſio nititur triplici rerum differentia. Alia namque ſunt obnoxia generationi, & corruptioni, atque tranſmutationi, quæ momentis omnibus ſubeunt mutationem aliquam, ratione cuius

magis, & magis appropinquant ſemper ad interitum, & non eſſe ſuum. Quæ proinde menſurantur tempore inductiuo ſenectutis, & corroſſiuo rerum, quas afficit, neque aliquam eorum permittenti, vt vel vno inſtanti maneat in eo ſtatu, ac diſpoſitione, in qua fuit prius. Extremum huic oppoſitum eſt Deus eſſentialiter immortalis, atque immutabilis non ſolum ſubſtantialiter, ſed etiam accidentaliter. Cuius proinde menſura eſt æternitas: id eſt *interminabilis vita tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*, vt fert cōmunis definitio ex Boetio, de qua dictum eſt quæſt. 8. de Deo. Tertium rerum genus complectitur ſubſtantias ex ſua natura permanentes æternum, ex quo ſemel exiſtunt, inuariabiles quidem ſubſtantialiter, atque immutabiles, commutabiles tamen, & variabiles accidentaliter. Quæ proinde ſubſtantiæ durant æuo, quod eſt duratio media inter æternitatem, & tempus, ſicut ſubſtantiæ createæ incorruptibiles ſunt mediæ inter Deum, & corruptibilia. Verum quia ſubſtantiæ creatæ incorruptibiles plus diſtant à natura Dei, quam à natura rerum corruptibilium, prout iterum dictum eſt ſupra, propterea æuum quoque differt plus ab æternitate, quam à tempore. Duobus autem præcipuè diſtant à Deo ſubſtantiæ creatæ incorruptibiles. Primo quia non repugant metaphyſicè, vt redigantur ad nihilum, poſſuntque abſo-

lute, licet non poſſint ex natura rei deſinere eſſe, poſtquam extitere. Quod repugnat Deo. Deinde differunt. quia poſſunt etiam naturaliter ſubire multiplicem mutationem accidentalem transeũdo à bono opere ad malum, & peccatum ab intellectione, & volitione vnius obiecti ad intellectionem, & volitionem alterius obiecti, & ſic de alijs eiuſmodi. A rebus vero corruptibilibus differunt præcipuè, quia ſunt incapaces alterationis tendentis ad corruptionem ſubiecti ex ipſa natura rei. Aeuum itaque, quod eſt menſura ſubſtantiarum incorruptibilium, quatenus hæ differunt à Deo, habet partes realiter inter ſe diſtinctas, quarum aliæ alijs ſuccedunt eſſentialiter, eoque differt ab æternitate, & conuenit cũ tempore. At quatenus eædem ſubſtantiæ ſunt incorruptibiles ex natura rei, ſeu quatenus differunt à corruptibilibus, eædẽ partes eui fluunt cum omnimoda inter ſe vniformitate, ac indiſcernibilitate intrinſeca ſecundum ſe præcisè.

Art 4. Ratio diſtinguendi partes in æuo, eſt; quia non poteſt fieri nequidem de potentia Dei abſoluta, vt, quod non habet partes realiter inter ſe diſtinctas partim ſit, & partim non ſit. Fieri autem poteſt de potentia Dei abſoluta, vt æuum Angelicum partim ſit, & partim non ſit, Cum enim æuum ſit id, per quod in genere cauſæ formalis Angelus determi-

minatur ad permanendum in eſſe; fieri vero poſſit de potentia abſoluta, vt Angelus aliquãdiu permaneat in eſſe, ac deinde non permaneat, fieri vtique poteſt de potentia abſoluta, vt partim ſit, & partim non ſit æuum Angelicũ, per quod Angelus permanet in eſſe, in genere cauſæ formalis. Vnde Angelum fuiſſe, vel futurum eſſe, non differt ſecundum ſolam acceptionem intellectus noſtri, ſed ſecundum ipſam realitatem obiectiuam. Quia Angelum exiſtere heri, atque coexiſtere rebus corruptibilibus, & differentijs tẽporis exiſtentibus heri, eumdemque non exiſtere hodie, neque coexiſtere rebus corruptibilibus, & differentijs temporis exiſtentibus hodie, non accidit ſecundum acceptionem noſtri intellectus, ſed ſecundum realitatem obiectiuam. Non igitur accidit ſecundum ſolam acceptionem noſtri intellectus, ſed ſecundum ipſam realitatem, vt ratio formalis, per quam Angelus determinatur, vt exiſtat heri, & coexiſtat rebus heſternis, detur à parti rei, & nihilominus non detur à parte rei ratio formalis, per quam idẽ determinari potuiſſet, vt exiſteret hodie & coexiſteret rebus hodiernis. Eadem itaque ratione, qua nuper oſtenſum eſt durationem Angeli eſſe diſtinctam realiter, atque realiter ſeparabilem ab eius ſubſtantia ſecundum ſe, probatur ęquè efficaciter eamdem durationem, ſeu euũ

habere partes realiter inter ſe diſtinctas. Quia ſicut Angelus eſt indifferens ex ſua natura, vt creetur nunc vel prius, vel poſterius; ita eius duratio, quatenus iam inchoata eſt indifferens reſpectu potentiæ abſolutæ Dei, vt continuetur, vel non continuetur, vtque diutius, vel æternum continuetur, vel non continuetur. Vndè quia nihil eſt indifferens reſpectu ſui, vel reſpectu cuiuſquam ſecum realiter identificati, vtque ipſo dato ipſum nihilominus non detur, aut non detur aliquid, quod eſt idem realiter cum ipſo; concluditur æuum quatenus correſpondet tempori heſterno, & quatenus hodierno tempori correſpondet, habere partes realiter inter ſe diſtinctas, eoque ab æternitate differre, quæ eſt ſimpliciſſima. Et quidem ſi æuum nullis eſſet partibus realiter diuiduum, nihil differret ab æternitate ſumpta formaliter. Quia æuum ſicut à parte poſt eſt prorſus indefinitum, nulliſque finibus concluſum; ita eſt quoad conceptum ſuum metaphyſicū indefinitum à parte ante, nulliſque finibus concluſum. Quia nullum eſt aſſignabile, vel imaginabile nunc determinatum durationis, pro quo Deus potuerit Angelum creare, ante quod non potuerit creare eumdem. Quapropter, ſi æuum Angelicum quatenus reſpicit permanentiam à parte poſt, nullas habet partes; ſed per indiuiſibilem entitatem infinitum

di.

diſtenditur, nec etiam quatenus reſpicit parmanentiam à parte ante vllas habebit partes, ſed per indiuiſibilem entitatem diſtendetur infinitùm, ac proinde erit æquale æternitati, & ęque indiuiſum, ac ipſa. Quod eſt abſurdum.

Art.5. Ratio omnimodę vniformitatis, totaliſq; indiſcernibilitatis mutuæ inter partes æui fūdatur in vniformi, ac inuaria-bili ſubſtātialiter permanētia Angeli. Sicut enim ſuperius q.4. dictū eſt Angelos eiuſdem infimæ ſpeciei non eſſe ex ſua natura diſcernibiles mutuò, ſi conſiderentur ſecundum ſe pręcisè, & niſi inſit eis aliquid per quod referantur ad diuerſa corpora. Ita ſimili fundamento dicendum eſt partes æui eſſe ſecundum ſe omnino ſimiles, ac indiſcernibiles inuicem. Quia videlicet fundamentum, ex quo reſultant, vniformiter, eodemque penitus modo ſe habet ſemper, quod ad ſubſtantiam attinet. Nec enim Angelus iuueneſcit, ſeneſcit, & appropinquat ad interitum ſicut homo, ſed ſemper æquè, eodemque modo viget. Vnde in Angelo nihil differt duratio anni centeſimi, à duratione anni milleſimi, & ſic de alijs differentijs, ideoque aſpiciens ad pręſentem quandocumque durationem eiuſdem nihil conijcere poteſt, ſicut poteſt in homine, de multa, pauca, aut nulla prorſus duratione præexiſtenti. Hac de cauſa æuum Angelicum dici poteſt indiuiſibile funda-

mentaliter, licet formaliter ſit diuiſibile, cùm tempus ſit diuiſibile non ſolum formaliter, ſed etiam fundamétaliter. Quia videlicet ſubſtátiæ corruptibiles ſunt diſpariter affectę ſemper quoad vlteriorē ſuam durationem, & permanentiam; Angelus verò ſemper eſt vniformiter affectus quoad eamdem, nec pro inducenda duratione ſequenti eget alio ſuæ ſubſtantiæ ſuperaddito, præter durationem præcedentem omnino ſimilem eidem ſequenti durationi.

Art. 6. An verò æuum Angelicum dicendum ſit abſolutè indiuiſibile propter indiuiſibilitaté ſui fundamenti, & propter vniformitatem, ac indiſcernibilitatem mutuam omnium ſuarum partium; an verò diuiſibile propter realem metaphyſicam diſtinctionem ſuarum partium? quæſtio eſt de voce. Placet verò loqui cum D. Thoma, alijſque communiter dicentibus æuum eſſe indiuiſibile, habita maiori conſideratione fundaméti ex quo reſultat, quod eſt valdè notius, quam intrinſecæ ſuæ conſtitutionis, quæ ab eodem D. Thoma, maximè verò à Caietano, nec non à Suarez, & alijs dicitur abſtruſiſſima. Accedit commodius eſſe inde denominare æuum, vnde maximè differt à tempore, pro clariori vtriuſque diſtinctione, & pro expeditiore diſputationum vſu. Differt autem æuum à tempore per ea duo præcipuè, ac maximè,

ob

ob quæ indiuiſibilitas adſcripta eſt æuo. Nihil porro neceſſe eſt dicere, ac ſuperaddere circa durationem operationum Angeli. quando apud omnes meritò receptum eſt, illas durare per tempus diſcretum, ſeu per inſtantia minimè continua. De quo tamen infra opportunè aliquid adijcietur.

Ad 1. Partis affirmantis indiuiſibilitatem æui. Baſilius loquitur de æternitate à parte poſt, eáque vt magis exponat, addit perpetuitatem, quæ non ſolum ex ſuo conceptu, ſed etiam ex communi modo loquendi admittit partes realiter diſtinctas vt patet in motu perpetuo Cœlorum.

Ad 2. D. Thomas in hac 1. p. quæſt. 30. diſtinguit optimè duas ſpecies numeri. Alius nempe eſt fundatus in vnitate, & multiplicitate tranſcendentali, atque hic non eſt ſpecies quantitatis. Alioquin perſonę diuinæ quæ ſunt plures, & numerabiles, haberent adiunctam quantitatem; necnon Angeli ratione multiplicitatis ſpecificæ, & ſic de alijs rebus ſpiritualibus vtcumque realiter diſtinctis. Alius verò numerus eſt, qui fundatur in diuiſione continui materialis, cuius partes habent diſcernibilitatem mutuam ſibi deuinctam ex ſua natura, vt innotuit quęſt. 5. art. 2. Partes autem æui Angelici non ſunt huius poſterioris generis, ſed prioris, vt liquet ex dictis paulo prius.

Ad 3. Aeuum Angelicum longe differt à tempore, tametſi commune ſit vtrique habere partes. Quia æuum non eſt numerus motus, nec fundatur in motu, ſicut tempus.

Ad 4. Duratio Angeli participat naturam eius propter vniformitatẽ intrinſecè inuariabilem omnium ſuarum partium ſuperius explicatam. De reliquo notum eſt ſpecies Angelicas, & ex ſententia ſatis communi potentias quoque, que intellectiuam, & volitiuam eſſe inter ſe diſtinctas, tametſi inſint naturæ indiuiſibili.

Ad 5. Sententia illa Suarez pluribus à me reiecta eſt efficaciter in philoſophia, & ratio nuper propoſita ar. 4. demonſtrat ſatis, eam admitti nequaquam debere. Qualiſcumque autem ſit probabilitas illius opinionis, ea ſuppoſita nullus eſt cõtrouerſiæ locus in re pręſenti, cùm pariter ſupponatur Angelum eſſe indiuiſibilem, vt mirum videri poſſit, eumdem Suarez tam fusè diſputare de ea nihilominus potuiſſe diſputatione 50. metaph. ſect. 5. vbi ſupponit ex antea diſcuſſis in diſtinctione durationis à re duranti.

Ad 1. Partis affirmantis diuiſibilitatem ęui. Auguſtinus æuum Angelicum dicit tempus latiori huius vocis ſignificatione, propter conuenientiam æui, & temporis, quoad diſtinctionem, & ſucceſſionem partium; vel quod magis eſt

conforme menti eius loquitur de motione Angeli accidentali ad ſuas operationes, quę re ipſa fiunt per tempus diſcretum, demptis operationibus beatificis, quæ ſunt æuiternæ. Ad reliqua eiuſdem partis conceditur totum, iuxta ſenſum partium æui, in quo rectè concludunt, præter ſextum. Quia licet æuum eſſet penitus indiuiſibile, non eſſet infinitum ſimpliciter, tum quia nihilominus foret finitum ex vna parte, nempe à parte ante, vt ſtatuunt auctores eius ſententiæ, tum quia eſſet infinitum tantùm in quodam determinato genere, & ſecundùm quid, nec pertingeret ad infinitatem, qualis eſt infinitas Dei.

QVAESTIO IX.

Vtrum Angelus ſit in loco.

VIDETVR non eſſe in loco 1. Quia corporibus cõuenit eſſe in loco, quatenus eorum intereſt, eſſe hic, & non alibi, pro ſua conſeruatione, & perfectione. Angelorum autem nihil intereſt eſſe hic, aut alibi, imò nullibi ipſorum intereſt, vt adſint, quia vbilibet æqualiter poteſt influere in ipſos Deus, à quo ſolo dependent, & accipiunt omnem ſuam perfectionem. Cùm ergo nihil cuiquam inutiliter inditum ſit à natura, non eſt ab ea inditum Angelis, vt ſint in loco.

2. Locus eſt ſuperficies corporis ambientis, vt dicitur 4. phyſic. Repugnat autem Angelo vt ipſum ambiat corpus aliquod, cùm ſit incorporeus, ideoque incommenſurabilis corpori, & incapax circumcluſionis, ac circumſcriptionis. Repugnat igitur locus Angelo. Eodem pertinet, quod locus eſt quantitas poſitionem habens. Repugnat enim Angelo poſitio, & ſitus, qui eſt proprietas quantitatis, cum repugnet eidem quantitas.

3. Non omne quod eſt, eſſe in loco, ſed tantùm corpus mobile eſt principiũ

Phi-

Philoſophi 4. phyſic, tex. 45. & 57. Angelus autem non eſt corpus mobile, vt dictum eſt ſupra. Et præterea ſi quid poteſt eſſe, quin ſit in loco, tale proculdubio eſt, quod eſt purè ſpirituale, ideoque minimùm omnium indigum ſubſidio loci. Qua de cauſa dicit Boetius in lib. de Hebdom. ſub initium, *communem animi conceptionem apud ſapientes eſſe, incorporalia in loco non eſſe*. Vnde videtur ad craſſam, ac fallacem imaginationem phantaſię pertinere, quod Angelis inſipienter adſcribatur locus.

4. Si Angelicæ naturæ non repugnaret eſſe in loco poſſent plures Angeli eſſe ſimul in eodem loco; & vice verſa, vnus Angelus poſſet eſſe ſimul in pluribus locis inuicem diſtantibus. Quia Angeli ratione ſpiritualitatis ſuæ ſubſtantialis nō poſsūt dici impenetrabiles mutuò; & quia perfectione ſua longè ſuperant perfectionem quamplurium corporum ſimultaneè ſumptorum, poteſt vnuſquilibet eorum præſtare, quod præſtant plura corpora, quoad ea, quæ ſibi aliundè non repugnāt. Vtrumque autem eſt inconueniens. Primum quia perperam adeſſent plures Angeli ſimul in eodem loco, cùm quilibet ſe ſolo ſit ſufficiens ad omnia, quæ peragi poſſunt in vnoquoque loco. Et confirmatur quia vnumquodlibet corpus ſufficit vnicuilibet loco, proptereaque eſt impoſſibile, vt ſint duo corpora ſimul in

eodem

eodem loco. Alterum verò eſt ſimiliter inconueniens. Quia ſi idem Angelus poſſet ſimul eſſe in pluribus locis inuicem diſtantibus, poſſet diſtare à ſe ipſo. Quia quæcumque ſunt in locis inuicem diſtantibus, diſtant inuicem. Diſtantia autem alicuius à ſe ipſo eſt manifeſtè chymærica. Quia vnumquodlibet eſſentialiter eſt ſummè coniunctum ſibi, nec eſt poſſibilis coniunctio maior, quæque magis repugnet ſeparationi, & diſtantiæ, quàm identitas.

Art. 1. Reſpondetur. Non hoc ſolum eſt incommodum in tranſitu conſiderationis à ſenſibilibus ad inſenſibilia, quod intellectus noſter dependens à ſenſu, & ſenſibilibus aſſuetus, ægrè, nec ſine violentia quadam emergit ad inſenſibilia, eaque propterea facile, aut partim confundit cum ſenſibilibus, aut nimium ab eorumdem modo, & natura diuellit; ſed hoc inſuper aliud intercedit incommodum, quod diſputationibus aliorum cum alijs diuerſarum præſertim ſcholarũ grauiter nocet; quod neceſſe eſt, magna ſaltem ex parte, voces primitus inditas rebus materialibus traducere ad res ſpirituales illis affines. Vnde fit, vt quod dicitur de re ſpirituali ſub voce propria rerum materialium, accipiatur in ſenſu illegitimo, atque applicetur ab audiente, vel legente, & traducatur ad rem ſpiritualem non ſub intellecta ea reſtrictione,

ſeu

ſeu modificatione, quæ aderat in conceptu loquentis, aut ſcribentis. Quæ tametſi communia ſint toti doctrinæ de rebus ſpiritualibus, tamen in quæſtione præſenti locum vel maximè habent, vt conijcere quiuis facile poteſt legens circa ipſam Scotiſtas, ac Nominales, & Thomiſtas, maximè verò Caietanum in quæſt. 52. art. 1. Quod inde emanaſſe crediderim, quia ſicut in rebus corporeis, quæ ſunt minima, vt atomi, & quæ propè atomos, difficillimè diſcernuntur per viſum; ita in intellectualibus, quæ ſunt infimæ, ac tenuiſſimæ perfectionis difficillimè percipiuntur, & inuicem diſtinguūtur per intellectum; atque præſentia localis eſt huiuſmodi, tam in ſpiritualibus, quàm in corporalibus. Vnde fit, vt plures ſententiæ, quę apparent ſummè diſcrepantes inter ſe, differant ſolum voce tenus, nihilque re ipſa differant. Quapropter conatus meus erit, non vt diligētiſſimè, magnaque cum arduitate rem hanc diſcutiam, quod eſſet vltra dignitatem materiæ nulloque fructu; ſed vt breuiſſimè, & quam clariſſimè dicam.

Art. 2. Ponendum eſt initio cum Mag. in 1. diſt. 37. D. Thoma quæſt. 52. art. 1. & cum cæteris ibidem communiter, Angelos non eſſe in loco propriè; ſicut ſunt corpora, ſed analogicè, & impropriè cum quadam eorum imitatione. Quia locus, vt nuper aſſumebatur, definitur ſuper-

perficies corporis ambientis. Angelum autem nulla corporis ſuperficies ambire proprie, & quaſi circumcluſum tenere poteſt. Quia cum ſit penitus expers molis, & quantitatis, eſt penetrabilis cum quolibet corpore. Et cum ob eamdem rationem ſit prœditus vbicatione minimè capaci ſitus, & poſitionis, ac figuræ; non poteſt commenſurari corpori prope ſe poſito, atque indiſtanti vndequaque. Nempè non ſunt idem, eſſe præſens loco, atque indiſtans ab eodem propriè, & formaliter; & eſſe in loco proprie, & formaliter. Deus enim proprie, & formaliter eſt præſens omnibus locis, atque indiſtans ab eiſdem; & tamen in nullo loco eſt propriè, ac formaliter, ſed cauſaliter, vt exponit D. Thomas quæſt. 8. art 2. nec non Caietanus ibidem in fine commentarij, & alij communiter, quibus ſubſcripſi quæſt. 7. de Deo.

Art. 3. Quapropter claritatis gratia poteſt diſtingui in Angelo duplex modus præſentialitatis, & indiſtantiæ reſpectu loci. Alius eſt metaphyſicus conſtitutus per puram indiſtantiam eiuſdem à loco, abſque commenſuratione ſui cum ipſo, & abſque circumſcriptione per ſuperficiem corporis ambientis. Ad eum videlicet modum, quo idem Angelus foret indiſtans à Deo nullo exiſtente corpore, ac per conſequens nullo exiſtente loco, propriè, ac ſtrictè tali. Alter modus eſt phy-

ſicus,

ſicus, per incluſionem eiuſdem Angeli in loco, ad eum modum, quo anima rationalis includitur in loco, quamdiu eſt vnita corpori. Primus modus eſſendi in loco conuenit Angelo independenter à corpore, & fieri minimè poteſt etiam diuinitus, vt eo ſaltem modo non ſit alicubi determinatè, vt liquet ex principio poſito in quæſtione præcedenti ſub initio. Secundus modus eſſendi in loco conuenit eidem dependenter à corpore, ſeu per adhæſionem aliquam ad corpus, nec poteſt aliter conuenire, vt liquet ex loci, & exiſtentiæ in loco expoſitione modo data. Quia vero Philoſophus nomine loci, & exiſtentiæ in loco, phyſicum, & locum & modum exiſtendi in loco, proprium corporum vbique intelligit abſolutè, atque D. Thomas, vt eſt Ariſtotelicæ, & locutionis, & ſententiæ vbique retinentiſſimus iiſdemq; vocibus ſignificat, eumq; plerique Thomiſtæ imitantur; Ex alia vero parte Neoterici non pauci abeunt in metaphyſicas earumdem rerum cõſiderationes, & locutiones vſurpant illis accõmodatas; Atque inde emanauit in præſenti oppoſitio inter vtroſque, & alios etiam nonnullos antiquiores, ſpecie quidem, ſententiarum, re autem ipſa, quantum ego aſſequor, non niſi vocum; Propterea operæpretium futurum eſt, vt ſub diſtinctione data legitimam proferamus ſententiam in hac, & ſequenti quæſtione

ne circa quęſtiunculas, & notas auctorũ opiniones, ſeu locutiones de loco, & motu Angelorum.

Art. 4. Dicendum itaque primo eſt, Angelum eſſe in loco phyſicè per ſolam operationem actiuam, aut paſſiuam circa corpus, aut per applicationem virtutis ad operandum: Metaphyſicè vero independenter à corpore, & ab operatione, aut applicatione circa illud, per vbicationem purè ſpiritualem. Probatur prior pars, quæ eſt conformis, & menti, & phraſi D. Thomæ loco indicato. Quia eſſe in loco phyſicè, & per modum corporum, non poteſt conuenire Angelo, niſi per adhæſionem ad corpus, vti nuper expoſitum eſt. Huiuſmodi autem adhęſionem, cum habere non poſſit per vnionẽ informatiuam corporis, vt liquet ex dictis quæſt. 7. ſub initium, neceſſe eſt, vt habeat ſolum per operationem, vel actiuam, qua moueat corpus, vt mouet Coelum, vel paſſiuam, qua corpus agat in ipſum, vt ignis agit in dœmones, vel per applicationem virtutis factam ſua, vel alterius voluntate, ratione cuius in actu primo proximo, ſeu inchoatiuè incipit eſſe in loco corporis, circa quod, vel à quo operatio eſſe debet. Altera pars de pręſentia metaphyſica reſpectu loci patet ex præindicata quæſtione præcedenti. Quia ſcilicet Angelus, & ſi nullum eſſet corpus in rerum natura, eſſet præ-

ſens

ſens Deo. Non autem vbique. Quod repugnat naturæ finitæ, ac limitatæ, vt ibidem dictum eſt, & aduertit inter alios Suarez lib. 4 cap. 1. contra Durandum. Ergo alicubi, Ergo Angelus independenter à corpore, & ab omni ordine ad corpus eſt determinatus ad aliquam partem ſpatij imaginarij per vbicationem purè ſpiritualem, ſicut Deus per immenſitaté eſt determinatus ad omnes eiuſdem partes collectiuè. Adde, antecedenter ad operationem circa corpus, neceſſe eſſe, vt Angelus adſit ſpatio, vbi eſt corpus, cum nullum agens poſſit operari indiſtás, ſeu in non proximo ſibi, ac præſens pro priori naturæ ad operationem, cuius munus primarium non eſt determinare formaliter ad ſpatium, ſed agere, ac ponere, à parte rei aliquid. Priorem ſolam partem intendunt re ipſa plerique Thomiſtæ aientes Angelum eſſe in loco per ſolam operationem circa corpus, aut per applicationem virtutis. Poſteriorem vero ſolam intendunt re ipſa Suarez, & alij moderni dicentes eumdem eſſe in loco independenter ab ea, & operatione, & applicatione. Vndè omnibus vtrorumque argumentis ſatisfieri à quouis, niſi fallor, expeditè, & facilè poteſt diſtinctione iſta phyſici, & metaphyſici modi exiſtendi in loco. Eademque fere ratio eſt de ſequenti concluſione.

Art. 5. Dicédum itaque rurſus eſt, Ange-

gelum poſſe pro libito eſſe phyſicè in loco minori, quam qui eſt maximus reſpectu ipſius, ſeque redigere in ſpatiũ, quod eſt minimum naturale reſpectu indiuidui corporei; immo & abſolui ab omni loco, & nullibi eſſe; ac demum eſse in extremis partibus eiuſdem ſpatij maximi, quin ſit in medio; non tamen poſſe naturaliter eſſe phyſicè in eodem loco cum alio Angelo. At loquendo de præſentia metaphyſica, & purè ſpirituali, omnia potius oppoſita ſunt vera. Prior pars continet doctrinam, quam exprimit D. Thomas loco indicato, nec dubitari de illa poteſt iuxta ſenſum explicatum præſentiæ phyſicæ. Quid enim vetat, quo minus Angelus operetur pro libito circa corpus minus, aut circa minorem partem corporis, quàm abſolute poſſit; aut operetur in ſolo corpore omnium minimo naturaliter; aut nullam prorſus operationem circa corpus exerceat, nec ſit paratus ad exercendum; aut operetur in extremis partibus corporis, quin operetur in medijs partibus. Hoc autem eſt, & nihil aliud reipſa, quod dicitur in priori parte noſtræ concluſionis ex mente, & phraſi D. Thomæ. Iam quod additur de incompoſſibilitate naturali duorum Angelorum in eodem loco probat optimè D. Tho. in eadem quæſt. 52. art. 3. Quia non poſſunt dari duæ cauſæ adæquatæ eiuſdem effectus, vt ſuppono ex alibi dictis. Daren-

tur autem, ſi duo Angeli ſimul adeſſent phyſicè eidem loco. Quia vterlibet eſt cauſa adæquata, & ſe ſola ſufficiens ad motum corporis, cui applicatur, atque hic ſolus effectus tribuitur Angelis circa corpora. Vt autem libertate ſua attemperent vires, & conatum, ſeque ſinguli conſtituant cauſas partiales, forte eſt abſolutè poſſibile; non tamen connaturale, & procliue, ſicut eſt reſpectu hominum. Quia Angeli non defatigantur, ſicut homines, & propterea grata illis, ſicut nobis, nequaquam eſſe poteſt eiuſmodi virium, & operis coniunctio: Et præterea ad dignitatem Angelicam pertinet, dominari adæquatè corpori, circa quod exercetur, & actioni, quam exercet, nec pati rem multo etiam magis ridiculam, quam ſi homo vellet adiutorium alterius hominis pro fricanda barba, leuanda feſtuca, mouendo digito, & ſimilibus. Quia quæuis circa corpora molitio vtcumque magna, eſt facilior Angelo, quam ſint homini actiones eiuſmodi.

Art. 6. Probatio poſterioris partis de vbicatione purè ſpirituali, & independẽti à corpore non eſt vſque adeo, aut facilis, aut efficax, & clara. Videtur tamen aliquanto efficacior, quam quæ occurrunt in contrarium. Quod ad primum attinet de reductione ad minus ſpatium, quam quod eſt maximum Valentia quæſt. 3. par. 3. cum Ibernico, Gregorio, &

& alijs ſuffragatur noſtræ ſententiæ, cenſetque non poſſe Angelum voluntate ſua contrahi, ſeu quaſi contrahi ad minus ſpatium, quam quod eſt maximum reſpectu ipſius. Suadetur, quia amplitudo ſpatij maior, vel minor contingit ſingulis Angelis ſecundum magnitudinem perfectionis entitatiuę vnicuique conuenientis maiorem, vel minorem, eſtque proprietas conſequens ad ſubſtantiam ipſorum. Proprietates autem ad vnamquamque ſubſtantiam ſubſequentes, cum proportione ad perfectioné ipſius, non poſſunt pro arbitrio minui, & augeri, ſed neceſſariò tales, aut tales determinatè conſequuntur, vt liquet ex inductione, tum omnium aliarum rerum, tum etiam proprietatum, cæterarum, & quæ ipſis Angelis conueniunt.

Art. 7. Confirmatur paritate ſummi, & inferiorum entium. Quia nec Deus retrahere poteſt ſuam immenſitatem ab aliquo ſpatio, nec fieri poteſt, vt homo, aut res alia inferior redigatur naturaliter ad minus ſpatium, quam quod eſt maximum naturaliter reſpectu ipſius, omniúque accidentium, & qualitatum, quæ eidem naturaliter ineſſe poſſunt. Confirmatur rurſus, quia licet poſſit Angelus pro libito applicare ſe ad cognitionem horum, vel aliorum obiectorum; non tamen ſubeſt liberæ eius voluntati, vt cognoſcat inadæquatè obiecta, quæ com-

pre-

enſiuè cognoſcere poteſt. Nulla au-
'ratione veriſimile apparet, magis
ſſe libertati Angeli vim ſui præſenta-
m reſpectu ſpatij, quam vim cogno-
uam ſui.

rt. 8. Difficultatem ingerit in hac re
inæ Vaſquez, & alijs oppoſitæ ſen-
æ auctoribus, quod Angelus eſt li-
vt ſe applicet ad hoc, vel ad illud
um, nihilque appareat, quod eum
ſſitet ad tantum determinate ſpatiū,
n minus. Addunt exemplum animæ
nalis contractæ ad minus ſpatium in
o, & dilatatæ ad ſpatium maius in
. Additur rurſus, amplitudinem ſpa-
n eſſe neceſſariam Angelo ad ſuam
itudinem, vtque bene habeat, ac pro-
facile contemni ab eo poſſe, & eli-
atium contractius pro vt libuerit.

t. 9. Verum hæc non vrgent. Ac in
is à libertate ad diuerſa ſpatia nulla
onſequentia ad liberam electionem
ris, & minoris ſpatij, vt liquet tum
aritate cognitionis nuper notata,
ex libertate variandi ſpatia ſine fine,
tamen, ex confeſſione eorundem au-
um deſit libertas agendi, aut mi-
di ſpatium ſine fine. Neceſſitat ni-
m ad tantum determinatè ſpatium
determinatè perfectio ſubſtantiæ
indem aduerſa diminutioni, quantū
rſa eſt augmento imperfectio eiuſdē
antiæ. Exemplum animæ rationalis

nos

nos potius iuuat. Nequit enim, ſtante eadem diſpoſitione phyſica ſua, & connaturalis complementi terminos ſpatij variare. In Angelo autem ſemper eſt inuariabiliter eadem diſpoſitio phyſica, nec habet complementum, cui ſuæ te natura attemperetur. Demum amplitudo ſpatij, quæ eſt maxima reſpectu cuiuſque Angeli, ſi quidem iuſtè correſpondet perfectioni eius, eo ipſo confert, melius ſe habeat cum illa, quam ſine illa, nec facilè contemnitur, quod ſpectat cuiuſque perfectionem, & dignitatem peculiarem. Hinc à fortiori ſequitur, non poſſe Angelum contrahi purè ſpiritualiter, & ſecundum ſe præcisè ad ſpatium corporis, quod eſt minimum naturale, multo minus abſolui ab omni præſentia metaphyſica, & purè ſpirituali ad omne ſpatium.

Art. 10. Indidem concluditur Angelum non poſſe naturaliter adeſſe extremis partibus ſpatij inter ſe diſſitis, quin adſit toti medio aliqua vera, & reali præſentia ſaltem metaphyſicè. Quæ eſt ſententia Molinæ Valentiæ, Suarez, Vaſquez, aliorumque recentiorum communis, qui contra ſe referunt Caietanum Ferraram, & Marſilium, quos tamen credo loqui de præſentia ſolum phyſica, de qua prius dictum eſt cum ipſis. Probatur illatio. Quia vel extrema ſunt ita diſtantia inuicem, vt Angelus poſsit adeſſe, ſimul me-

dio

dio ſpatio, vel non poſſit. Si primum, ergo erit in ſpatio minori, quam quod eſt maximum naturaliter poſſibile reſpectu ipſius. Quod oſtenſum eſt repugnare naturaliter. Si ſecundum, ergo operabitur producendo ſuam vbicationem in maiori diſtantia, quam quæ continetur intra ſpheram ſuæ actiuitatis. Nempè ſphæra adæquata correſpondens actiuitati cuiuſcunque agentis eſt ſpatium continuum, aut ex continuis compoſitum, quod eſt maximum naturaliter reſpectu eiuſdem, vt potentis adeſſe. Vtrique enim termini præſentiæ, & actiuitatis eadẽ rei perfectione menſurantur. Alioquin liceret abire operando in infinitum per diſtantiam maiorem, & maiorem ſine fine.

Art. 11. Accedit, merito ab omnibus reputari, inter miracula aſſenſui humano penitus imperuia naturaliter replicationẽ corporis Chriſti in pluribus locis inuicem diſtantibus, ac diſcontinuatis, licet exiſtat modo ſpirituali. Res autem vſque adeo mirabiles, atque auertentes vehementer animum ab aſſenſu ſui, credendũ eſt nulli enti creato eſſe connaturales; quidquid contra hortetur Ioannes de Sancto Thoma. Accedit rurſus ſubſtantiæ ex ſe indiuiſibili ſolam vbicationem itidem indiuiſibilem eſſe connaturalem, vt hæc habeat quoad ſuam conſtitutionem, ſicut habet quoad amplitudinem perfectionem, & modum eſſendi pro-

portionatos perfectioni ſui principij, & ſubiecti. Nec obſtat Angelū moueri poſſe pure ſpiritualiter ad ſpatium minus, quam quod eſt maximum naturaliter reſpectu ſui, atque adeo amittendo ſolam partem ſpatij prioris. Quod videtur fieri non poſſe, quin Angelus habeat plures vbicationes partiales realiter inter ſe diſtinctas, per quarum ſingulas correſpondeat ſingulis partibus ſpatij prædicti naturaliter maximi. Hoc inquam non obſtat, quidquid conentur in contrarium Suarez lib.5.cap.17. & nonnulli alij. Quia dici poteſt, debetque dici, Angelum, ſicut ſe toto adeſt parti ſpatij de nouo acquiſiti, & ſimiliter ſe toto adeſt parti ſpatij prioris in caſu propoſito, ita acquirere nouam vbicationem realiter indiuiſibilem, adæquatè diſtinctam ab vbicatione priori, quæ ſe tota ſimiliter adſit parti retentæ ſpatij prioris, nec non parti ſpatij de nouo acquiſitis. In quo nullum eſt inconueniens. Immò eſt maximè conueniens, vt Angelus ita differat à corporibus, quoad naturam ſui motus, & vbicationis, ſicut differt ab eiſdem quo ad ſuam ſubſtantiam. Accedit, ſi quid ea ratione dubitandi efficeretur pro partialibus vbicationibus ſpiritualibus Angeli, fore, vt concluderetur vbicationem eius conſtare, ex partibus realiter diſtinctis actu infinitis. Quia Angelus poteſt moueri lentius, ac lentius in infinitum, atque

fa-

facere commutationes ſpatij minores, & minores ſine ſine. Quod ſcilicet oſtenſū eſt in philoſophia corporibus etiam accidere naturaliter poſſe. Repugnat autem, vt detur eiuſmodi partes vbicationis actu infinitæ cum reali, & actuali mutua diſtinctione, vt ibidem oſtenſum eſt.

Art. 12. Supereſt, vt oſtendatur plures Angelos poſſe ſimul adeſſe eidem ſpatio præſentia ſaltem metaphyſica, & pure ſpirituali. Hoc autem, & ex ſacris litteris certum eſt, & clarum ex dictis. Quia Lucæ 8. dicitur fuiſſe ſimul in vno, eodemque homine legionem dæmonum Quod quidem eſt longè diuerſum, atque diſtributam fuiſſe legionem per diuerſas partes corporis humani, exiſtentibus ſingulis dæmonibus in ſingulis ſeorſim partibus corporis humani, vt vult Magiſter Sancto Thoma, renitente textu Sacro, in quo dicitur abſolutè, ac planè legionem fuiſſe in homine. Deinde Angeli ſunt expertes corporis, ſecundum ſe, vt dictum eſt ſupra. Soli autem corpori, & adhærentibus ad corpus conuenit impenetrabilitas cum alio eiuſdem rationis. Quod cum ſit vſque adeo manifeſtum, dubitandum minimè eſt, quin D. Thomas dicens quæſt. illa 52. art. 3. non poſſe duos Angelos eſſe ſimul in eodem loco, agnouerit, eos duos modos præſentiæ Angelicæ ad ſpatium corporum, qui à nobis aperti, &

expoſiti ſunt, ſicque proinde locutus in eo articulo de ſola præſentia phyſica, & ad modum corporis per adhæſionem ad illud media ſua operatione, atque ſuppoſuiſſe tanquam ex ſe manifeſtum, oppoſitum contingere poſſe Angelis ſecundum ſe præcisè conſideratis, atque purè ſpiritualiter præſentibus ſpatio. Expoſitione nimirum indigebat, quod conuenit Angelis per accidens ad modum corporum propter operationem circa ipſa, non vero quod clariſſimè conſequitur per ſe ad incorporeitatem, puramque ſpiritualitatem ſuperius traditam ab eodem S. Doctore. Argumento eſt in hanc rem non debili, quod ipſe nullibi affirmatiue, aut etiam negatiuè quidquam dicit de præſentia purè ſpirituali, atque independenti ab operatione Angelorum circa corpora. Cum enim intellectus noſter naturaliter inclinet ad tribuendam Angelis præſentiam reſpectu ſpatij conformem naturæ eorum purè ſpirituali, oportuiſſet vtique, vt eam refelleret, ſi non voluiſſet tacitè ſupponere tanquam certam, & ex ſe ſatis manifeſtam. Ex his igitur omnibus ſatis apparet, an & quomodo Angeli poſſint eſſe, & ſint in loco.

14 Ad 1. Intereſt quidem corporum ſpecialiter, vt ſint in loco phyſicè, propter influentiam cauſarum corporalium reſpectu ipſorum. Sed intereſt quoque Angelo.

lorum, vt ſint præſentes ſpatio; tum ſpiritualiter propter ſe, vt ſint alicubi præſentes Deo, à quo accipiunt ſuum eſſe, ſuamque conſeruationem, cùm neutram accipere ab eo poſſint abſque præſentia ad eumdem, aut facti præſentes vbique; tum phyſicè propter corpora, atque in ſolam corporum vtilitatem, vt ipſis proſint operatione ſua. In ſecundo, & tertio argumento Philoſophus, & in fine Boetius loquuntur de loco, & de exiſtentia in loco phyſicè ſumptis, ideoque non indigent vlla reſponſione præter ea, quæ ſuperius dicta, & eatenus admiſſa, aſſertaque ſunt diſtinctè.

Ad 4. Quod Angeli adſint ſimul plures in eodem ſpatio, ſi intelligatur de præſentia phyſica, iam conceſſum eſt eſſe naturaliter impoſſibile. Si autem accipiatur de præſentia metaphyſica, & purè ſpirituali, probatio obiectionis eſt ineſſicax. Quia ſicut nihil ſpecialiter intereſt, vt ſint plures ſimul preſentes eidem ſpatio, ita nihil ſpecialiter intereſt, vt ſint vnuſquiſque ſeorſim in diuerſis ſpatijs. Intereſt vero, eſtque ipſis eſſentiale, vt adſint alicubi determinatè Deo, cum nec vbique adeſſe poſſint, neque abeſſe omnino, aut nullibi adeſſe determinatè. Vndè vtrouis modo poſſunt pro libito adeſſe ſpatio, vel eidem, vel pluribus. Idem dicitur proportionaliter de exiſtétia vnius, eiuſdemq; Angeli in extremis

partibus ſpatij inuicem diſtantibus. Licet enim ita illis adſit phyſicè, non propterea fiet, vt Angelus diſtet à ſe ipſo, ſed solùm, quod diſtet vna eius operatio ab alia eiuſdem operatione circa corpus, vel corpora. Aderit enim, eſtque neceſſe, vt nihilominus adſit toti ſpatio intermedio ſaltem metaphyſicè, & purè ſpiritualiter, vt dictum eſt ſupra. Idque manifeſtè ſufficit, ne diſtet à ſe ipſo abſolutè.

QVAESTIO X.

Vtrum Angelus poſſit moueri, & tranſire de loco in locum, quin tranſeat per medium?

VIDETVR Angelus moueri localiter minimè poſſe, multo verò minùs tranſire de extremo ad extremum ſine medio, ſeu quin pertranſeat prius medium. 1. Quia *nullum impartibile mouetur*, vt probat fusè Philoſophus 6. phyſic. tex. 32. & 86. Ratio verò præcipua eius eſt, Quia nihil mouetur, dum eſt in termino à quo, ſed eatenus quieſcit, cum quieſcere nihil ſit aliud, quam adeſſe vbi prius. Sed neque dici poteſt aliquid moueri, dum eſt in termino ad quem. Quia eatenus verificatur, motum eſſe, non vero moueri. Alioquin moueretur toto tempore, quo vniformiter adeſt eidem termino ad quem. Neceſſe igitur eſt, vt quidquid mouetur, dum mouetur, partim ſit in termino à quo, & partim in termino ad quem. Quod patet, impartibili, quale eſt Angelus, conuenire minimè poſſe. Quia partim, & partim repugnant impartibili. Cuius nimirum nullæ ſunt partes.

2. *Motus eſt actus imperfecti*, vt dici-

tur 3. phyſic.tex.6. Cuius ratio eſt, quia quidquid movetur localiter, movetur propter indigentiam, Nempe vt acquirat in nouo loco, quod ſibi deerat in loco priori. Alioquin perperam, & ſine cauſa, vlloue motiuo moueretur. Quod repugnat. Angelus autem eſt ſubſtantia ex ſua natura valde perfecta, & qui beatus eſt, nulla re indiget, atque vt indigeret, nihil eum iuuare poſſet mutatio loci, cùm nihil accipiat, poſitue accipere ab ijs, quę ſunt in loco, ſed à ſolo Deo, qui vbique æquè adeſt.

3. Si Angelus poſſet tranſire de extremo ad extremum, quin prius pertrãſiret medium, poſſet agere in diſtans, quin ageret aliquid in medio. Quod eſt impoſſibile ex dictis in philoſophia. Sequela autem patet. Quia quod ſe mouet aliquid agit. Ergo qui mouet ſe ad ſpatium diſtans, & peruenit ad illud, aliquid neceſſario agit in ſpatio diſtanti, & nihilominus in ſpatio medio nihil agit, ſi non pertranſit medium, vt ponitur,

4. Si poſſet Angelus tranſire ab aliquo extremo ad aliquod aliud extremũ, non pertranſito medio; eadem ratione poſſet tranſire à quolibet extremo in quodlibet aliud extremum vtcumque diſtans. immò etiamſi diſtaret infinitè. Quod eſt incredibile, & repugnat virtuti motiuæ finitæ. Sequela patet, quia nulla eſt ratio peculiaris de vna potius

tran-

tranſitione, quam de alia, cum reſpectu non pertranſeuntis medium nulla habeatur ratio medij minoris, vel maioris, vel etiam infiniti. Cùm enim non pertranſeatur, materialiter ſe habet, quale, ſeu quantum illud ſit. Accedit, intellectum poſſe cogitando tranſire a quouis extremo ad quoduis aliud, etiam infinite diſtans, vt patet in cogitatione de Deo, quæ immediatè ſuccedere poteſt cogitationi de re creata; idque præcisè illi accidit, quia ex ſua natura hoc habet, vt tranſire poſſit cogitando ab vno extremo ad aliud, quin cogitet de eo, quod interiacet. Idem ergo accideret in virtute loco motiua Angeli non minus perfecta, minuſue ſpirituali, quam ſit vis intellectiua eiuſdem, ſi poſſet tranſire ab aliquo extremo ad aliquod aliud ſine medio.

Sed contra eſt 1. Quia communiſſima Sanctorum PP. doctrina eſt, Angelos ſubitò adeſſe vbicunque volunt. Quod fieri non poſſet, ſi non poſſent tranſire de extremo ad extremum ſine medio. Quia ſi deberent priùs adeſſe medio, quàm extremo, neceſſariò intercederet mora aliqua in peruentione ad extremum præſertim valdè diſtans.

2. Motus Angeli non eſt continuus, certè non eſt neceſſe, vt ſit continuus, cùm Angelus ſit indiuiſibilis, ideòque non commenſuretur continuitati loci,

Qui autem non mouetur motu continuo, ſed diſcreto, neceſſe eſt, vt tranſeat de extremo ad extremum, quin tranſeat per medium ſpatium. In quolibet enim medio ſpatio dantur infinita indiuiſibilia, vt patet ex 6. phyſic, à principio. Vnde pertranſiens illa motu diſcreto, neceſſario ederet motus infinitos, ſeu motum vnum conſtantem infinitis partibus in actu, & non in potentia tantùm, quod repugnat. Ergo non ſolum eſt poſſibile, vt Angelus tranſeat de extremo ad extremum ſine medio, ſed etiam eſt omnino neceſſarium, vt ita fiat.

Reſpondetur. Quæſtio iſta facile, & clarè determinari poteſt ex diſtinctione data in quæſtione præcedenti inter vbicationem, ſeu præſentiam Angeli ad ſpatium metaphyſicam, & phyſicam, ſeu conuenientem ipſi ſecundùm ſe, & conuenientem eidem, quatenus operantem circa corpus. Si enim agatur de præſentia phyſica ratione operationis circa corpus, manifeſtum eſt Angelum poſſe incipere operari in extrema vna parte alicuius corporis. & immediatè operari in altera extrema parte eiuſdem corporis, vel in alio corpore diſtanti à corpore priori, quin operetur aliquid circa corpus, aut partes corporis interiacentis; dummodo vtrumque corpus extremum, ſeu extremitates eiuſdem corporis contineantur intra totum ſpatium, cui

An-

Angelus purè ſpiritualiter adeſſe poteſt ſimultaneè. Manifeſtum itidem eſt non poſſe Angelum tranſire de extremo ad extremum ſine medio, ſi ſermo ſit de præſentia eius metaphyſica, ſeu purè ſpirituali. Quia nullum agens poteſt agere in diſtans, quin agat in medium, vt rectè nuper aſſumebatur, & oſtenſum eſt in philoſophia. Poſſet autem Angelus agere in diſtans, quin ageret in medium, ſi poſſet actiuitate ſua acquirere præſentiam ad ſpatium diſtans a priori ſuo ſpatio, quin priùs acquireret præſentiam ad ſpatium interiectum, vt per ſe patet. His igitur modis poteſt Angelus, & non poteſt tranſire de extremo ad extremum ſine medio.

Ad 1. Partis negantis. Philoſophus ibi loquitur de motu continuo, qui conceditur impartibili conuenire non poſſe. At aduerſus motū diſcretū impartibilis nihil probat ratio ibi propoſita. licet enim verum ſit, non ſaluari conceptum motus per ſolam præſentiam reſpectu termini à quo, aut per ſolam præſentiam reſpectu termini ad quem. Saluatur tamen conceptus motus per vtramque præſentiam ſimul. Sicut enim conceptus hominis non ſaluatur per ſolam rationem, aut corporis, aut animæ, ſaluatur tamen per vtrāque ſimul, ſeu potius per ſimultatem vtriuſque: ita licèt præſentia ad vnum ſpatium, atque ad ſpatium aliud ſeorſim,

& ſecundùm, ſe, non conſtituat motum, conſtituit tamen eumdem adæquatè præſentia ad aliquod ſpatium quatenus, acquiſita de nouo dependenter à præſentia præexiſtenti ad aliud ſpatium. Fieri namque non poteſt, vt Angelus pro inſtanti, A, intelligatur adeſſe ſpatio, B, pro inſtanti verò immediato, B, intelligatur virtute, & actiuitate ſua adeſſe ſpatio, C, quin eo ipſo intelligatur motus eius, & motio ab vno ſpatio ad aliud ſpatium. Quia moueri nihil eſt aliud, quam eſſe modò hic, & modò alibi. Dixi autem, quin intelligatur motus, & motio. Quia in inſtantaneis, ac diſcretis idem eſt fieri, & factum eſſe, vt fert commune, & verum proloquium ex Philoſopho.

Ad 2. Conceditur, motum omnem eſſe actum imperfecti. Quia eſt actus afficiens mobile, de cuius conceptu eſt imperfectio, vt patet, quia ex ſe eſſentialiter dicit incompletionem reſpectu eius per quod formaliter mouetur. Angelo autem non repugnat huiuſmodi imperfectio vt patet ex multiplici eius motione per varias intellectiones, & volitiones. Vnde ex hoc capite non poteſt illi repugnare motus ab vno ſpatio in aliud ſpatium. Cæterùm corporibus quatenus localiter mobilibus ineſt alia præterea imperfectio, cuius Angeli non ſunt capaces. Corpora enim mouentur de vno loco in alium propter indigentiam rerum, & cau-

ſa-

ſarum, quæ adſunt in diuerſis locis. Subſtantiæ autem ſpirituales non habét huiuſmodi indigentiam, vt per ſe patet, & ſuperiùs iterum notatum eſt. Mouentur nihilominus de vno loco in aliũ, vt proſint corporibus exiſtẽtibus in alijs locis. Quod multipliciter ab eis prędſtari poteſt applicando actiua paſſiuis, quæ inuicem diſtabant.

Ad 3. Argumentum illud procedit bene aduerſus tranſitum purè ſpiritualem seu metaphyſicum de extremo ad extremum ſine medio. Qua de cauſa dictum eſt, non poſſe Angelum tráſire metaphyſicè, ac purè ſpiritualiter ab vno ſpatio ad aliud adæquate diſtans à priori, ſeu quibus interiacet aliquod ſpatium adæquate diſtinctum ab illis. Cæterum aduerſus tranſitum phyſicum per operationẽ circa extremitates corporis, quibus interiacent aliæ partes eiuſdẽ corporis, ſeu corpora alia, quin fiat tranſitus per partes medias, nihil inde concluditur. Quia non propterea verificatur, nihil omninò agere Angelum in ſpatio medio, ſi quidem producit in eo pręſentiam ſuam purè ſpiritualem à cuius præexiſtentia dependet quo ad actionem inductiuam ſuæ præſentiæ phyſicæ, ſeu quoad actionem, quam exercet circa corpus. Dictum nimirum eſt, tranſitum Angeli de extremo ad extremum ſine medio per motũ phyſicum intelligi de extremis, & medio cõ-

tentis

tentis intra ſpatium, cui ſpiritualiter, ſeu metaphyſicè adeſt Angelus pro priori naturæ quodque eſt maximum naturaliter poſſibile reſpectu ipſius.

Hinc etiam patet ad 4. Quia totum ſpatium, cui Angelus poteſt adeſſe ſimultaneè, eſt finitum, & limitatum. Qua de cauſa à nonnullis, & Sanctis PP. & Theologis dicitur, Angelum circumſcriptiuè eſſe in loco. Quia videlicet eſt aſſignabile ſpatium, cui toti, & non maiori adeſſe poſſit. Verum vſus communis obtinuit iam vt præſentia eius pure ſpiritualis ad ſpatium, & conueniens ſubſtantiæ ipſius, dicatur definitiua, & non circumſcriptiua, quatenus totus adeſt toti ſpatio, & totus ſingulis quibuſque partibus ſpatij, & præterea non commenſuratur eatenus ſuperficiei corporis ambiētis, ſeu quaſi ambientis, nec ea circumcluditur. Verum hoc pertinet ad vocem tantum. Quod ad rem ipſam attinet ſequela obiectionis non tenet, ſiquidem neceſſe eſt, vt tranſitus phyſicus Angeli de extremo ad extremum ſine medio contineatur intra ſpatium, cui toti poteſt ipſe ſimultaneè adeſſe. Paritas deſumpta ex cognitione ideò non tenet, quia per motum localem applicatur diuerſis locis eſſentia eius, quod mouetur. At per cognitionem non applicatur rebus cognitis ſubſtantia cognoſcentis; ſed magis res cognitæ transferuntur intentionaliter ad co-

cognoſcentem, & manent in eius intellectu. Nulla igitur eſt paritas.

Ad 1. Sententiæ affirmantis. Modus ille communis loquendi Sanctorum PP. solùm ſignificat ſummam velocitatem, qua præcellunt motus Angelici motibus corporum naturalibus, quatenus Angeli ſingulis inſtantibus poſſunt acquirere naturaliter ſpatia adęquatè diſtincta à prioribus ſibi adæquatis, quæ ſunt benè magna, & quibus proinde aliquoties replicatis exhauritur quælibet mutua diſtantia corporum, vtcumque magna reſpectu noſtri.

Ad 2. Motus Angeli metaphyſicus, & purè ſpiritualis non commenſuratur loco phyſico, & corporali ſed indiuiſim per vnicam vbicationem de nouo productam complectitur partes, & puncta infinita in potentia, quæ dantur in loco corporeo, & in qualibet eius parte. Motus verò phyſicus Angeli poteſt eſſe continuus tranſeundo medium ſucceſſiuè, & complectendo infinitas partes, & puncta infinita in potentia, quæ inſunt loco medio, per totidem eiuſdem rationis partes, & puncta, quæ reperiuntur in tali motu, qui nimirum eſt partibilis, & continuus, licet Angelus ſit impartibilis. Nec enim repugnat, effectum, ſeu actionē cauſæ impartibilis partibilem eſſe, ac diuiduum propter conditionem ſubiecti, circa quod operatur. Quod ſi tranſitus idem phyſi-

cus

cus Angeli ſit diſcretus, vti poteſt eſſe, iuxta dicta, procedet de extremo ad extremum ſine medio, vti etiam dictum eſt ſupra, & intendit obiectio.

QVAESTIO XII.

Vtrum ſubſtantia ſpiritualis ſit ex ſuo conceptu intellectualis, & intelligens actu.

VIDETVR non eſſe ex ſuo conceptu intellectualis, atque ex ſuo conceptu eſſe intelligens actu, ſi eſt intellectualis ex eodem. 1. Quia plura ſunt accidentia ſpiritualia, quæ neque ſunt intellectiua, neque intellectiones. Ergo ſunt ſimiliter poſſibiles ſubſtantiæ ſpirituales, quæ non ſint intellectiuę. Probatur conſequentia, quia accidens ita videtur comparari cum intellectione, & cum virtute proxima intelligendi, ſicut comparatur ſubſtantia cum intellectualitate radicali; atque ſpiritualitas non poteſt augere magis perfectionem ſubſtantiæ in genere ſuo, quam accidentis in ſuo.

2. Materialitas non excludit vim cognoſcitiuam, vt patet in brutis, quæ ſunt adæquatè materialia, ſimulque cognoſciti-

tiua. Ergo nec excluſio materialitatis includit, aut arguit virtutem cognoſcitiuam, multo verò minùs intellectiuam. Patet conſequentia quia vbi affirmatio non eſt cauſa affirmationis, neque negatio eſt cauſa negationis. Ergo ſi affirmata materialitate non propterea affirmatur neceſſariò incognoſcibilitas, neque negata materialitate negabitur neceſſariò incognoſcibilitas, ſeu non cognoſcitiuum.

3. Si ſubſtantia ſpiritualis ex ſuo conceptu eſſet intellectiua, quæ eſſet ſummè ſpiritualis, eſſet ex ſuo conceptu ſummè intellectiua. Quia prædicatum illatiuum alicuius alterius prædicati, eſt neceſſariò illatiuum eiuſdem in eo gradu, in quo conſtituitur ipſum inferens. Sequela autem eſt falſa; quia Angeli ſunt ſummè ſpirituales, cum ſint omninò immateriales, ac proindè excludant ex ſe omnem prorſus materialitatem, At iidem ſunt virtutis cognoſcitiuæ limitatæ, ac imperfectę ſ luſque Deus eſt ſummè intellectiuus. Ergo ſpiritualitas non infert intellectualitatem.

4. Aliquid purè materiale vt aer eſt ſuſceptiuus ſpecierum intentionalium. Nempe mediante aere tranſmittunt ſenſibilia ſpecies ſuas intentionales in ſenſus. Ergo aliquid ſpirituale poteſt ſimiliter è conuerſo non eſſe ſuſceptiuum ſpecierum intentionalium, ac proinde, nec intelle-

ctiuum,

ctiuum, nec ſenſitiuum. Patet conſequẽtia. Quia oppoſitorum eadem eſt ratio ad oppoſita.

5. Incorruptibile non eſt ex ſuo conceptu intellectiuum, vt patet in Cælis, incorruptibilibus ſimul, & non intellectiuis. Ergo nec ſpirituale eſt intellectiuum ex ſuo conceptu. Patet conſequentia. Quia ex nullo capite apparet maior ratio perfectionis in conceptu ſpiritualitatis, quam in conceptu incorruptibilitatis. Immo incorruptibilitas videtur præeminere, tum quia conſeruari in eſſe, eſt appetibilius quouis alio ex genere ſuo, tum quia incorruptibilitas aſſimilatur magis immutabilitati, & æternitati Dei, quam aſſimiletur ſpiritualitas eſſentiæ, aut vlli attributo diuino.

6. Si quod eſt purè ſpirituale, eo ipſo eſſet intellectiuum, eſſet etiam eo ipſo intellectio per eſſentiam ſuam. Quia intellectiuum purè ſpirituale eſſet perfectius quam intellectus agens animæ noſtræ. Eſſet enim remotius à corpore, cuius anima noſtra eſt forma, cum ſubſtātia pure ſpiritualis, & in ſe completa nullius poſſit eſſe forma corporis. Intellectus autem agens eſt ſua actio, adeoque eſt intellectio per ſeipſum, vt apparet ex tertio de anima tex. 19. & ex Commentatore ibi. At ſequela eſt abſurda ex cōfeſſione omnium. Quia in ſolo Deo, qui ſolus eſt purus actus, actio eſt idem cum ſubſtan-

ſubſtantia, cuius eſt actio.

7. Subſtantia ex ſuo conceptu intellectiua, eſt viuens ex ſuo conceptu, & rurſus viuentis eſſe eſt vita, vt habetur in 2. de anima tex. 37. Intellectio autem eſt vita, vt habetur ex lib. 11. metaph. text. 39. Ergo ſi ſubſtantia ſpiritualis ex ſuo cõceptu eſſet intellectiua, eſſet etiam intellectio ſua ex ſuo conceptu.

Art 1. Reſpondetur. Quæ ſunt inuicem diſſimilia, ſunt inuicem inæqualia, & quæ ſunt magis diſſimilia, ſunt magis inæqualia, vt obiter, ac breuiter, ſed efficaciter oſtenſum eſt quæſt. 44. de Deo ad 7. art. 2. Subſtantia autem ſpiritualis eſt magis diſſimilis omni ſubſtantiæ materiali. quam ſubſtantia aliqua materialis alicui alij ſubſtantiæ materiali. Quod videtur patere ex terminis. Ex alia vero parte ſubſtantia quælibet intellectualis eſt magis diſſimilis cuilibet ſubſtantię nõ intellectuali, quam ſubſtantia aliqua non intellectualis alicui alij ſubſtantiæ non intellectuali. Quod itidem patet ex terminis. Ergo ſubſtantia quælibet tum ſpiritualis, tum intellectualis diſtat maiori inęqualitate à qualibet ſubſtantia, tum materiali, tum non intellectuali, quã diſtare poſſint inuicem aliquæ duæ ſubſtantiæ vel non intellectuales, vel materiales. Si igitur poſſibilis eſſet ſubſtantia ex vna parte immaterialis, & ſimul ex alia parte non intellectualis; poſſibile

vti-

vtique eſſet, vt eadem ſubſtantia diſtaret magis, ſimulque, diſtaret minus ab vno eodemque termino. Nempe quà eſſet immaterialis diſtaret magis à brutis, quã bruta inter ſe, aut ab alijs rebus materialibus non ſenſitiuis. Qua vero eſset non intellectualis diſtaret minus ab ijſdẽ rebus nõ ſenſitiuis, quam bruta inter ſe, aut ab alijs rebus, nec intelligentibus, nec ſentiẽtibus; quandoquidem ſubſtãtia ſpiritualis ſenſitiua eſse nequit, ſed ſolum intellectiua. Quæ duo patent ex duobus principijs immediatè ante premiſſis. Patet igitur nullam ſubſtantiam eſse poſse pure ſpiritualem, ideoque excedentem omnia corpora, quibus ea foret diſſimilior, quã poſſint eſse vlla duo corpora inter ſe; ſimulque non intellectualem, ideoque non excedentem omnia corpora, quibus eadem foret eatenus minus diſſimilis, quam aliqua duo corpora inter ſe, videlicet quam brutis omnibus, quiduis aliud corporale, ſicut ſunt corporalia bruta ipſa. Igitur ſubſtantia ſpiritualis ex ſuo conceptu eſt intellectualis.

Art. 2. Accedit ſubſtantiam materialem, quà materialis eſt, eſse valde imperfectam, quatenus, vt ſit, indiget pluribus ſimultanee confluentibus in ſuum eſſe ſubſtantiale. Quia in ſubſtantijs pure materialibus neque forma poteſt eſse ſine materia, neque materia, ſine forma, &

præ-

præterea neutra poteſt eſse, & conſeruari abſque partibus integralibus penè innumeris, diuiſibilibus inuicem realiter, atque inter ſe vnitis. Quod autem pluribus indiget, eſt magis imperfectum cæteris paribus. Quia eo ipſo componitur ex pluribus, quorum quodlibet eſt inſufficiens ſe ſolo vt ſit, & conſeruetur, adeoque componitur ex pluribus, quorum quodlibet eſt imperfectiſſimum. Manifeſtiſſimum namque argumentum imperfectionis eſt inſufficientia, & maior maiori cæteris paribus, vti ſunt paria in præſenti, quatenus vnumquodque comparatur cum eſse ſuo ſimpliciter, ac præcisè. Oppoſita huic imperfectioni perfectio conuenit ſubſtantiæ ſpirituali. Quæ nimirum ex ſuo conceptu eſt penitus ſimplex quoad ſuam eſsentiam, ac naturam, neque vt ſit, indiget pluribus partibus, quarum nulla exiſtere poſſit abſque reliquarum conſortio. Patet igitur ſubſtantiam purè ſpiritualem, & completam perſe ipſam, abſque conſortio materiæ, & abſque partibus integralibus, ex ſuo conceptu eſse perfectiorem, quam bruta, quibus ineſt oppoſita compoſitio, & indigentia partiũ. Foret autem eadem ſubſtantia iiſdem brutis imperfectior, ſi non eſset intellectualis. Quia nec ſenſitiua eſse poſset, cũ de conceptu ſenſus, ac ſenſitiui ſit organum corporeum. Patet autem, quod nõ eſt intellectiuum, nec ſenſitiuum, adeoque

que nullo modo eſt cognoſcitiuum eſſe imperfectius quolibet quomodolibet cognoſcitiuo. Quia omne cognoſcitiuum habet quamdam eſſendi vniuerſalitatem peculiarem, quatenus ea omnia ad ſe trahere, & actiuitate ſua in ſeipſo reficere aliquo modo poteſt, quæ cognoſcere poteſt. Quod vero cognoſcitiuum nullo modo eſt, caret eiuſmodi amplitudine eſſendi, vt patet, ac proinde eſt naturæ reſtrictioris magiſque limitatæ. Repugnat igitur hac etiam ratione non minus, quam præcedenti ſubſtantiam aliquam eſſe omninò ſpiritualem, prorſuſque expertem materiæ, & non eſſe intellectualem.

Art. 3. Accedit ad hęc quęcunque ſunt in hoc vniuerſo, quæq; eſſe poſſunt inquolibet vniuerſo, eſſe ex ſuo cōceptu inuicé deuincta per mutuas vtilitates, quæ mediate, vel immediatè redundant ex quibuſuis eius partibus in quaſuis alias. Quod enim exiſteret in aliquo vniuerſo cū omnimoda inutilitate reſpectu cæterarum omnium, & ſingularum partium eiuſdem vniuerſi, eo ipſo redundaret, & perperam exiſteret, atque exigentibus reliquis omnibus partibus eſſet excludendum ab vniuerſo, eadem ratione, qua in Euangelio ſal infatuatum dicitur mittendum foras, vt conculcetur, & palmes qui non fert fructum dicitur mittendus in ignē & ſic de quibuſuis, alijs, quæ ſimiliter ſe ha-

habent reſpectu ſui totius, ſeu collectionis rerum peculiaris, ad quam ſpecialiter pertinent. Subſtantia autem purè ſpiritualis, quę non foret intellectualis, foret prorſus inutilis vniuerſo, omnibuſque & ſingulis eius partibus, vtpote nulla vitali, aut tranſeunti actione prædita. Vitali quidem. Quia ſubſtantia ſpiritualis ſecluſa intellectione, eiuſque adiuto io nihil vitaliter agere poteſt, cum ſentire non poſſit, nec vegetari, atque ijs ſecluſis reliqua omnis vitalitas per intellectionem exerceatur, aut cum intellectione, & non aliter. Tranſeunti verò, quia non poſset in primis producere aliā ſubſtantiam ſibi ſimilem, cum ſubſtantia ſpiritualis ſit expers materiæ, & ſubiecti ex quo educatur per generationem. creatio verò repugnat omni enti creato. Deinde neque ſubſtantiam vllam materialem gignere poſset. Quia materialia non continentur efficienter in ſpiritualibus vt apparet à forti ri ex Angelis exiſtentibus de facto, quos in prima quæſtione oſtendimus eſse ſpirituales, & intellectuales, atque adeò perfectiores ſubſtantiā ſpirituali non intellectuali, & qui nihilominus non continent in ſe efficienter aliquid materiale. Qua eadem ratione excluditur ab eadem ſubſtantia ſpirituali, & non intellectiua, actio etiam alteratiua, aut productiua alicuius alterius qualitatis, aut accidentis materialis. Actio autem dire-

ctiua aliorum manifeſtius repugnaret ſubſtantiæ non intellectiuæ. Nulla igitur actione vtilis cuiquam eſse poſset eiuſmodi ſubſtantia. Perperam igitur, ac inſipienter fieret, quomodo nihil à Deo fieri poteſt. Repugnat igitur eiuſmodi ſubſtantia.

Art. 4. Facilius demonſtratur repugnare ſubſtantiam intellectualem creatam, quæ ſit indiſtincta realiter ab actu intelligendi, ſeu intellectione ſua, quia intellectio ex ſuo conceptu eſt actio vitalis, Et rurſus actio vitalis ex ſuo conceptu eſt ab intrinſeco. Quæ duo oſtenſa ſunt in qq. de Anima. repugnat autem ſubſtantia creata, quę ſecundum ſuum eſse ſubſtantiale ſit ab intrinſeco, ſeu exiſtens vi ſua, & à ſe, vt liquet ex ijs, quæ circa exiſtentiam Dei dicta ſunt quæſt. 2. de Deo, Repugnat igitur ſubſtantia creata indiſtincta realiter ab intellctione, ſeu quæ ſecundum ſuum eſſe ſubſtantiale ſit actus intelligendi. Apparet itaque ex ijs, Angelos, de quibus innotuit quæſt. 1. & 2. eſse immateriales, & purè ſpirituales, eſſe intellectuales, diſtinctos vero quoad ſubſtantiam ab omni actu intelligendi tá ſe, quam alia. Licet autem in eadem quæſt. 1. alijs ex capitibus comprobatum ſit, Angelos eſse ſubſtantias intellectuales, libuit nihilominus ſpecialem iſtam inſtituere quæſtionem de illatione intellectualitatis ex ſpiritualitate propter dif-

fi-

ficultates, quas mouent plerique moderni circa probationem, qua D. Thomas quæſt, 14. art.1. demonſtrat exiſtentiam ſcientiæ in Deo, ex eius immaterialitate, ſeu ſpiritualitate. Viſa nimirum eſt diſcuſſio huius rei opportunior pro hoc loco, tum quia ea illatio eſt vniuerſalior, latiusque patens, vt apparet ex dictis quā ſit ſcopus ille de exiſtentia ſcientiæ in Deo; tum quia ſcientiam Dei conuincunt manifeſtius plures aliæ rationes, vt apparet ex dictis, & inſinuatis quæſt.15. de Deo, vbi propterea hæc probatio ex imterialitate inſinuatitiè tantum attacta eſt. Intellectualitas verò Angelorum nulla ratione à priori, aut clarius, aut efficacius conuincitur, quàm ex eorum immaterialitate.

Ad 1. Quælibet ſubſtantia creata eſt prędita multiplici accidentium differentia pro multiplicitate munerum, ratione quorum illis indiget ſubſtantia. Vnde ſingulla accidentia non participant neceſſario totam, ac ſupremam ſui generis vuerſalis perfectionem, ſed aliqua ſunt infimæ, & vix vllius perfectionis, tametſi comprehendantur ſub genere perfectiſſimo, vt patet inter alia in vbicatione, & duratione ſpirituali. Quia nimirum ſunt obliquum quoddam ſubſtantiæ, ac proinde obliquè tantum ſub genere ſpiritualis continentur, nec participant eius perfectionem, niſi quatenus intereſt ſubſtan-

tiæ cui inſunt. Quapropter præeminet in eis ratio muneris peculiaris, quo inſeruiunt ſubſtantię, rationi generis vniuerſalis, ſub quo continentur. Hinc fit durationem, & vbicationem Angeli, tametſi ſpirituales ſint magis aſſimilari vbicationi, & durationi ſubſtantiæ materialis, ideoque materialibus, quam aſſimilentur eædem vbicatio, & duratio materiales ſenſioni, & appetitioni itidem materialibus. Alia longè ratio eſt de ſubſtantijs, quæ habent rationem recti, & finis reſpectu ſuorum accidentium, & exiſtunt, ſaltem eatenus, gratia ſui, ideoque continentur directè ſub genere vnaquæque ſuo, ideoque participant neceſſario totam eius perfectionem ſecundum ſe conſiderati. Hac igitur de cauſa non tenet paritas, atque rationes ſuperius propoſitæ conuincunt circa ſubſtantias, & non conuincunt cum proportione adæquata circa accidentia.

Ad 2. In ſubſtantia ſpirituali, qua ſpiritualis eſt, ſaluatur perfectio ſubſtantiæ materialis & excluditur eius imperfectio. Vnde ex eo quod materialitas componi poſſit cum cognoſcitiuo, non concluditur ſpiritualitatem poſſe ſimiliter componi cum non cognoſcitiuo, ſed componi poſſe, atque neceſſario componi cum cognoſcitiuo in gradu perfectiori, & carente imperfectione, quæ eſt propria cognoſcitiui materialis. Diſtinguenda itaque

eſt

eſt prior conſequentia obiectionis. Ergo nec excluſio materialitatis includit &c. ſi materialitas excludatur per prædicatum poſitiuum, & perfectius, quale eſt ſpiritualitas, negatur conſequentia. Si ſecus per poſſibile vel impoſſibile, tranſeat conſequentia.

Ad 3. Angeli ſunt quidem ſummè ſpirituales quoad conceptum negatiuum materialitatis, non tamen ſummè ſpirituales per ſummam diſtātiam à rebus materialibus, ſummamque diſcrepantiam ab earum imperfectionibus; quandoquidem conueniunt cum illis quoad plures imperfectiones cõmunes omni enti creato. Itaque comparatio obiectionis quoad conceptum negatiuum eſt de ſubiecto non ſupponenti. Quia omne ſpirituale eſt eſſentialiter ſummè ſpirituale quoad conceptum negatiuum materialitatis. Quoad conceptum vero poſitiuum perfectionis, & diſcrepantiæ à re materiali, aſſumit falſum eadem obiectio, Quia nõ omnis ſubſtãtia ſpiritualis ſummè diſcrepat magnitudine ſuæ perfectionis a re materiali, ideoque non eſt ſummè intellectiua ex ſuo conceptu, licet ex eodem ſit abſolutè intellectiua.

Ad 4. Dicitur proportionaliter in primis illud ipſum, quod dictum eſt ad 2. Deinde ſpecies intentionales ſunt in aere materialiter tantum, nec dant illi ſuum effectum formalem; ſicut dant potentiæ

ſenſitiuæ animalis. Vnde conſequutio eſt nulla.

Ad 5. Probabile valde eſt, nullum corpus eſſe incorruptibile ex ſua natura tam partialiter, quam totaliter, atque auctores minimè contemnendi. & rationibus non facile contemnendis dicunt, Cælos omniaque cæleſtia corpora eſſe corruptibilia partialiter, ſicut aer, aqua, & terra, tametſi ſe totis corrumpi minimè poſſint, ſicut nec poſſunt eadem elementa. Verum de hoc alias. Nempe quoad præſens ſufficit dicere, incorruptibile, ſi poteſt eſſe corporeum, & materiale, non habere perfectionem ita oppoſitam imperfectioni corruptibilium adęquatè ſūptæ, ſicut ſpirituale habet perfectionem oppoſitam imperfectioni propriæ, & peculiari rerum materialium adæquatè ſumptæ, vti ſuperius ponderatum eſt. Ex quo corruunt omnes comparationes corruptibilium, & incorruptibilium aſſimiles comparationibus ſuperius inſtitutis inter ſpiritualia, & materialia. Quod cōſiderationi cuiuſque relinquo, ne ſim longior abſque neceſſitate. Facile namque eſt, ſed aliquanto moroſum, ea conſiderare, & applicare, vt expedit. Demū ratio illa de inutilitate eſſentiali ſubſtantiæ ſpiritualis non intellectiuæ, manifeſtiſſime non tenet quoad ſubſtantiam materialem incorruptibilem non intellectiuā, vt patet in corporibus cæleſtibus;

ſi

ſi ea ſunt etiam partialiter incorruptibilia, vt tenetur communiter cum philoſopho. Quod additur de maxima appetibilitate conſeruationis in eſſe, & de maxima aſſimilatione incorruptibilitatis ad immutabilitatem, & æternitatem Dei, ideo non conuincit, quia conſeruatio in eſſe appetitur maxime, non propter eius maximam bonitatem, & perfectionem, ſed propter neceſſitatem eius ad reliqua omnia bona. Alia nempe appetuntur maximę propter magnitudinem bonitatis, alia propter magnitudinem neceſſitatis eorum. Iam incorruptibilitas coniuncta cum materialitate aſſimilatur immutabilitati, & æternitati Dei, cum maiori ratione diſſimilitudinis ex materialitate ſibi adiuncta, vt liquet ex dictis ſupra art. 2. Vnde quia ſpiritualitas excludit materialitatem, & omnes peculiares imperfectiones ipſius, magis aſſimilatur Deo abſolutè.

Ad 6. Intellectus agens dicitur à Philoſopho eſſe ſua actio, non per eſſentiā, ſed per concomitantiam, quatenus ex ſuo conceptu eſt ſubſtantialiter in actu, ideoque ſi nihil obſtet aliud, ſequitur protinus, & concomitatur actio, quo differt intellectus agēs à poſſibili, qui eſt remotior ab actione, vt dicit, ac exponit D. Thomas quæſt. 54. art. 1. ad 1. Vnde conceſſo exceſſu Angeli, ſeu ſubſtantię purè ſpiritualis ſupra intellectum noſtrum

agentem, negatur ſequela.

Ad 7. Vita dicitur de ſubſtantia in concreto, de operatione vero vitali, qualis eſt intellectio, eadem dicitur in abſtracto, ideoque argumentum laborat æquiuocatione, & nihil concludit.

QVAESTIO XII.

Vtrum Angeli intelligant per ſpecies ſibi ſuperadditas?

VIDENTVR non illis indigere. 1. quia Angeli indigent propinquitate obiectorum, vt ea cognoſcant. Ergo non vtuntur, nec indigent ſpeciebus impreſſis obiectorum. Patet conſequentia, quia qui habet apud ſe ſpeciem obiecti alicuius, eo ipſo habet in ſe principium ſufficiens ad totum concurſum obiectiuum, quo intellectus indigere poteſt, ac proinde non amplius indiget propinquitate obiecti, vt eliciat cognitionem eius. Probat antecedens Martinon ex ſacris litteris. Quia Iob. 1. 7. dicente dæmone, ſe circuiuiſſe terram, eamque perambulauiſſe, interrogat illũ Deus; an conſiderauerit ſeruum ſuum Iob. Ex quo datur intelligi eam fuiſſe dæmoni occaſionem opportunam conſiderandi Iob, quam non habuiſſet, ſi longe

ab hominibus ſemotus ſuo in loco latuiſſet. Similiter Matth. 12.43. dicitur dęmonem perambulaſſe loca arida ad captandam requiem, eaque non inuenta, reuertiſſe domum, ex qua exierat, & ea inuenta mundata, ac ornata, iuiſſe ad conuocandos ſocios. Quod ſi poſſet, obiecta vtcumque, & quantumcumque diſtantia ęquè benè intueri, ac propinqua, neceſſe non habuiſſet perambulare loca arida, nec ſpes inueniendæ requiei eum feſelliſſet, ac demum potuiſſet ſocios æquè benè in domum antecedenter notam, ac familiarem conuocare, quin illam prius adijſſet, vt certior fieret ſtatus præſentis.

2 Pro cognitione obiectorum ſpiritualiũ non ſunt neceſſariæ ſpecies vllæ impreſſæ, cum ea obiecta ſint intrinſecè proportionata, vt immediatè per ſe ipſa poſſint cooperari ad producendam cognitionem ſui. Obiecta autem materialia non ſunt idonea, quæ emittant ſpecies ſui ſpirituales, quales ſolę recipi poſſunt in intellectu Angelico. Nulla igitur obiecta cognoſcuntur ab Angelo mediantibus ſpeciebus impreſſis eorum.

3. Agentia naturalia vniuerſalia, nēpe corpora cæleſtia exercent ſuam actiuitatem circa omnia corpora ſibi ſubiecta abſque vlla cooperatione iſtorum in illa, per qualitates aliquas fluentes ab ipſis, eiſdemque ſpecialiter correſpondẽ-

tes. Maior autem eſt perfectio, & ſufficientia intellectusAngelici ad actiones ſibi connaturales circa obiecta omnia ſubſtantia virtuti ſuæ intellectiuæ.Multo igitur minus indiget intellectus Angelicus adiutorio qualitatum,ſeu ſpecierum traſmiſſarum ab obiectis in eumdem intellectum.

4. Angelus cognoſcit omnia præcisè per ſuam ſubſtantiam, vt apparet ex Dionyſio dicente cap 7.de diu.nom. Angelos ſcire ea, quæ ſunt in terra, ſecundum propriam naturam mentis. Natura autem mentis Angelicæ eſt ipſa Angeli eſſentia. Rurſus quicquid eſt in altero eſt in ipſo per modum eiuſdem alterius: omnia autem ſunt in Angelis, inferiora quidem eſſentialiter, ſuperiora vero participatiuè; idque conuenit Angelo ex eſſentia ſua, vt colligitur ex Dionyſio cap.4. de diu. nom.par.1. Cum igitur Angelus ſit intellectualis omnia ſunt in ipſo intellectualiter, vel per eſſentiam, vel participatiuè. Igitur omnia cognoſcere,ac perfectè intelligere poteſt per ſuam eſſentiã præcisè, perfectione accommoda conditioni ſingulorum obiectorum. Alioquin Deus non congregaret tota in totis,vt dicit ibi Dionyſius,ideſt omnia in omnibus, modo vtique congruente ſingulis reſpectu ſingulorum, atque adeo intelligibiliter reſpectu Angelorum. Demum in his, quæ ſunt ſine materia, idem eſt intel-

tellectus, & quod intelligitur. Ergo intellectus perindè ſufficit ſe ſolo, atque coniunctus cum obiectis, aut ſpeciebus obiectorum ad intelligendum omnia; ſiquidem hæc quatenus intelligibilia non diſtinguuntur ab ipſo intellectu.

5. Angelus nō vtitur naturaliter ſpeciebus, neque inditis à Deo, neque acceptis à rebus cognoſcibilibus, ſeu inductis actiuitate ipſarum rerum cognoſcibilium. Non quidem inditis à Deo. Quia eo ipſo tales ſpecies forent ſupernaturales, Id enim eſt vnicuique ſupernaturale, ſeu ſupra naturam ipſius, quod ſuperat totam vim, & actiuitatem eius, ſolūque haberi ab eo poteſt operante virtute diuina. Sed neque ſpeciebus acceptis à rebus iuuari poteſt Angelus. Quia res materiales ſunt inhabiles ad inducendas virtute ſua ſpecies ſpirituales, ac intelligibiles; res vero ſpirituales ſe ipſis ſunt proportionatæ, vt cooperentur intellectui Angelico. Nullæ igitur ſpecies impreſſæ ſunt admittendæ in intellectu Angelico.

℞ Art. 1. Reſpondetur. Certum in primis eſt, intellectum Angelicum indigere concurſu aliquo obiectorum ſibi cooperante, vt ea intelligat. Primo quia omnis cognitio realiter producta, ac ſuperaddita cognoſcenti eſt imago ſui obiecti: vt pote inſtituta primario ad repreſentandum idem obiectum. De ratione autem imaginis eſt, vt pro-

cedat à ſuo prototypo, vt docet, & probat Auguſt. quæſt. 4. in Deuter. & lib. 83. qq. quæſt. 74. Omnis igitur cognitio realiter producta, & ſuperaddita cognoſcēti procedit ab obiecto, atque ab eius cōcurſu, & cooperatione eſſentialiter dependet, Deinde intellectus ex ſuo conceptu eſt principium vniuerſale cognoſcendi omnia, & quælibet obiecta, atque vnaquælibet cognitio, cum ex conceptu ſuo ſit ſimillima obiecto, habet in ſe neceſſario perfectionem peculiarē ſpecialiter correſpondētem peculiari cuiuſque obiecti perfectioni. Repugnat autem in vno, eodemque indiuiſibili principio finitæ, ac limitatæ perfectionis, quale eſt omne principium intellectiuum creatum etiam Angelicum, contineri, tanquam in cauſa adæquata, ac ſufficiente per ſe præcisè, omnes omnium rerum peculiares perfectiones, ſeu totidem alias ſpecialiter illis correſpondentes. Neceſſe igitur eſt, vt accedat ex parte obiecti influxus, & cooperatio aliqua peculiaris, qua intellectus creatus etiam Angelicus adiuuetur, atque vltimo compleatur pro eliciendis obiectorum promiſcue omniū, ac ſingulorum cognitionibus,

Art. 2. Quia vero intellectus Angelicus nō eſt magis ſufficiens ad intellectiones, quam ſenſus noſtri ad ſenſationes, de quibus oſtenſum eſt in loco indigere ſpeciebus impreſſis obiectorum, quorum in-

indigent cooperatione ad opus ſentiendi. Et rurſus ex obiectis intelligibilibus aliqua ſunt ex ſe prorſus inidonea, quæ immediatè influant in actus ſpirituales, qualia ſunt omnia obiecta materialia; alia vero vel ſunt longè poſita ab intelligente, vel certe cognoſcuntur independenter à propinquitate ſpatij, qualia ſunt obiecta cætera creata; vel non cognoſcuntur naturaliter, vt ſunt in ſe immediatè, ſed mediatè, & ad modum aliorum, alijſque cooperantibus intellectui, ſiue Angelico, ſiue humano, qualia ſunt omnia diuina. Quia inquam hæc ita ſe habent, neceſſe demum eſt, intellectum Angelicum eſſe inſtructum ſpeciebus impreſſis, quarum influxu efficienti, veraque cooperatione iuuentur ad producẽdos ſuos intelligendi actus circa ſingula obiecta. Dubitatur autem, an ad omnia, an ad aliqua tantum, & quænam obiecta cognoſcenda indigeat Angelus ſpeciebus impreſſis diſtinctis à ſe, & ab obiectis? Qua in re extat magna opinionum varietas, vti ſemper accidit in re obſcura, & ancipiti, multiplicíſque comparationis ambagibus implicata, qualis procul dubio hæc eſt. Iuuerit proinde breuiter prænarrare ſumma capita ſententiarum, atque opinionum diuerſarum.

Art. 3. Prima itaque opinio D. Thomæ quæſt. 56. art. 1. aliorumque communis negat Angelo ſpecies à ſe diſtin-

ctas ad cognitionem ſui,& proprietatum ſibi connaturalium. Quia, cum Angelus ſit ſibi ſummè præſens, non poteſt indigere qualitate ſui vicaria, hoc eſt ſpecie impreſſa ſui, vt cognoſcat ſeipſum. Quia verò hæc cognitio eſt perfecta in vnoquoque Angelo comprehenſio ſui, eadem neceſſe eſt, vt cognoſcat proprietates ad eſſentiam naturaliter conſequentes, vtpote contentas in illa,& cum quibus eadem intrinſecè connectitur tanquam cauſa,& radix præcontinens in ſe perfectionem illarum. Confirmari poteſt, quia Angelus non eſt minus perfectus in ratione cognoſcibilis, quam in ratione cognoſcitiui, vt apparet ex dictis queſt. 13. de Deo ab art. 1. ad 7. vſque. Ergo non minus per ſe ipſum præſtare poteſt concurſum obiectiuum, quatenus cognoſcibilis eſt; quam concurſum efficientem, quatenus eſt cognoſcitiuus, quando ſub vtraque ratione fuerit æquè præſens, & applicatus, vti eſt reſpectu ſuæ de ſe cognitionis.

Art. 4. Verum hęc opinio ſubdiuiditur in duas alias. Prior eſt Caietani, & aſſeclarum, aientium ibidem ſubſtantiam Angeli non præſtare, immediatè per ſe ipſam, eum concurſum obiectiuum, ſed per ſuum intellectum, qui reſultat à ſubſtantia, cum virtute actiua propria potétiæ, ſimulque ſpeciei. Altera opinio eſt Suarij, & noſtrorum communiter Theo-

logorum adſcribentium eumdem cōcurſum ipſi ſubſtantiæ immediatè. Fundamentum Caietani eſt, ſubſtantiam creatam non eſſe immediatè operatiuam, vt quo, ſeu vt proximam rationem agendi. Suarij vero. & aſſeclarum fundamentum eſt, oppoſitum principium eſſe verum, nempe indiſtinctionem ſaltem partialem potentiæ intellectiuę à ſubſtantia intellectuali. Circa proprietates Angelo connaturales extat ſimilis ſubdiuiſio, aientibus Arrubale, & alijs, illa per ſe immediatè exhibere concurſum obiectiuum in cognitionem ſui, quæ tendat in ipſas ſeorſim, ac immediatè, negantibus vero Thomiſtis, conuenire Angelo cognitionem ſuarum proprietatum, præterquam perfectam à priori, & per cauſam, ac proinde indiſtinctam ab eius cognitione, & ortam ab eius præcisè concurſu obiectiuo.

Art. 5. Secunda eiuſdem Arrubalis, & aliorum opinio negat Angelis ſpecies diſtinctas realiter ab obiectis, non ſolum reſpectu ſui, ſed etiam omnium eorum, quæ ſunt ipſis vnita phyſicè, ſiue naturalia illa ſint, ſiue ſupernaturalia; ſiue neceſſario inhærentia, vt proprietates connaturales, ſiue contingenter, vt alia accidentia. Quia ſcilicet, quę ſunt vnita phyſicè, eo ipſo habent præſentiam, & & applicationem ſufficientem. Et cum ſint ſpiritualia, habent quoque propor-

tio-

tionem requiſitam, vt influant obiectiu in cognitionem. Quę ratio æquè vigei pro naturalibus proprietatibus, & prc alijs quibuſuis accidentibus tam ſupernaturalibus, quam naturalibus. Reliqua vero non vnita phyſicè, ſi ſint abſentia, non poſſunt operari in diſtans, quin operentur per medium, atque hoc eſt incapax ad recipiendas ſpecies ſpirituales. Quæ autem ſunt propinqua, cognoſcuntur ab Angelo independenter à propinquitate. Quia poteſt æquè bene cognoſcere obiecta vtcumque diſtantia, & cõſeruare cognitionem ſemel conceptam, obiectis, aut ipſo cognoſcente quocumque abeuntibus. Sunt qui diſtinguant inter obiecta propinqua ſpiritualia, & materialia, propter illorum improportionem, & propoſitionem illorum reſpectu intellectionis, quæ eſt ſpiritualis. Qua de cauſa volunt, ſpiritualia propinqua immediate influere obiectiuè; minime vero materialia.

Art 6. Tertia ſententia, in quam ſemel, atque iterum valde propendet Vaſquez à diſp.200.cap.3.& quam cum alijs abſolutè tuetur Martinon, docet Angelos non indigere ſpeciebus impreſſis ad cognoſcenda obiecta naturalia in ſe intrinſecè exiſtentia, & ſufficienter præſentia, ſeu poſita intra ſphæram actiuitatis; ad reliqua indigere. Quia dum obiecta exiſtunt, & sũt ſufficienter propinqua, fru-

fruſtra ſubſtituitur qualitas, quæ agat vicem ipſorum. Quod quidem de obiectis ſpiritualibus videtur, per ſe ſatis patere, cum ſint intra idem genus, ad quod pertinent cognitiones intellectuales. De obiectis autem corporeis ſuadetur idem exemplo actuum phantaſię, ex quibus, licet materiales ſint, oriuntur ſpecies ſpirituales, cooperante ſimul intellectu. Quidni ergò ſimiliter ab obiectis materialibus oriantur inadęquatè intellectiones? Accedit, nullo ex capite apparere impoſſibile, quod intellectus Angelicus tanquam cauſa ſecunda adæquata poſſit elicere cognitiones ſuas circa obiecta exiſtentia intra ſphæram Angelicæ virtutis cognoſcitiuæ. Immò id videtur maximè congruere eximiæ illi perfectioni, quę ab omnibus agnoſcitur in Angelis. Quo potiſſimum propendet Vaſquez loco indicato cum OKamo, Altiſiodorenſi, Dur. Gabr. Iam ad obiecta præterita, aut nódùm exiſtentia indigere Angelum ſpeciebus, (quod tamen, non minus propendet Vaſquez, vt neget) aſſerit patere idem Martinon. Quia eiuſmodi obiecta non ſufficientia ex ſe ad excitandam intellectum, & cognoſcuntur æquè benè ſub quacunque durationis diſtantia, & abſq; vlla propinquitate locali poſitiua. Quoad obiecta coexiſtentia quidem Angelo, ſed eidem minimè propinqua nititur idem auctor ſcripturæ locis expenſis ſupra in pri-

prima ratione dubitandi.

Art. 7. In re dubia & maximè occu placet adhærere veſtigijs D. Thomæ, omnia patuere. Dicendum itaque prir eſt, ob eius præcipuè auctoritatem, tu ob rationem præmiſſam nuper art. 3. A gelum non indigere ſpecie obiectis peraddita ad cognitionem ſui, ſuarum que proprietatum, & accidentium ſi naturaliter inhærentium. Prima ſubdi ſio huius ſententię propoſita art. 4. nulli apud me locum habere poteſt, qui pot tiam intellectiuam non agnoſco diſtinc à ſubſtantia intelligenti, ob ea quæ pr ducentur infra quæſt. 18. Quoad ſecun ſubdiuiſionem placet Arrubalis ſente tia. Quia cum accidentia Angelo conn turalia eodem modo comparentur in r tione cognoſcibilium cum ſua cogniti ne, atque comparatur ſubſtantia cum ſi nulla apparet ratio, cur quãdo ſunt eq præſentia, & applicata, non poſſint æq præſtare concurſum obiectiuum imm diatum Fò, vel maximè, quia eſt valde probabile, Angelum ceſſare poſſe ab i mediata cognitione ſui naturali, & nil lominus retinere cognitionem eorum a cidentium.

Art. 8. Dicendum rurſùs eſt, pro re quis omnibus obiectis neceſſarias eſſe A gelo ſpecies impreſſas diſtinctas realit ab eiſdem obiectis, tum ob rationes n per propoſitas in poſteriori parte artic

tum

tum ob iſtam aliam, Quia ſcilicet videtur intellectus indigere, ad eliciendas cõnaturaliter cognitiones, cauſa concurſus obiectiui ſibi intrinſecè inhærenti, qua perficiatur intrinſecè, ac illuſtretur. Sicut enim, quæ grauia, & leuia ſunt, nec ſurſum, nec deorſum mouerentur propter leuitatem, & grauitaté ſibi præſentes, non tamen inhærentes phyſicè; nec corpus redderetur proximè viſibile propter propinquitatem coloris, & lucis, quę non niſi per phyſicam inhæſionem diſponunt ad viſionem; ita videtur intellectus in ſuo genere, & oculus corporeus in ſuo indigere, ad eliciendos ſuos actus, diſpoſitione ſibi phyſicè inhærenti, communicata per ſpeciem obiecti, aut obiectum ipſum, nec ſufficere, quod hęc ſint illi propinqua. Frequens nimirum eſt apud D. Thomam, & alios rationibus indicatis quæſt. 12. de Deo, ſpecies impreſſas appellare lumen intellectus. Quibus ſcilicet illuſtratur, tùm intellectus, tùm oculus, vt videre poſſit, & determinatur, ac excitatur, vt videat, & ſic eliciat cognitiones ex intrinſeca inclinatione, impetu indè ſuperaddito diſpoſitioni remotæ, quá ex ſe præciſe habet, vt cognoſcat ad eum ferè modum, quo ex omnium confeſſione idem accidit in voluntate. Vt vt autem hoc ſe habeat, diſtinctio, quæ ibi ſubiungitur abſolutè inter obiecta ſpiritualia, & materialia, mihi placet ex hy-

po-

potheſi. Tametſi enim obiecta ſpiritualia propinqua poſſent ſe ipſis immediatè concurrere obiectiuè, non propterea idem eſſet concedendum obiectis materialibus, ſeu corporeis ob rationem differentię ibidem aſſignatam. Nec vrget paritas, quam opponit Martinon ex actu phantaſię. Quia actus phantaſiæ humanę participat plurimùm de perfectione actuum ſpiritualium ex influxu animæ rationalis, & ex modo repræſentandi defæcatiori, quàm qui ineſt ſenſui externo; cum res alię materiales longiſſimè diſtet ab eiuſmodi perfectione, ac participatione. Atque vniuerſaliter eſt verum illud ſolemne: ſupremum infimi non attingere infimum ſupremi. Qui gradus conuenit, inter res materiales, actui phantaſiæ cõparato cum actu intellectus ſibi immediato, non verò rebus alijs.

Art. 9. His ita conſtitutis circa neceſſitatem ſpecierum, ſupereſt adhuc dubitatio, an Angeli illas accipiant ob obiectis, an a ſolo Deo immediatè, & quando? Dicendum autem eſt cum D. Thoma eadem quæſt. 55. artic. 2. & plerisque alijs ibidem aduersùs Scotum, & alios non paucos, eiuſmodi ſpecies ſimul omnes infuſas fuiſſe Angelis à Deo in primo ſuæ creationis inſtanti. Solet hæc concluſio probari à Theologis non paucis ex 28. Ezechielis, vbi dicitur primus Angelus plenus ſapientia ante peccatum; id eſt à pri-
mo

mo creationis inſtanti. Quod tamen non videtur eſſe efficax ad propoſitum. Quia id accipi poteſt de ſapientia ſupernaturali, cum hic ſermo de ſola naturali, accipi etiam poteſt de ſapientia habitâ per ſpecies rerum tunc exiſtentium, tùm de illuminatione indiſtinctâ à perfectiſſima virtute intellectiua, abſque excluſione alterius aliunde ſubſidij neceſſarij pro loco, & tempore, nec non de ſcientia circa Deum, ac demùm de ſola cognitione ſupernaturali rerũ in verbo. Probatur itaq; aliter concluſio. Quia Angeli non poſsũt ſola ſua actiuitate acquirere ſimilitudines ſeu ſpecies rerum omnium, propter infinitam propemodùm varietatẽ perfectionum in illis repertam, vti obſeruatum eſt ſupra art. 1. pro neceſſitate concurſus obiectiui. Rursùs neque poſsunt habere eaſdem ſpecies dependenter ab actiuitate, ſeu adæquata, ſeu inadæquata obiectorum. Quia quę materialia ſunt carent prorſus ea actiuitate, vt dictum eſt. Quæ verò ſpiritualia ſunt cognoſcuntur independenter à propinquitate ad Angelum ea cognoſcentem, & tamen producere ſpecies nequaquam poſsunt independenter ab eadem propinquitate. Quæ itidẽ duo obſeruata ſunt ſuperius. Neceſſe igitur fuit, vt à Deo infunderentur ſpecies omnium rerum. Quia verò nulla eſt maior ratio infuſionis pro vno inſtanti, quàm pro alio, ſatius eſt exiſtimare, Deum à

pri-

primo inſtanti voluiſſe ea perfectione donare naturam Angelicam. Immò adeſt maxima ratio eius infuſionis à primo inſtanti. Quia videlicet Angelus ex ſua natura habet ſemper intrinſecam capacitatem, vt perficiatur per eiuſmodi accidētia; ac proinde ſemper illa exigit intrinſecè. Deus autem omnibus largiter ſuppeditat omnia, quorum ſunt intrinſecè capacia, quæque proinde exigunt intrinſece, ex quo ſunt capacia, & exigunt. Et quidem, quod Deus infundat Angelis ſpecies omnium rerum, maxime vero materialium, colligitur haud obſcurè ex Dionyſio cap. 7. de diu. nom. non longè ante medium, vbi docet, tum Angelos diſcere, quæ ſunt, diuina ſibi accommodata illuſtratione, tum ſcientiam diuinam ab eis non comparari ex rebus indiuiduis. Eodem pertinet celebris doctrina Auguſtini lib. 2. de Geneſ. ad litteram cap. 8. & lib. 4. cap. 32. omnia prius à Deo creata eſſe in Angelorum cognitione, quàm in ſe ipſis. Quod fieri non poſſet ſi ſpecies rerū à rebus ipſis acciperent, & non à Deo immediatè. Ex his itaque omnibus apparet, an, & pro quibus obiectis ſint Angelis neceſſariæ ſpecies impreſſæ ſibi ſuperadditæ, & vnde eas habeant.

Ad 1. Quod intēdit ibi Martinon de propinquitate obiectorū neceſſaria, vt videātur ab Angelo, merito dixit Suarez lib. 2. c. 2. eſſe cōtra omnes. Nec aduerſantur au-

cto-

ctores, qui docent, Angelos ſumere ſpecies ab obiectis. Quia iam ſuſceptis vtuntur in quantacunque illorum diſtantia. Ad loca ſcripturæ, quę ille perpendit pro ſe, dicitur, Spiritum Sanctum ibi, & ſæpe aliàs exponere more humano, quæ fiunt more ſpirituũ, vt commodiùs percipiantur ab hominibus, in quorum vtilitatem ſcripta ſunt, quæcunque ſcripta. Dici etiam poſſet circuitiones eiuſmodi factas eſſe á Dæmone, non ex indigentia notitiæ, ſed ad libitum ineptè, vti facit pleraque alia.

Ad 2. Species impreſſæ obiectorum ſpiritualium ſunt neceſſariæ Angelo, tum vt eius vis intellectiua perficiatur intrinſecè ſimilitudine virtuali obiecti pro priori naturæ ad intellectionem eius iuxta dicta ſupra artic. 8. tum vt ea cognoſci poſsint independenter à propinquitate, atque in qualibet diſtantia. Obiectorum autem materialiũ ſpecies habentur à Deo infusè ab initio creationis, vt dictum eſt ſupra. Vnde omnia, quæ ſunt extra Angelum cognoſcuntur ab eo per ſpecies.

Ad 3. Agentia naturalia ſolum producunt in paſſo effectus participantes perfectionem ipſorum, & non etiam eorũ præterea, circa quæ operantur, perfectionem peculiarem, ideoque nulla indigent cooperatione ex parte ipſorũ. Oppoſito modo ſe res habet in intellectu comparato cum obiectis cognoſcibilibus per ipſum.

Quo-

Quorum videlicet peculiares perfectiones ad ſe traducit, ea intelligendo, vt liquet ex art.1. & 2. Eſt igitur diſpar; manifeſte ratio.

Ad 4. Quod dicit Dionyſius, Angelos ſcire ea, quæ ſunt in terra ſecundum propriam naturam mentis, ſolum conuincit non cognoſci terram terra, & ſic de alijs qui fuit veteris error philoſophię, non vero cognoſci, quæcunque cognoſcuntur, per naturam mentis in genere cauſę formalis, aut etiam efficientis adęquate. Deinde non ſunt omnia in Angelis, tam ſuperiora, quàm inferiora ſecundum omnes, & quaslibet ſuas rationes formales adęquatè ſumptas, ſed ſolum inadęquatè ſecundum aliquas. Cognoſcit autem omnia ſecundum omnes eorum rationes, etiam eas quibus cætera differunt ab vnoquoque Angelo. Indiget ergò eatenùs cooperatione obiectorum. Hinc apparet legitimus ſenſus ſententiarum Dionyſij qui nimirùm ſolum intendit cætera omnia eſſe in Angelo tantùm inadequatè, atque tota eſſe in totis ſecundum rationes communes tātùm, vt exponit D. Thomas dicta quæſt. 53. ar.1. ad 3. Demum quod dicitur idem eſſe intellectum, & quod intelligitur, accipiendum eſt de intellectu in actu, quatenus intellectio eſt intentionaliter ipſum obiectum intellectum; non verò ita vt eſſentia intelligentis ſecundū ſe præcisè ſit res intellecta, aut ſimilitu-

do

do eius, vel virtualis adæquata, vel formalis.

Ad 5. Ad conceptum doni ſupernaturalis non ſufficit, quod ſuperet totam actiuitatem eius, cui confertur, ſed neceſse inſuper eſt, vt ſuperet proportionem, & exigentiam eius intrinſecam, vti pluribus expoſitum, & ſtabilitum eſt quæſt 6 & 7 de gratia. Alioquin creatio animæ rationalis, ipſaque anima eſset intrinſecè ſupernaturalis, Itaq; Angelus accipit a Deo ſpecies impreſsas rerum materialium, nec non ſpiritualium exiſtentium extra ipsū, tanquam perfectiones ipſi connaturales debitas perfectioni naturę eius, & quibus non ſuperadditis perperam data in eo fuiſset virtus intellectiua, quæ ex ſua natura eſt vniuerſalis reſpectu omniū. Quid verò cuiquam connaturalius eſse, aut dici poteſt, quam id, ſine quo exiſtere nequit ex ipſa natura rei, quodque vt ipſi negetur, eſt infra dignitatem, & exigentiam naturæ eius? quidquid ſit de reliquo, & quo ſibi non conceſso nequit exercere actiuitatem & vim effectiuam ſibi eſsentialem, ac proindè eſt eatenus ſruſtra in rerum natura.

QVAE-

QVAESTIO XIII.

Vtrũ ſpcies Angelicæ ſint inæquales pro inæqualitate Angelorum?

VIDENTVR non eſse ita inæquales 1. Quia dici non poteſt in Angelo perfectiori ſpecies eſse perfectiores, & minoris perfectionis in minus perfecto, Nempe qui perfectior eſt habet maiorem virtutem intellectiuam, Maior autem virtus intellectiua minori indiget cooperatione ex parte obiecti, adeoque ſpecie indiget minus perfecta, & è conuerſo de Angelo minus perfecto. Sed neque dici poteſt Angelo minus perfecto deberi ſpecies magis perfectas, quá perfectiori. Quia perfectio cuiuſque ſubſtantiæ eſt menſura perfectionis eorum, quæ inſunt ipſi neceſsariò, nec fieri poteſt vt alicui debeatur aliquid præſtantius, præcisè quia ipſum eſt ignobilius.

2. In ſpeciebus intentionalibus non eſt excogitabilis maioritas perfectionis, niſi quoad maiorem vniuerſalitatem. Angelo autem perfectiori non infunduntur ſpecies vniuerſaliores. Quia cognoſcens per ſpeciem vniuerſaliorem fertur in rationem magis vniuerſalem obiecti, ac proinde

inde cognoſcit cum maiori præciſione à particularibus, & cum maiori plurium confuſione ſub vna ratione communi. Repugnat autem, vt Angelus eo cognoſcat imperfectius quo perfectior ipſe eſt. Repugnat igitur, vt habeat ſpecies eo vniuerſaliores, quo perfectior ipſe eſt. Ergò ſpecies Angelorum non ſunt inæquales pro inæqualitate ipſorum.

3. Si ſpecies impreſſæ Angeli perfectioris eſſent vniuerſaliores poſſet Angelus perfectior cognoſcere per vnam ſpeciem plura ſimul obiecta, quorum ſingula Angelus inferior cognoſceret per ſingulas ſeorſim ſpecies. Hinc autem vlteriùs ſubſequitur, plures iſtas ſpecies Angeli inferioris diſtingui inter ſe, & à ſpecie vniuerſaliori Angeli ſuperioris, per pùram negationem maioris extenſionis, quæ conuenit ſpeciei illi vniuerſaliori, quod repugnat, quia quæcunque differunt ſpecie, habent peculiares perfectiones, per quas differunt ſpecificè mutuò; tùm quia ratio ſpecifica in vnoquoque eſt præcipua eius perfectio; tum quia cuius nulla eſt ſpecialis perfectio ſecundũ ſuam rationem differentialem, nulla eſt appetibilitas ſpecialis ſecundum eandẽ. Nulla autem exiſtente ſpeciali alicuius appetibilitate, quatenus differt ab alijs, nulla cauſa poſſet intendere, ac inducere exiſtentiam eius, quatenus differentis ab alijs. Repugnat igitur, vt exiſtant au-

ctore Deo, aut vi alicuius alterius cauſæ duæ eiuſmodi ſpecies impreſſæ, quibus ſimul ſumptis æquiualeat indiuiſim vniuerſalior alia, ſpecies, & quarum proinde ratio differentialis ſit purè negatiua.

4. Idem non poteſt eſſe propria ratio multorum. Ergò ſi Angelus ſuperior cognoſceret plura per vnicam ſpeciem, maioris vniuerſalitatis, non poſſet illa attingere ſecundum propriam, & peculiarem vniuſcuiuſque rationem. Ergò ea omnia cognoſceret confuſè, & imperfectè.

Art. 1. Reſpondetur. *Ex hoc ſunt in rebus aliqua ſuperiora, quod ſunt vni primo, quod eſt Deus, propinquiora, & ſimiliora*, vt aſſumit D. Thomas in hanc ipſam rem quæſt. 55. art. 3. Dictum autem eſt quęſt. 4. Dari Angelos alios alijs ſuperiores. Dantur igitur Angeli alij alijs propinquiores, & ſimiliores Deo. Deus autem quæcunque cognoſcit, cognoſcit; per vnicam vniuerſaliſſimam rerum omnium ſpeciem, quæ eſt eius eſſentia, atque in hoc peculiaris eius perfectio infinita, quatenus intellectiuus eſt, pleniſſimè cõſiſtit, vt dictum eſt quæſt. 15. de Deo. Ergò Angeli quo perfectiores ſunt aliiſque ſuperiores, eò vniuerſalioribus, & paucioribus numero ſpeciebus vtuntur; eò verò pluribus, minuſque vniuerſalibus, quò inferiores ſunt minoriſque perfectionis.

Art.

Art. 2. Et quidem admittendam eſſe de facto aliquam huiuſmodi vniuerſalitatem in ſpeciebus Angelicis ſaltē reſpectu indiuiduorum eiuſdem infimæ ſpeciei, ita vt poſsint cognoſci plura, etiam ſeorſim diſtinctè, & clarè per vnicam ſpeciem realiter indiuiſibilem, conſtat: Primò ex perfectione Angelorum, longè maiori, quam ſit humana, nec dependenti à ſenſibus tranſmittentibus ſingula ſeorſim indiuidua in intellectum per ſingulares cuiuſque ſpecies impreſſas. Par enim eſt credere, ſpecies impreſſas Angelorum, quæ ſunt proprietates, aut quaſi proprietates ipſorum, eodem proportionaliter gradu perfectionis excedere ſpecies impreſſas humanas, quo natura Angelica excedit humanam, ideoque illas eſſe vniuerſaliores, maioriſque ad plura indiuiſim repræſentanda ſufficientiæ. Deinde quæſtione præcedenti dictum eſt, Angelis pro primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti infuſas eſſe ſpecies pro rebus omnibus cognoſcibilibus per ipſas, extituris decurſu temporis. Res autem cognoſcibiles ab Angelis extituræ decurſu temporis ſunt infinitæ, vt patet in durationibus, cognitionibus, & volitionibus ipſorũ Angelorũ, ac dæmonũ extituris per totã æternitatem. Oportuiſſet igitur ſpecies Categorematicè infinitas infuſas eſſe ſi nulla in eis daretur vniuerſalitas, ſed ſingulæ ſingulis indiuiduis ſeorſim reſponderent. Id

quod eſt impoſſibile, ac chimæricum.

Art. 3. Rurſus probabilius videtur ſpecies impreſſas cuiuſque Angeli eſſe præditas aliqua vniuerſalitate quoad ſpecificas etiam differentias rerum, quæ ſunt vnoquoque Angelo inferiores. Primum enim hæc perfectio non videtur vſque adeò magna, vt excedat limites perfectionis conuenientis ſubſtantię Angelicæ Deinde ſpecies, quas modò poſuimus aliqua vniuerſalitate præditas quoad indiuidua eiuſdem infimæ ſpeciei, & quas communi conſenſu admittunt Theologi ferè omnes, dubitandum minime eſt, quin ſint ſufficientes ad cognitiones diſcretiuas vniuſcuiuſque indiuidui à reliquis. Quod conuincunt ęqua vi eædem rationes, quibus eiuſmodi vniuerſalitas comprobata eſt. Sufficiunt igitur ad cognitionem etiam obiectorum ſpecie inter ſe diſſidentium. Ratio illationis eſt quia vnumquodque indiuiduum ęſt diſcernibile ab alijs indiuiduis numericè tãtum diſtinctis per aliquod accidens, aut accidentium collectione ſpecie diuerſa ab accidentibus aliorum omnium indiuiduorum, vt liquet ex dictis in eadem quæſt. 4. ſub initium. Accedit quemlibet Angelum eſſe comprehenſiuum ſui per vnicam cognitionem, vt dicetur in quæſtione proximè ſequenti. Plura autem ſunt obiecta ſpecie diſtincta inferiora Angelo, quæ ſimul ſumpta non ſint ma-

io;

ioris perfectionis, quam Angelus ſe ſolo. Poterit igitur ſimiliter complecti vnica indiuiſum cognitione plura obiecta inferiora ſpecie inter ſe diſtincta. Ergò ſimiliter vnica ſpecies impreſſa poterit plura eiuſmodi indiuiſim continere; Confirmatur, quia non magis repugnat, qualitatem intentionaliter actiuam continere in ſe cognitiones inter ſe ſpecie diuerſas, aut obiectorum ſpecie diuerſorum, quàm cauſam purè phyſicam continere in ſe plures effectus phyſicos ſpecie diuerſos. Sunt autem plures eiuſmodi cauſæ phyſicæ. Ergò & ſpecies impreſſæ admittendæ ſunt præditæ continentia eiuſmodi vniuerſali. Quæ eſt communior longè opinio ad erſus Arrubalem, & nonnullos alios, qui ſolam admittunt vniuerſalitatem ſpecierum Angelicarum quoad indiuidua eiuſdem infimæ ſpeciei.

Art. 4. Concluditur itaque cum D. Thoma vbi ſupra contra Scotum, Angelum quò ſuperior eſt, eò paucioribus ſpeciebus impreſſis intelligere eamdem collectionem obiectorum, ſeu numero, ſeu ſpecie diſtinctorum. Id quod tradit clarè Dionyſius cap. 12. Cæl. Hierar, dicens ſuperiores Angelos participare ſcientiam magis in vniuerſali, quam inferiores Obſeruandum verò eſt, neceſſe nequaquam propterea eſſe, ſi nihil ſuperaddatur aliud, vt minor ſpecierum numerus exiſtat in Angelo ſuperiori, quàm in in-

feriori. Quia ad maiorem ſpeciei alicuius impreſſæ vniuerſalitatem ſufficit, quod vel plura obiecta indiuiſim per eam cognoſci poſſint, vel idem numerus obiectorum cognoſci poſſit per ipſam clarius, ac diſtinctius, & quoad plura prędicata. Vtrumuis nimirum horum æquè arguit maiorem perfectionem, id eſt maiorem vniuerſalitatem intenſiuam, vel extenſiuam, & quoad plura vel obiecta inter ſe realiter diſtincta, vel prædicata, & formalitates eorumdem obiectorum. Qua diſiunctione vitatur facilè, ac legitimè incommodum, ſi tamen tale eſt, quod opponi, ſolet ſententiæ D. Thomę, quam defendimus Nimirum eundo surſum verſus per Angelos perfectiores, & perfectiores ſine fine, deueniri poſſe ad aliquem, qui vna ſola ſpecie valeret cognoſcere vniuerſa. Quod profectò incommodum locum non habet, data diſtinctione maioris perfectionis ſpecierum intenſiuè, & extenſiuè. Quanta porro, & qualis determinate ſit vniuerſalitas ſpecierum in vnoquoque Angelo, definibile à nobis nequaquam eſt, qui naturas eorum non nouimus definitè, nec proinde iuſtam cuiuſque proportionem cum determinato genere ſpecierum.

Ad 1. Cauſa perfectior, minori alterius cooperatione indiget, quam cauſa minus perfecta ad effectus æqualis perfectionis. At ad effectum perfectiorem

opor.

oportet omnia comprincipia eſſe perfectiora Angelus autem ſuperior elicit cognitiones tantumdem perfectiores, ideoque indiget cooperatione ſpecierum perfectiorum, atque vniuerſaliorum. Eò vel maximè quia cognitio, quæ eſt perfectior, quatenus correſpondet intellectui, eo ipſo eſt etiã perfectior, quatenus correſpondet motiuo ſuo formali, de quo alibi, atque ideò vtrinque indiget maiori cooperatione, & virtute actiua nobiliori. Debentur igitur Angelo ſuperiori ſpecies vniuerſaliores, quam inferiori. Cóceſſa itaque poſteriori parte obiectionis, negatur pars prior.

Ad 2. Species Angelicæ non dicuntur à Theologis magis vel minus vniuerſales relatè ad rationem obiectiuam vniuerſalem pluribus, vel paucioribus indiuiduis aut ſpeciebus communem, ſed relatè ad plura, vel obiecta, vel prædicata obiecti, vel obiectorum, quatenus diſtinctè, & clarè cognoſcibilia. Vnde obiectio ęquiuocatione laborat.

Ad 3. Conceſſa prima ſequela, negatur poſterior ſubſecutio. Quia duæ ſpecies impreſſæ minus vniuerſales, quibus ſimul ſumptis ęquiualet alia quędam ſpecies vniuerſalior, differunt ab ea, & inter ſe per propriam cuiuſque perfectionẽ vſque adeo limitatam intrinſece, quatenus limitata eſt. Ad eum videlicet modum, quo omnes creaturę differunt à

Deo, a quo nihil differt per puram aliquam perfectionem, ſed per puram aliquam perfectionem, ſed per adiunctam illi. atque identificatam limitationem, & imperfectionem Nullę namque duę perfectiones ſibi inuicem repugnant, præcisè quatenus ſunt perfectiones. Alioquin non eſſet in Deo formalis omnis pura perfectio ſecluſa omni imperfectione, nec eſſet vllus defectus excluſic alicuius perfectionis. Dicendum itaque eſt, impoſſibile quidem eſſe, vt duo conceptus obiectiui ſufficientes conſtituendis duabus rerum ſpeciebus identificentur in tertia aliqua entitate, ſi ſumantur adæquatè, incluſis etiam imperfectionibus, ratione quarum ſe inuicem excludunt, redduntur que mutuò incommunicabiles ſummè. Cæterum poſſunt identificari ſi ſumantur inadæquatè, ſecluſis ſolis illis imperfectionibus, ratione quarum opponuntur mutuò, atque impediuntur. quominus vterlibet communicetur alteri tantumdē atque ſibi, & alterum perficiat tantundē atque ſe. In ſumma ſpecies minus vniuerſales differunt inter ſe, & ab vniuerſaliori illis ęquiualente indiuiſim ad eum omninò modum, eaque ratione, quo, & qua agnoſcuntur ab omnibus motiua intellectus magis, & minus perfecta diſtincta inter ſe realiter, & à motiuo perfectiori æquiualente indiuiſim motiuis imperfectioribus. Nempè perfectio cognitionū,

&

& ſpecierum intentionalium commenſuratur iuſtæ perfectioni motiuorum, ad quæ feruntur,

Ad 4. Conceditur non poſſe idem eſſe propriam rationem formalem adæquatam multorum; quia propria ratio formalis adæquata vniuſcuiuſque ex multis includit in ſe oppoſitionem, & incompoſſibilitatem ſui cum cæteris multitudinis, eorumque rationibus formalibus. Nec enim aliter diſtingui poſſent inter ſe realiter. Cæterùm ratio intentionalis ſicut & exemplaris, atque efficiens poteſt, ſi ſit excellens, vna eſſe plurium etiam quoad conceptus, & formalitates, quibus diuerſificantur inter ſe, vt patet in diuina cognitione, idæa, & potentia, atque in pluribus alijs, quæ per perfectionem realiter indiuiſibilem æquiualent pluribus, & præſtare poſſunt per ſe præciſe, quicquid eadem plura ſeorſim prętare poſſunt. Idē igitur accidere ſimiliter poteſt in ſpeciebus impreſſis, vt nimirum vna aliqua excellenter perfecta æquiualeat pluribus plurium obiectorum ſpeciebus, eademque obiecta contineat in ſe intentionaliter, & valeat efficere cognitiones eorum quoad conceptus etiam differentiales eorum, cum omnimoda claritate, ac diſtinctione.

QVAESTIO XIV.

Vtrum Angelus cognoſcat naturaliter omnia intelligibilia?

VIDETVR non cognoſcere. 1. Quia non cognoſcit ſe ipſum: tum quia ex ſententia Dionyſ. cap. 6. Eccl, hierar. *Angeli ignorant proprias virtutes*, quas tamen ignorare non poſſent, ſi cognoſcerent ſe ipſos, ſaltem ſi perfectè cognoſcerent: Tum quia Angelus eſt quoddam ſingulare, vt patet; nullum verò ſingulare eſt intelligibile, vt docet ſæpe Philoſophus. Tum denique, quia intellectus mouetur ab intelligibili, cùm intelligere ſit quoddam pati ex 3. de anima tex. 12 Nihil verò mouetur, aut patitur à ſe ipſo, quod patet ad ſenſum, in omni mobili ſenſibili;

2. Nullus Angelus poteſt cognoſcere vllum alium Angelum. Primò quia intellectus ſe habet ad intelligibilia, ſicut ſenſus ad ſenſibilia; Atque ſenſus ſi haberet in ſe determinatè aliquam naturam, ex collectione ſenſibilium, non poſſet ſentire reliqua ſenſibilia, vt ſi pupilla eſſet colorata, aliquo colore, non poſſet videre omnem colorem, vt dicitur in 3. de anima tex. 4, Angelus verò habet in ſe de-

ter-

terminatè vnam ex collectione naturarũ intellectualium. Deinde quia, vt dicitur in lib de cauſis propoſ 8. *Omnis intelligentia ſcit quod eſt ſupra ſe, in quantum eſt cauſata ab eo, & quod eſt ſub ſe, in quantum eſt cauſa eius.* Nullus autem Angelus eſt cauſa alterius Angeli, aut cauſatur ab alio Angelo. Præterea vnus Angelus nequit cognoſcere alium Angelum, per eſſentiam cognoſcentis, aut cogniti, aut per ſpeciem eius. Non per eſſentiam cognoſcentis, quia non eſt ſimilis cognitio quoad rationem eius differentialem, vt per ſe patet, atque omnis cognitio procedit ſecundum rationem ſimilitudinis. Nec per eſſentiam Angeli cogniti, quia id quo vnuſquiſque intelligit, oportet eſſe illi intrinſecum, atque perfectiuum ipſius, vt dictum eſt ſupra quæſt. 17. artic. 8. Nec denique per ſpeciem, quia ea ſpecies foret immaterialis ſicut Angelus, cuius eſſet ſpecies, ac proinde non differret ab ipſo.

3. Deus non eſt naturaliter intelligibilis ab Angelis. Primo quia *Deus eſt ſuper omnes cæleſtes mentes incomprehenſibili virtute collocatus*, vt dicit Dionyſius cap. 9. de diu. nom. ante med. ſubditque rationem ibidem, dicens: *Quia eſt ſupra omnem ſubſtantiam, ab omni cognitione eſt ſegregatus.* Deinde diſtantia Dei ab Angelo, eſt infinita. Quæ autem diſtant infinitè, non poſſunt inuicem attingi. Demum duo tã-

tum ſunt modi cognoſcendi Deum, nempe facie, ad faciem, & per ſpeculum in ænigmate, vt apparet ex 1. Corinth. 13. Angelus autem nequit cognoſcere Deum naturaliter facie, ad faciem. Quod videlicet nulli ſubſtantiæ creatæ, aut creabili connaturale eſſe poteſt, vt dictum eſt quæſt. 10. de Deo. Sed neque per ſpeculum in ænigmate poteſt cognoſci Deus ab Angelo. Quia ſpecularis cognitio Dei omnino repugnat intellectui Angelico, vtpote incapaci accipere cognitionem Dei à rebus ſenſibilibus, vt habetur ex Dionyſ. c. 7. non longè ante medium, ſolę verò res ſenſibiles dicuntur ab Apoſtolo ſpeculum ænigmaticum diuinitatis.

4. Nihil materiale, nihilque ſingulare poteſt cognoſci ab Angelo. Materiale quidem; tum quia intellectum eſt perfectio intelligentis; nihil verò materiale poteſt eſſe perfectio Angeli, qui eſt ſpiritualis: tùm quia res materiales non ſunt intelligibiles actu, ſed ſenſibiles tantùm atque imaginabiles; atque Angelo nec ſenſus conuenit, nec imaginatio, ſed ſolus intellectus. Singulare verò nullum ab Angelo cognoſci poteſt. Quia ſenſus eſt ſingularium, & intellectus vniuerſalium, vt dicitur 1 poſt. tex. 43. atque in Angelo non datur ſenſus, ſed ſolum intellectus.

5. Angelus nequit cognoſcere futura. Ergò neque præſentia, aut præterita.

Er-

Ergò nihil. Patet prima conſequentia. Quia Angelus in primo ſuæ creationis inſtanti accepit à Deo ſpecies omnium cognoſcilium ab ipſo, ſiue futurorum, ſiue præſentium, & præteritorum. Quapropter ſi aliqua ex illis cognoſcere nihilominus non poteſt, neque reliqua cognoſcere poteſt. Probatur antecedens. Quia cognitio futurorum eſt legitimum diuinitatis argumentum, vt patet Iſa. 41. 23. *Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus. quod* D*ij eſtis vos* Idemque dicitur cap. 46.

6. Angelus nequit cognoſcere ſuas cogitationes, ſuoſque actus liberos, quibus tamen nihil eſt cognoſcibilius ab vnoquoque. Probatur aſſumptum, quia nullus Angelus poteſt cognoſcere actus intellectus, & voluntatis alienę, qui dicuntur ſecreta cordis, vt patet ex illo Ierem. 17. 10. *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor & probans renes* Cogitationes autem, & electiones liberæ propriæ cuiuſque Angeli ſunt eiuſdem rationis cũ cogitationibus, & electionibus alienis, eiſdemque partim æquales, partim ſuperiores. Et qui eſt inſufficiens ad vnum ex duobus æqualibus, eiuſdemque rationis, nequit ſufficere ad alterum. Quia omnium inter ſe æqualium eſt eadem quoad omnia menſura.

7. Nihil ſupernaturale innoteſcit An-

ge-

gelis n turaliter. Quia quoduis naturaliter cognoſcit, non quærit, nec diſcit ab alio. Angeli autem quærunt notitiam myſteriorum gratię à Deo, eaque diſcũt ab eodem, vt habetur ex Dionyſio cap.7. cæl. Hierar. poſt medium. Ex his igitur omnibus apparet Angelos non cognoſcere naturaliter omnia intelligibilia, immò nihil prorſus intelligere ipſos naturaliter.

Art. 1. Reſpondetur. Certum primo eſt Angelcs naturaliter cognoſcere omnia omninò cognoſcibilia cuiuſcunque rationis, & conditionis ſaltem confusè ſub ratione entis. Quæ videlicet ſecundum totam ſuam latitudinem eſt obiectum cuiuſuis intellectus. Certum rurſus eſt, Angelos, licet non comprehenſiuè, intuitiuè tamen, & diſtinctè, vt ſunt in ſe, cognoſcere poſſe quælibet obiecta naturalia ſibi coexiſtentia, infra Deum conſtituta, nec ſubiacentia ſpecialiter iuri peculiari alicuius dominij, quod læderetur per alienam rei poſſeſſæ cognitionem. Quia omnia eiuſmodi obiecta eo ipſo, quod coexiſtant, habent iam in ſe actualiter cognoſcibilitatem intrinſecam. Et præterea habent proportionem cum intellectu Angelico haud quaquam minorem, quàm obiecta ſenſibilia cum ſenſibus noſtris. Certum tertio eſt, vnumquemque Angelum poſſe cognoſcere comprehenſiuè ſe ipſum, & alios Angelos ſibi æquales, nec non reliqua obiecta naturalia illis.

illis inferiora. Quia nihil horum ſua perfectione, & cognoſcibilitate ſuperat perfectione, & vim cognoſcitiuam cuiuſque Angeli. Cuius ſcilicet virtus actiuè cognoſcitiua creſcit neceſſariò arithmeticè iuxta augmentum omnis perfectionis eidem abſolutè vndecumque conuenientis Qua de re, & comparatione videri plura poſſunt quæſt. 13. de Deo, nec non quæſt. 15. ad 5. Certum hinc vlterius cōſequenter eſt, differentias vltimas indiuiduales eorundem obiectorum, tàm materialium, quam ſpiritualium cognoſci poſſe ab Angelis diſtinctè, & clarè. Quia hoc ad comprehenſionem neceſſariò conſequitur. Quod licet aliqui in dubiū reuocauerint, non vacat tamen in eis refellendis tempus terere, quando res eſt ex ſe ſatis clara, redderturque clarior ex reſponſione ad 4.

Art. 2. Certum ſimiliter eſt ex fide. Primò Angelos non poſſe naturaliter cognoſcere Deum intuitiuè, nedum comprehenſiuè, vt liquet ex præindicata quæſt. 10. de Deo. Poſſunt nihilominus Angeli cognoſcere naturaliter Deum cognitione abſtractiua, inadæquata, & imperfecta: tum in ſe ipſis, tum in rebus alijs creatis naturaliter cognoſcibilibus ab eiſdem, quę videlicet omnia ſunt eſſentialiter connexa cum Deo, non vtcumque ſed tanquam cum cauſa determinatè neceſſaria ad exiſtentiam eorum, & tanquā ima-

imagines Dei ab eo productæ, vt ipſum repræſentent, atque inducant intellectus omnes creatos in eius cognitionem, plus minus, iuxta cuiuſque cognoſcibilis perfectionem & cognoſcentis capacitatem. Qua de re videri plura poſſunt quæſt. 2. de Deo.

Art. 3. Certum itidem eſt ex fide, non poſſe cognoſci naturaliter ab Angelis, cognitione certa, ac infallibili, futura contingentia, ſiue diſtincta, ſiue indiſtincta ab actibus immediatè liberis, dummodò talia ſint, quorum nulla neceſſitas determinata detur iam à parte rei in cauſis ſecundis naturalibus. Quia iſtarum rerum antecedentem cognitionem pertinere ad ſolum Deum ſemel atque iterum teſtantur ſacræ litteræ, teſtantur verò clariſſimè in duobus illis Iſaię locis indicatis in 5. ratione dubitandi. Ratio eſt, quia eiuſmodi obiecta, nec in ſe, nec in ſuis cauſis ſecundis, quæ ſolæ, non verò decretum Dei de illis, naturaliter innoteſcunt Angelis immediatè, vllam habēt de præſenti cognoſcibilitatem determinatam. Quę nimirum eſt indiſtincta ab eorum exiſtentia, atque hæc pendet adhuc in vtramque partem abſque vlla in ſe, aut in illis ſuis cauſis determinatione ad alteram partem. A nemine autem cognoſci poteſt, quod nondum eſt cognoſcibile ab eodem, ſeu cuius nulla eſt actualiter cognoſcibilitas, reſpectu alicuius.

ius intellectus. De cuius rationis efficacia videri plura poſſunt quæſt. 17. de Deo, vbi oſtenſum eſt, ne quidem Deum cognoſcere poſſe eiuſmodi futura independenter à præſentia phyſica eorum reſpectu ipſius. Quidni idem dicatur à fortiori de omni intellectu creato? Eadem porrò ratione dicendum eſt aduerſus Vazquez, cum communi ſententia; neque etiam effectus contingentes præteritos poſſe cognoſci ab Angelis, niſi perſeueret ſpecies aliqua memoratiua, aut aliquis alius effectus intrinſecè connexus cũ præexiſtentia eorum. Cætera verò obiecta, quorum futuritionem, aut præteritionem continet in ſe præſens neceſſitas determinata cauſarum, aut effectuum naturalium, certò in illis cognoſcit Angelus vt pote earum, & cauſarum, & effectuũ comprehenſor. Qua eadem ratione prænoſcit coniecturaliter plures actus liberos, & effectus ab illis procedentes ex indole, varia corporis immutatione reſultante pro varietate affectuum, iuxta dicta quæſt. 3. De paſſ. ex aſtrorum aſpectu, aliiſque inſignis, in quorum obſeruatione præeminet ſubtilitas Angelorum ac dæmonum mirabiliter.

Art. 4. Certum denique eſt, Angelos non poſſe naturaliter cognoſcere cognitione certa, ac euidenti ſecreta cordis alieni; hoc eſt, actus liberos alienos, ſiue Angelicos, ſiue humanos, abſque con-

ſen-

ſenſu, & communicatione, ſeu publicatione elicientis illos. Hæc veritas docetur frequenter, & vſque adeò clarè in ſacris litteris, conſpirante eodem communi Sanctorum PP. & Theologorum, aliorumque expoſitorum ſententia, ac interpretatione, vt eam putent certam ex fide Suarez lib. 2. cap. 21. & Vazquez diſp. 209. cap 1. alijque non pauci, renitente operosè Martinon. diſp. 39. ſect. 5. in cuius fine abutitur pro ſua opinione, niſi omnino fallor, nonnullis PP. teſtimonijs, in quibus tamen exponendis, quod non eſſet difficile, immorari non libet, quia nec intereſt, quando aſſertio noſtra ſaltem ſine temeritate negari minimè poteſt ex eius etiã authoris ſenſu. Loca Scripturę pręcipua ſunt quę ſequũtur 3. Reg. 8. 39. *Tu ſolus noſti cor omnium filiorum hominum* 2. Paral. 6 30. *Tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum.* 1. Reg. 6, 7. *Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor.* Eſt etiam efficax & clarum, eamdem in rem teſtimonium Ieremiæ indicatum in ſexta ratione dubitandi. Vnde autem proueniat impoſſibilitas Angelorum ad cognoſcenda ea obiecta, an ex intrinſeca eorum natura, an ex prouidentia Dei extrinſeca, res eſt, permultis Theologorum meditationibus, huc, atque illuc variè diſtracta, vti videre licet apud auctores modò memoratos. Theoph. Raina. diſt. 4. Theol. natur. quæſt. 1. art. 4. cum Scoto,
&

& alijs tuetur eã impoſſibilitatem eſſe tãtum moralem prouenientem, non ex ipſa natura rerum phyſica, ſed ex prouidẽtia Dei conſulentis bono Reipublicæ rationalis, proptereaque negantis, vel ſpeciem impreſſam, vel concurſum ſuum immediatum pro elicienda cognitione immediata, ac certa eorum obiectorum, cum alioquin ſint ex ſe cognoſcibilia naturaliter à quolibet non ſecus, ac alia obiecta vnicuique intellectui, vel maximè proportionata.

Art. 5. Dicendum tamen eſt cum cõmuniori D. Thomæ quæſt. 57. art. 4. aliorumque ibidem ſententia, cui ſubſcribũt Suarez, & Vaſquez locis nuper indicatis eam impoſſibilitatem fundari in ipſa natura rerum; ita vt ſecreta cordis à nullo intellectu creato cognoſci certo poſſint naturaliter, ſed ſolum ſupernaturaliter per diuinam reuelationem, ac illuſtrationem intrinſecè ſupernaturalem. Suadetur id primo efficaciter. Quia in locis indicatis Scripturę, alijſque non paucis ad commendandam ſpecialiter ſcientiam Dei, extollendamque eius perfectionem præ omni alia ſcientia, tribuitur ipſi ſoli notitia arcanorum cordis, diſcretio cogitationum, & intentionum, atque reſpectu cæterorum omnium dicitur in eũdem ſcopum, inſcrutabile cor hominis, ſeu profundum; nullum alium ſcire vias eius &c. Hæc autem teſtimonia, & lau-

des

des comparatur ſcientiæ Dei, implicitè vel explicite cum omni ſcientia creata, atque vt plurimum explicitè cum ſola humana, eneruantur valde, eoque omni vigore fraudantur, quem pręſeferunt, idque abſque magno, aut ſatis probabili in contrarium fundamento, quidquid tergiuerſetur Martinon, ſi ſolum extrinſeca, & accidentalis, ſeu moralis tantum eſt impotentia Angelorum ad penetrandos intimos voluntatis alienæ receſſus. Quod quiuis facilè deprehendet adhibita ſincera, & attenta eorum locorum conſideratione. Deinde contrarię etiam Auctores ſententiæ, ſpontè agnoſcunt oportuiſſe ad bonum regimen, & rectam conſtitutionem Reipublicę rationalis, vt Deus ſibi ſoli reſeruaret cognitionem certam deliberationum, ac electionum creatarum purè internarum. Deus autem tales condidit naturas rerum, quales oportebat eas eſſe pro bono regimine, & recta conſtitutione Reipublicæ rationalis vt liquet ex vniuerſali aliarum omnium, & quarumlibet rerum inſpectione, Et ex eo præterea, quia non ea eſt ſapientia, ac prouidentia diuina, quæ rebus non benè, ſed defectuosè conſtitutis vniuerſaliter ex ſua natura, remedium prępoſterè adhibeat violentum, negando, perpetua lege cauſis ſecundis, iiſque præſtantiſſimis, & propemodum infinitis, ſuam cooperationem, aut aliquod aliud requiſitum ad

effectus ſibi alioquin proportionatos, & in virtute actiua naturali illarum contentos. Quam in rem videri plura poſſunt quæſt. 28. de Deo. Prçterea, iuxta oppoſitam ſententiam, Angeli ex ſua natura eſſent incapaces committendi mutuo ſecretum aliquod deuinciendique ſe mutuò communicatione internarum cogitationum, & affectionum; & tam ipſi, quã homines apud ipſos redderentur ſubito infames ante ſententiam iudicis infamia publica, & ineuitabili, ex quouis ſuo defectu morali iuxta eius qualitatem, totãque vim infamatoriam. Neque lex, quę apud nos viget, inferioris conditionis ſubſtantias, de ſeruando ſecreto, & non diſcerpenda alterius fama, vllum apud Angelos locum habere poſſet. Quæ profecto omnia, & plura alia his ſimilia redderent miſeram naturaliter conditionem Angelorum etiam præ noſtra, arguerentque peſſimam reipublicæ eorum conſtitutionem puré naturalem. Poſtremo per cognitiones poſſidentur aliquatenus earum obiecta maximè vero ſpiritualia, vt apparet ex quæſt 3. de actibus humanis circa poſeſſionem Dei per viſionem ipſius. Et quis autem non videat, actus cuiuſque liberos ita eſſe ex natura ipſa rei de iure proprio, & peculiari eius, vt nemo alius poſſit, abſque eiuſdem conſenſu illorum poſſeſſionem, ac dominium intentare in vſum aliquem, & quod foret

de;

deterius, neceſſariò obtinere? Quod tamen eueniret in Angelis ex natura rei ſi illi actus non eſſent ipſis impenetrabiles ex natura rei, nec cognoſcibiles certo independenter à voluntate, & libero conſenſu elicientis Solaitaque cognitione coniecturali, & abſolutè incerta, aut cōfuſa, ac diſiunctiua cognoſci poſſunt actus liberi ſiue abſentes, ſiue præſentes ab alijs ſiue Angelis, ſiue hominibus diſtinctis ab eliciente, dum non accedit conſenſus eius eatenus liber, aut quod illi æquiualet; effectus aliquis exterior ex ſua natura manifeſtatiuus interni actus liberi. Quod autem dicitur de actu interno libero, eſt itidem cōmune cognitioni eius reflexę, habitui, & ſpeciei memoratiuę alijſque quibuſuis actibus, & qualitatibus pure internis, intrinſecè connexis cum actu libero. Nempe quolibet horum manifeſtato, innoteſceret eo ipſo actus liber cum quo connectuntur intrinſecè.

Art. 6. Inquires, quid conferat conſenſus elicientis actus liberos, qui vult, vt hi ab alio, vel alijs pluribus Angelis cognoſcantur. Quid, inquam, conferat, vt tales actus reddantur proximè cognoſcibiles ab alio, vel alijs reſpectiuè? Dico, eum conſenſum conferre ad hunc effectū, quod confert lux coloribus, cognitio bonitati obiectorum, applicatio agentibus, vt ſint proximè viſibiles, amabilia, potentia agere. Confert demum is conſenſus in eum

eum, ſcopus, vt vtar exemplo maximè congruenti poſtremo noſtro fundamento, quod confert donatio, vel venditio, vt reddatur proximè poſſibilis volūtas honeſta poſſidendi de nouo ab aliquo, quod immediatè prius fuerat apud alium iuſtum poſſeſſorem. Eodē nimirū modo redditur per conſenſum reuelandi proximè poſſibilis noua poſſeſſio actuū liberorum ſuſcipiēda per cognitionē alterius. In huiuſmodi na nq; poſſeſſione idē eſteſſe poſſibilem abſolutè, atq; eſſe poſſibilem honeſtatem eiuſdē. Poteſt enim neceſſario reſultare in intellectualieno ea cognitio, & poſſeſſio, & nunquam eſultat cum libertate directa reſpectu ipſius, cum ſi cognitio euidens, de cuius conceptu eſt, ne ſit immediatè, ac directè libera. Quæ cauſa eſt, ob quā non potuerit occurri incommodis propoſitis in articulo præcedenti ſola lege moraliter obligante ad non rimandum ſecreta aliena, adeoque oportuerit eam cognitionem vetare Angelis lege à naturis rerum indiſtincta inducente phyſicā impoſſibilitatem. Is vero Angelus, cui ab altero reuelatum eſſet ſecretum aliquod, eo pacto, vt talem notitiam non transfunderet in alios, morali ſolum obligatione ad id teneretur; vt pote factus verus poſſeſſor eius boni à legitimo domino, non tamen ad omnes vſus, ſed cum limitatione. De iſto modo mutuè inter Angelos reuelationis ſecretorum redibit iterum ſermo q.21,

Art.

Art. 7. Supereſt explicanda cognitio rerum ſupernaturalium. Supernaturalia ſunt in duplici differentia. Alia namque ſunt ſupernaturalia quoad ſubſtantiam, ideſt intrinſecè, ac eſſentialiter talia; alia verò ſunt ſupernaturalia quoad modum, ideſt extrinſecè, & accidentaliter talia, iuxta expoſitionem traditam quæſtion. 6. de gratia, verſus finem.

Dicendum primò eſt cum Diuo Thoma quæſt. 57, art. 5. alijſque communiter ibidem aduerſus Scotum, & nonnullos alios, dona, quoad ſubſtantiam ſupernaturalia, non poſſe ab Angelo ſupernaturaliter cognoſci diſtinctè, & certo neque quoad exiſtentiam, neque quoad poſſibilitatem. Inquam diſtinctè. Quia confusè, & ſecundum prædicata communia rebus naturalibus, certum eſt, illa eſſe naturaliter cognoſcibilia à quolibet intellectu. Inquam rurſus certò. Quia cum de re falſa, nec euidentia dari poſſit, nec certitudo fidei; apparet clarè naturali circa poſſibilitatem, aut exiſtentiam ſupernaturalium, ſeu dubitationi ſeu ſuſpicioni, aut quaſi ſuſpicioni nihil obſtare poſſe. Dum antem dico naturaliter impoſſibilem eam cognitionem, non intendo, ſuppoſita exiſtentia donorum ſupernaturalium, eſſe rurſus ſupernaturalem, & indebitam, etiam ex illa ſuppoſitione, certam, ac diſtinctam cognitionem eorum. Quin potius eſt maximè naturalis, &

& debita ex natura rei. Quia dona ſupernaturalia, vel ſunt cognitiones, ac illuſtrationes diuinæ, vel ſunt intrinſecè ordinata ad cognitionem, & illuſtrationem eorum, quorum gratia exiſtunt. Cuius videlicet cognitionis, ac illuſtrationis interuentu, vel vnicè, vel certè præcipuè, magna ſaltem ex parte exiſtunt vtilia, ac ſalutaria. Quod difficile non eſt de ſingulis eiuſmodi donis ſeorſim, inſpecta eorum natura, obſeruare ac oſtendere. Solum itaque contendo, non poſſe cognoſci ſola virtute naturali, nulloque cooperante comprincipio ſupernaturali, quod ſimul cum intellectu Angelico influat in cognitionem.

Art. 8. Probatur concluſio de cognitione quoad exiſtentiam. Virtuti cognoſcitiuæ ſufficienti ex ſe, abſq; cõprincipio ſupernaturali ad cognoſcenda diſtinctè, ac certo aliqua obiecta, vt exiſtenta, debetur ex natura rei exiſtentia talium obiectorum, vel formaliter, vel ſaltem æquiualenter, virtuti autem cognoſcitiuæ Angelicæ, nec formaliter, nec æquiualenter debetur exiſtentia donorum ſupernaturalium quoad ſubſtantiam. Ergo virtus cognoſcitiua Angeli non eſt ſufficiens ex ſe, abſque comprincipio ſuperſupernaturali, ad cognoſcendam diſtinctè, & certò exiſtentiam eiuſmodi donorum. Minor eſt certa ex definitione entis ſupernaturalis, & ex doctrina Conciliorum,

ac PP, aduerſus Pelagium, vt apparet ex præindicatis qq. 6, 7. de gratia. Probatur maior primum inductione ſenſuum quibus exiſtentibus foret miraculoſum, ſi nihilominus non exiſterent obiecta per ſingulos eorum ſenſibilia; necnon intellectus Angelici, atque humani, quibus ſimiliter debetur exiſtentia aliquorum intelligbilium, nempe eorum, quæ ſunt commenſurata virtuti intelligendi, quæ & quanta vnicuiq; ineſt. Probatur deinde à priori. Quia cauſa ſufficiens ex ſe, abſque comprincipio ſupernaturali ad aliquos effectus, infert ex natura rei exiſtentiam illorum ſaltem æquiualenter. Ergo pariter intellectus ſufficiens ex ſe, abſque comprincipio ſupernaturali ad eliciendas cognitiones diſtinctas, & certas aliquorum obiectorum, infert etiam ipſe ex natura rei exiſtentiam illarum, tanquam ſibi debitam determinatè. Eiuſmodi porrò cognitiones eſſe intrinſecè connexas cum exiſtentia ſuorum obiectorum, ac proinde hanc illis deberi ex natura rei, eſt ſatis ex ſe manifeſtum, nec indiget probatione. Confirmatur, quia omne ens ſupernaturale impedit exiſtentia ſua exiſtentiam alicuius entis naturalis ſibi affinis, eſtque cum illo incompoſſibile ex ſua natura, vt apparet ex doctrina tradita quæſt. 21. & 22. de Sacramentis. Cum ergo ſubſtantia Angelica ſit ex ſe determinata actu, vel potentia, redu-

ci-

cibili in actum pro libito, ad cognitiones obiectorum connaturaliter ſibi coexiſtentium, vel ſaltem ad non neganda illa obiecta, conſequens eſt, vt ſit etiam determinata ex ſe ad non eliciendas cognitiones exiſtentiæ donorum ſupernaturalium, Eò namque ipſo deberet connaturaliter negare exiſtentiam aliquorum obiectorum naturalium, vtpotè incompoſſibilium cum ijs donis ſupernaturaliũ, quorum exiſtentiam affirmaret per tales cognitiones.

Art. 9. Probatur eadem cõcluſio quoad alteram partem de cognitione poſſibilitatis. Quia poſſibilitas rerum non exiſtentium in ſe intrinſecè, ideoq; comparentium intellectui ratione ſui, non aliter cognoſcibilis eſt, quam per ſpecies rerum exiſtentium, quæ cognoſcuntur immediatè ratione ſui. Per ſpecies autẽ rerum exiſtentium, quæ quatenus exiſtẽtes cognoſcuntur naturaliter ab Angelis, nõ poſſunt ipſis innoteſcere res ſupernaturales, quatenus poſſibiles. Quia res exiſtentes, naturaliter cognoſcibiles ab Angelis, ſunt purè naturales, vt oſtensũ modò eſt. Ex rebus verò naturalibus, ſi quæ poſſent iuuare, ac ſufficere ad cognitionem poſſibilitatis ſupernaturalium, maximè poſſent cauſæ eleuabiles ad producendos effectus ſupernaturales. Hæ autem cauſæ ad id iuuare, ac ſufficere minime poſſunt. Quia licet connectantur

eſſentialiter cum poſſibilitate eorum effectuum, eoſdemque ordine tranſcendétali intrinſecè reſpiciant; nihilominus iidem effectus, quatenus ab iiſdem cauſis procedere poſſunt, atque ipſis formaliter correſpondent, eam ſolam perfectionem, eaque ſola prædicata participant, quę sũt effectibus purè naturalibus omninò communia, vti demonſtratum eſt in præindicatis quæſtionibus de Sacramentis. In cauſis igitur naturalibus ſolum poſſunt comparere effectus ſupernaturales, eorumque poſſibilitas quoad conceptus communes cum effectibus naturalibus, non verò diſtinctè quoad ſpeciales, & ſpecificos ſuos conceptus.

Art. 10. Licet autem cauſæ naturales cognoſcantur ab Angelis comprehéſiuè; non tamen opus eſt ad comprehenſionem cauſę, vt cognoſcantur in ipſa diſtinctè omnes, & ſinguli effectus, ad quos tranſcendentaliter vtcumque refertur, quoad omnia ſpecialia eorum prędicata, ſed ſolum quoad illa, relatè ad quę tota eiuſdem cauſæ perfectio apparet adæquatè: Eiuſmodi autem prędicata effectuum ſupernaturalium, quatenus producibilium per cauſam entitatiuè naturalem, dictum eſt, conuenire vniuocè cum prædicatis effectuum connaturalium eidem cauſæ. Non igitur neceſſe eſt, aut etiam poſſibile, vt in tali cauſa cognoſcantur, ac diſcernantur prædicata ſpecialia, per quæ

diſſi-

diſſident effectus ſupernaturales. Verùm ſimiliter eſt, Angelos ex effectibus naturalibus cognoſcere Deum ſub conceptu omnipotentis, ſeu potentis omnia poſſibilia. Sed quia in eum conceptum aſſurgunt naturaliter per ſolas ſpecies rerum naturalium; cum ventum eſt ad partitionem poſſibilium, & ad conditiones ſingulorum articulorum impeditur aſſenſus certus, ac diſtinctus ſupernaturalium, per diſſimilitudinem, immò & oppoſitionem, quam nuper indicaui, rerum naturalium, quibus mens vnicè antecedenter adhærebat, quæque ſolæ ſunt obiectum formale motiuum totius cognitionis. Quæ cauſa eſt, vel non longè diſſimilis impoſſibilitatis naturalis aſſentiendi myſterio Trinitatis diuinę, cum quo res omnes creatæ connectuntur eſſentialiter, & quod fundatur in infinitate diuinæ eſſentiæ naturaliter cognoſcibili, ſed tamen habet modum eſſendi oppoſitum modo eſſendi rerum omnium creatarum, vti expoſitum eſt quæſt. 38. de Deo art. 2, & 7. & ad 1.

Art 11. Dicendum rurſus eſt, de myſterijs tantum quoad modum ſupernaturalibus, effectus naturales exiſtentes modo ſupernaturali cognoſci poſſe naturaliter, ſecundùm ſe, ipſum tamen modum, ſi ſit quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, non poſſe cognoſci ab Angelis certò ac diſtinctè ſola virtute naturali; ſecùs verò

ſi idem modus ſit intrinſecè naturalis. Probatur, quia effectibus naturalibus ſupernaturaliter exiſtentibus, ſicut conuenit eadem entitas, atque naturaliter exiſtentibus, ita & cognoſcibilitas conuenit eadem. Quæ videlicet eſt indiſtincta ab entitate. Quæ ratio æquè probat, vt patet de modo etiam intrinſecè, & quoad ſubſtantiam naturali. Impotentia autem cognoſcendi modum, qui eſt intrinſecè, & quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, vt vnio hypoſtatica, iiſdem rationibus comprobatur, quibus probata eſt cõcluſio præcedens quoad vtramque partem. Quinam porro modi ſint intrinſecè ſupernaturales, quinam verò ſolum extrinſecè, non eſt controuerſia huius loci, in quo agitur reflexè de cognitione Angelorum, non directè de natura obiectorum illius.

Art. 12. Obſeruatum nihilominus volo, ſi modus creatus interueniens in aliquo miraculo, vt in reſurrectione mortui, ſit intrinſecè naturalis ita ipſum videri immediatè ab Angelo, vt ſimul cognoſcat abſtractiuè actum diuinæ voluntatis, à quo idem modus eſſentialiter, & determinatè dependet. Licet enim hic actus ſit liber, & indebitus naturæ; manifeſtatur tamen à Deo ſufficienter, & per effectum exteriorem intrinſecè naturalẽ, ac proinde eſt cognoſcibilis ſola virtute naturali intellectus ex vi talis effectus, tãquam

quam per ſignum, & locutionem exteriorem Dei, qua vult manifeſtare ſuam voluntatem. Neque verò exiſtimandum propterea eſt, deberi naturæ abſolutè, nullaque facta ſuppoſitione, exiſtentiam, aut cognitionem certam vllius diuinę voluntatis, quatenus miraculosè operantis determinatè ſumptæ. Non enim formaliter determinatè, ac præcisè, ſed vel formaliter, vel æquiualenter, vti prænotatum eſt paulò prius, debetur naturæ exiſtentia, & cognitio eorum omnium, quæ ſola virtute naturali, abſque comprincipio ſupernaturali cognoſcere poteſt. Certum nimirum eſt apud omnes, nunquam extitura, aut cognoſcenda eſſe formaliter, ab vllo intellectu creato, omnia tam quoad ſubſtantiam, quam etiam quoad modum naturalia, tametſi vnumquodlibet eorum ſeorſim ſit cognoſcibile ſola virtute naturali.

Art. 13. Quapropter D. Thomas probans vbi ſupra myſteria gratiæ non poſſe cognoſci ab Angelo ſola ſua virtute naturali, *quia ex pura Dei voluntate dependent*, accipiendus proculdubio eſt de dependētie ex intrinſeca natura rei dependentis per ſe & abſolutè, & non tantùm per accidens ob præſentes circumſtantias à pura voluntate Dei; id eſt quin ſimul dependeat à cauſalitate, vel ſaltem ab exigentia innata cauſarum naturalium, vti Angeli à ſe inuicem, & omnes aliæ res

naturales dependet. Qua adiuncta expoſitione ſubintellecta certiſſimè à Diuo Thoma, eis probatio incidit re ipſa in noſtram ſuperiorem probationem, vt patet conſideranti, eſtque efficax, & clara, tametſi Suarez lib.2. cap 29. alijſque nonnullis viſa eſt, aut inefficax, aut inexplicabilis. Indidem deducitur, carentiã cuiuslibet rei naturalis, tametſi ſupernaturaliter ponatur à parte rei, eſſe cognoſcibilem ab Angelo diſtinctè, & clarè ſola virtute naturali. Quia carentia, ſeu non poſſe cuiuslibet rei creatæ, quantũ eſt ex intrinſeca eius natura, poteſt poni abſolutè à parte rei abſque vllo miraculo, & ſupernaturalitate, ideoque non dependet intrinſecè, & per ſe à voluntate Dei operante, aut ceſſante ab opere ſupernaturaliter, & miraculosè, ſicut etiam dictum eſt de effectu, & modo ſupernaturali extrinſecè tantùm, & per accidens, deque manifeſtatione diuinæ erga ſe voluntatis. Ex his itaque omnibus liquet ſatis Angelum omnia naturaliter intelligere, & quatenus ſingula intelligere poſſit.

Ad 1, D. Thomas quæſt. 56. art. 1. ad 1. dicit locum illum eſſe vitiatum in antiqua translatione, atque in noua verbo *ignorant*, ſubſtitui *cognoſcunt*. Quod ſi placeat tenere veterem lectionem, dici poteſt, ignorari ab Angelo ſuam virtute, non ſecundùm ſe, ſed prout procedit ab

or-

ordine diuinæ ſapientiæ, quem non cõprehendit, & magis ignorat, quàm cognoſcit. Iam philoſophus, dùm negat ſingularium intellectum, non loquitur de ſingularitate vniuerſaliter, ſed prout cõtracta ad materiam ſignatam, quæ eſt obiectum ſenſus, & non cadit in intellectum, niſi per accidens. Angelus verò eſt ſingulare expers materiæ ideoque intelligibile per ſe. Demùm omnia creata mouentur, ſeu quaſi mouentur ex ſe, exque appetitu innato ad propriam perfectionem. Eſt autem magna Angeli perfectio cognitio, quam habet de ſe, ideoque ad illam mouetur, ſeu quaſi mouetur ex ſe. Neque in hoc ſenſu eſt verum, quod nihil mouetur, aut patitur à ſe ipſo, ſed præcisè quatenus mouetur propriè ad aliquid, vel violentum ſibi, vel quod ſibi inſit per accidens; & contingenter. Nihil igitur vetat, quo minus Angelus cognoſcat ſe ipſum.

Ad 2. Cognitionem vnius Angeli per Alium non poteſt impedire, neque ſimilitudo, neque diſſimilitudo mutua inter vtrumque. Quia neutra eſt coniuncta cum oppoſitione, aut cum incompoſſibilitate alterius cum altero; ſed altera conſtituitur per participationem eiuſdẽ generis penes magis, & minùs; altera exiſtit cum totali mutua affinitate, & conuenientia ſubſtantiali. In qualitatibus materialibus non ita contingit, quia

differunt inter ſe per mutuam oppoſitionem, vt album, & nigrum, aut per acceſſum, & receſſum, maiorem, vel minorem reſpectu oppoſitorum, vt viride, & cæruleum; ideoque vna differentia inexiſtente ſenſui, impediretur is à perceptione aliarum differentiarum. Vnde, quod intellectus ita ſe habet ad intelligibilia, ſicut ſenſus ad ſenſibilia, verificatur quidem quoad proportionem vtriuſque potentiæ cum vtroque genere obiectorum, non verò quoad conditionem, & naturam obiectorum vtriuſque generis relatè ad vim impediendi perceptionem vnius per præinexiſtétiam alterius. Quod autem dicitur in libro de cauſis de ratione cauſæ, & cauſato conferente ad cognitionem, refertur ad ſimilitudinem, quæ requiritur ad cognitionem. Vnde quia in Angelis datur ſimilitudo mutua quoad participationem perfectionis vnius generis, abſque proceſſione alterius ab altero, datur etiam abſque eadem tanta cognoſcibilitas mutua alterius in altero, & per alterum, quanta datur in rebus materialibus ratione proceſſionis qua vnum ab alio procedit. Demùm de medio, ſeu ratione vt quo, cognoſcendi, conſtat, ex quæſt. 12. Angelum ab Angelo cognoſci per ſpeciem impreſſam cogniti, inditam cognoſcenti à Deo. Differt autem ſpecies impreſſa Angeli ab ipſo Angelo, non per eſſe materiale, &

ſpi-

ſpirituale, ſed per eſſe intentionale, & & naturale, quatenus Angelus in ſua ſubſtancia habet eſſe naturale, in ſpecie verò intentionale, prout requiritur ad cognitionem.

Ad 3. Conceditur ſponte, quod ſolũ probatur in obiectione, Deum à nullo intellectu creato, cognoſci poſſe perfectè, & comprehenſiuè; Negatur verò non poſſe cognoſci imperfectè, & inadæquatè. Et quidem Dionyſius in prioribus verbis, iuxta quę accipienda ſunt poſteriora eiuſdem verba, clarè loquitur de incõprehenſibilitate. Iam cognitio creata Dei diſtat à cognoſcibilitate Dei infinite, ſicut diſtat infinite perfectio quæuis entitatiua creata, ab entitatiua perfectione Dei. Vnde ſicut hæc poſterior diſtantia non impedit quominus perfectio omnis creata, ſit participatio diuinæ; ita prior diſtantia non impedit, quominùs cognitio creata ſit repræſentatio Dei licet defectuoſa. Demùm cognitio naturalis Angeli de Deo, eſto non ſit ænigmatica cum tanta obſcuritate, quanta eſt obſcuritas cognitionis noſtræ de eodem, vt potè dependentis à ſenſu, & ſenſibilibus, eſt tamen ſpecularis, & ænigmatica abſolutè, quia habetur mediãtibus obiectis creatis, & per ſpecies, ac proinde ad inſtar ipſorum.

Ad 4. Non eſt de ratione intellecti, vt per ſuam entitatem ſit perfectio intelli-

gentis, ſed per ſuum eſſe intentionale, ſeu per ſpeciem, & impreſſam, & expreſſam; atque per vtramque poſsunt res materiales perficere ſubſtantiam ſpiritualem. Quod verò attinet ad intelligibilitatem repugnantem rei materiali, dicitur non repugnare intellectioni per accidens, ſed tantum intellectioni per ſe, idque quatenus materia ſubeſt accidentibus indiuiduantibus, quæ ſunt obiectum immediatum ſenſus, & mediatum, ac per accidens reſpectu intellectus. Deinde dictum Philoſophi, quod ſenſus eſt ſingularium, intellectus vniuerſalium, accipitur ex mente ipſius de intellectu noſtro, qui intelligit ſingularia abſtrahendo ab accidentibus ſingularizantibus, quæ ſunt obiectum immediatum ſenſus, vt dictum eſt iterum. & ex quibus tranſmittuntur in intellectum ſpecies, quæ inſeruiunt intellectioni per abſtractionem à priori concretione indiuiduali materiæ, de quo fuſius in qq. de Anima. Angelus verò accipit à Deo ſpecies immediatè repræſentantes ſubſtantiam quamlibet ſingularem quoad ſuam quidditatem, quę eſt obiectum proprium intellectus.

Ad 5. Conceditur, Angelum non poſſe cognoſcere certò, ac determinatè futura contingentia, nec non præterita, quorum nullus extat effectus, aut ſignum præſens. Sed negatur non poſse ab eodé cognoſci, quæ ſunt eidem præſentia phy-

phyſice, ſi nihil obſtet aliud. Quia licet acceperit ab initio ſpecies omnium indiſcriminatim obiectorum, adeſt nihilominus hæc ratio diſcriminis inter obiecta præſentia, & non præſentia. Quod nimirùm, quæ præſentia ſunt, habent in ſe actualiter cognoſcibilitatē ſibi intrinſecam, vt potè indiſtinctam realiter ab ipſis; eam verò non habent, quæ non ſunt præſentia, ſed fuerunt tantùm, aut erunt. Confert autem cognoſcibilitas actualis obiecti coexiſtens intellectui, vt cognoſcatur, ad eum modum, quo confert approximatio paſſi reſpectu agentis, vt hoc agat. Vnde ſicut agens phyſicum tametſi præditum tota virtute actiua, nequit agere in paſſum non applicatum, ita intellectus, tametſi præditus ſit ſpecie obiecti, nequit ipſum actualiter cognoſcere, niſi actualiter illi coexiſtat, vel per ſe ipſum, vel per aliquid connexum cum eodem.

Ad 6. Poteſt quidem quilibet Angelus reſpectu ſuorum actuum tantundem; atque poteſt quilibet alius, præſertim æqualis, aut inferior reſpectu ſuorum, non tamen reſpectu alienorum, vt patet in gaudio, & dolore de actibus bonis, & malis, pœnis, & præmijs proprijs, atque alienis. Poteſt ſimiliter vnuſquiſque ſuas vbicationes, durationes, cognitiones, & volitiones efficere, non tamen alienas. Nempè ad æqualitatem, aut ſuperiorita-

tem

tem ſufficit tantundem, aut magis poſſe proportionate; nec eſt neceſſe eadem poſſe, aut circa eadem, ſed vel hoc, vel ſimilia, aut circa omninò ſimilia poſſe. Non ergò breuiter, arguitur ex impoſſibilitate, & inſufficientia naturali intrinſeca ad penetranda arcana aliena, inſufficiētia, & impotentia ſimilis ad arcana propria. Ad rationem ſubſumptam de incluſione omnium actuum liberorum intra idem genus entis, & gradum eumdem perfectionis, tàm reſpectu mutuo, quàm ad alia obiecta cognoſcibilia indifferenter à quolibet Angelo; dicitur, non prouenire ex illis duobus capitibus impoſſibilitatem cognoſcendi arcana alienæ voluntatis, ſed ex alijs rationibus expenſis ſupra art. 5. quæ oſtendunt, actus cuiuſq; liberos ratione ſuæ indiuiduationis, quatenùs coniunctæ cum ratione generica exercitij immediati libertatis eſſe naturaliter inintelligibiles, præterquā ab indiuiduo cuius ſunt independenter à conſenſu eiuſdem, ſicut eadem ſua indiuiduatione ſunt intrinſecè determinati ad inducenda plura alia reſpectu ſubiecti proprij, qualia in nullum aliud ſubiectum inducere poſſunt, idque ex natura ipſa rei, vt eſt in confeſſo apud omnes, omnibuſque manifeſtiſſimum.

Ad 7. Non eſt opus quidquam ſuperaddere ijs, quæ dicta ſunt ab art. 7. Quod ad Dionyſium attinet, ipſe non negat

An-

Angelis naturaliter eſſe poſſibilem cognitionem confuſam, & incertam myſteriorum gratiæ, ſed ſolam claram, & diſtinctam. Qualem nimirum quærunt, & diſcunt à Deo docente clarè, & cum ſumma certitudine.

QVAESTIO XV.

Vtrum intellectus Angelicus ſit capax compoſitionis, & diuiſionis, diſcurſus, & falſitatis?

VIDETVR eſſe capax. 1. quia Angelus poteſt abſtrahere rationes communes, ac vniuerſales, & ſimiliter poteſt per alias cognitiones cognoſcere rationes magis particulares, atque indiuiduales, vt liquet ex quæſtione præcedenti. Ergò poteſt deinde per tertiam aliam cognitionem illas rationes inuicem conferre per affirmationem, vel negationem alterius de altera, quod eſt componere, aut diuidere, quæ prius aderant in intellectu cum præciſione à mutuo reſpectu, & comparatione. Patet conſequentia, quia mentalis compoſitio, & diuiſio nihil eſt aliud, quàm comparatio affirmatiua, vel negatiua eorum, quæ

prius

prius apprehenſa fuere ſimpliciter, & ſecundùm ſe ſeorſim ſine ea comparatione nec in nobis aliter aliaue de cauſa contingit compoſitio, & diuiſio mentalis.

2. Vbi eſt multitudo intellectuum; ibi eſt compoſitio, vt dicitur 3. de Anima tex. 21. In intellectu autem Angeli datur multitudo intellectuum. Quia intelligit plura per plures ſpecies, vt dictum eſt ſupra. Ergò datur compoſitio in intellectu Angeli ac per conſequens diuiſio.

3. Ex pluribus ſcripturæ locis conſtat clarè, Angelos loqui proferendo affirmationes, & negationes ſimiles humanis. Dantur igitur in Angelis compoſitiones, & diuiſiones ſimiles humanis, Patet conſequentia, quia locutiones ſunt ſigna conceptuum. Vbi autem ſigna ſunt ſimilia, oportet ſignificata etiam eſſe ſimilia.

4. Angelus cognoſcit vnum per aliud, nempe effectum per cauſam, &; cauſam per effectum, vt patet ex cognitione creaturarum in verbo, & Dei per creaturas. Diſcurſus autem nihil eſt aliud, quam cognoſcere vnum per aliud, atque tranſire à cognitione vnius obiecti ad cognitionem alterius obiecti, iuuante priori cognitione ad poſteriorem. Datur igitur diſcurſus in Angelo.

5. Quidquid poteſt intellectus minus perfectus in ordine ad perficiendum ſe, augendamque ſuam perfectionem, poteſt etiam intellectus perfectior. Intellectus au-

autem humanus, qui eſt minùs perfectus Angelico, poteſt diſcurrere, & ex præcognitis pergere ad cognitionem eorum, quæ nondùm innotuerant, atque hoc modo poteſt perficere ſe ipſum, atque augere perfectionem propriam, Ergo id ipſum præſtare à fortiori poteſt intellectus Angelicus.

6. Non cognoſcuntur comprehenſiuè ab Angelo quæcumque ab eo cognoſcuntur, ſed plura cognoſcit imperfectè, & inadæquatè, tùm per ſe, vt Deum, & Angelos ſibi ſuperiores, tùm per accidés alia quælibet, propter diuerſionem attétionis ad plura alia, quæ non poſſunt omnia ſimul comprehenſiuè teneri. Intellectus autem cognoſcens aliquid inadæquatè, & imperfectè, poteſt proficere in eius cognitione attentius, cóſiderando, & plura multiplicites conferendo cum illo; ideſt diſcurrendo, & componendo. Ergò Angelus poteſt, & diſcurrere, & componere. Confirmatur ex Iſidoro lib.1.de ſummo bono cap. 12. vbi dicit, Dæmones per experientiam multa cognoſcere; Quæ videlicet independenter ab experientia cognoſcere prius non poterant. Per experientiam autem non poteſt perueniri ad notitiam alicuius antecedenter ignoti, niſi diſcurrendo. Quia ex multis memorijs fit vnum experimentum, & ex multis experimentis fit vnum vniuerſale, vt habetur in fine poſteriorum, & par.1. me-

met. pa. ſub initium. Eiuſmodi autem illatio experimenti ex memorijs, & vniuerſalis ex experimentis, eſt formaliter diſcurſus. De cuius nimirùm conceptu eſt, vt quibuſdam poſitis, aliud ſequatur, ſeu inferatur.

7. Ignorantia eſt cauſa falſæ æſtimationis circa ea, quæ ignorantur. Angeli autem ſunt capaces ignorantiæ, & plura de facto ignorant, vt dicit Dionyſ. cap. 6. Eccleſ. Hierar. Ergò Angeli ſunt capaces falſitatis, poſſuntque falli. Confirmatur, quia alioquin non eſſent capaces qui caderent a veritate ſapientiæ, & haberent rationem deprauatam, cum vtrumque hoc formaliter conſiſtat in falſitate cognitionis. Vtrumque autem affirmat de dæmonibus Dionyſ. cap. 7. de diu. nomin. ante med.

Art. 1. Reſpondetur. Neceſſitas, omniſque capacitas componendi, ac diuidendi oritur in nobis ex dependentia à phantaſia, in qua apparent termini incóplexi, abſque affirmatione, & negatione, coniungente inuicem. aut diſiungente obiecta illorum, atque iudicante de habitudine eorum mutua. Quo munere fungi non poteſt intellectus dependens ab eiuſmodi prima obiectorum repræſentatione, niſi coniungendo, aut diſiungendo conceptus obiectiuos apparentes in phantaſia, & non habentes prout ſubſunt eius actibus, neque identitatem, neque rea-

realem diſtinctionem inter ſe, atque adeò indigentes, vt clareſcant mutua inter ſe comparatione per affirmationem, & negationem, quę propterea compoſitio, & diuiſio appoſitiſſimè dicuntur per excluſionem indifferentiæ antecedentis ad identitatem, & diſtinctionem, coniunctionem, & diſiunctionem. At Angeli, quæcunque cognoſcunt immediatè, vident pro vt ſunt in ſe ipſis. Quæ autem cognoſcunt mediatè, percipiunt, vt ſunt in rebus immediatè viſis. Quapropter, cum neque res ipſæ, vt ſunt in ſe, neque quatenus aliæ in alijs continentur à parte rei, habeant indifferentiam ad mutuam coniunctionem, & ſeparationem ſuorum prædicatorum, vti notatum eſt habere in phantaſia, ſed habeant identitatem, aut diſtinctionem mutuam omnino determinatam, per ſimplicem entitatem, ſicut habent eamdem ipſam entitatem determinatè; qua de cauſa quoduis cuiuſuis rei prædicatum eſt cognoſcibile, quantũ eſt ex ſe, abſque compoſitione, & diuiſione. Vndè poſſibilitas, atque neceſſitas compoſitionis, & diuiſionis mentalis non poteſt fundari in natura cuiuſquam obiecti ſecundùm ſe præcisè conſiderati, nec in identitate, aut diſtinctione reali aliquorum prędicatorum præcisè vt ſunt in ſe à parte rei, ſed ſolùm in medio, in quo ſortiantur apparentiam diuerſam à realitate, quæ illis conuenit à parte rei,
tam

tam in ſe, quàm in ijs omnibus, in quibus virtualiter continentur, ſiuè adęquatè, ſiue inadæquatè. Nulla igitur dari poteſt in Angelo neceſſitas, aut poſſibilitas compoſitionis, & diuiſionis formalis, ſed per ſimplicem tendentiam cognoſcit identitatem, & diſtinctionem obiectorum, affirmatione, & negatione æquiualentibus noſtræ. & compoſitioni, & diuiſioni, vti facit Deus ex omnium confeſſione, ad quem ſicut proximè accedunt Angeli quoad perfectionem naturæ, ita etiam imitantur eumdem maximè quoad modum cognoſcendi ſupra modum humanum. Hæc comparatio & eius intentum habet fundamentũ in Dionyſ. cap. 4. de diu. nom. vbi dicit, Angelũ eſſe *ſpeculum purum, & clariſſimum*, quod ipſum tribuitur excellentius Deo, additque cap. 7. ante med. *virtutem intellectualem Angelorum reſplendere perſpicaci diuinorũ intellectuum ſimplicitate*, de cuius ratione eſt excluſio compoſitionis, & diuiſionis. Eãdem ſententiam docet Diuus Thomas quæſt. 58. art. 4. alijque communiter aduerſus Scotum diſt. 7. quæſt. vnica § *contra concluſionem*, nec non aduerſus Suarez lib 2 cap. 32. & 33. & nonnullos alios, qui ſolum aſſentiuntur D. Thomæ quoad obiecta naturalia euidẽter cognita, quoad cætera Scoto, cum tamen ſit vna eademque omnium ratio, vt apparet ex diſcurſu præmiſſo.

Art.

Art. 2. Excluſis totaliter ab intellectu Angelico compoſitione, & diuiſione formalibus, excludendus conſequenter eſt ab eodem diſcurſus formaliter, ac proprie talis, vti excludit D. Thomas ibidem art.3. alijque communiter aduerſus aliquos alios auctores. Nempe diſcurſus eſſentialiter includit in ſuo conceptu multiplicem compoſitionem, aut diuiſionem, quibus conferantur extrema conſequentis cum medio termino, & inter ſe. Impoſſibile igitur eſt, vt intellectus compoſitionis, & diuiſionis minime capax, ſit nihilominus capax diſcurſus. Eo vel maxime, quia compoſitio & diuiſio ex ſuo conceptu ſunt quidam diſcurſus inchoatus, & imperfectus. Quia compoſitio eſt quædam quaſi illatio, per quam intellectus inſtructus ſimplicibus apprehenſionibus terminorum, de quibus deinde iudicat componendo, atque coniungendo illos inter ſe, quodamodo infert mutuam eorumdem identitatem ex habitudine identifica, quæ obſcurè, & imperfectè prælucet in prædictis ſimplicibus apprehenſionibus, & è conuerſo proportione ſeruata accidit circa diuiſionem mentalem. Qua de cauſa Diuus Thomas dicto art.4. aſſumit in eandem rem hoc ipſum principium. his verbis: *Sicut in intellectu ratiocinante comparatur concluſio ad principium; ita in intellectu componente, & diuidente comparatur prædicatum*

ad

ad ſubiectum. Cui igitur repugnat diſcurſus illiuſmodi inchoatus, & imperfectus, per collationem mutuam duorum tantū terminorum, impellentium intellectum ad aſſenſum compoſitiuum, vel ad diſſenſum diuiſiuum, iuxta naturam apprehenſionum, quibus ſubſtant; neceſſe maiori etiam ratione eſt, vt repugnet diſcurſus perfectus per collationem mutuam triūm terminorum priùs in præmiſſis, & deindè in concluſione. Ergò Angelis repugnat diſcurſus propriè, & formaliter talis magis etiam, quam compoſitio, & diuiſio.

Art. 3. Confirmatur hæc ratio,& quę proximè præceſſit de compoſitione, & diuiſione. Quia *quæ ſunt diſperſa in inferioribus, ſunt vnita in ſuperioribus*. Quod principium aſſumit D. Tho. quæſt. 57. art. 1. pro Angelica ſingularium cognitione, indiſtincta à cognitione quidditatis eorum. Addit verò Caietanus ibidē eam diſperſorum vnionem accipi cum hac limitatione; *quoad fieri poteſt*. Id eſt, quoad ea, quorum vnio identifica, nec repugnat ex ſuo conceptu, nec trāſcendit limites perfectionis rerum ſuperiorum. Hoc autem ſuppoſito, quod ſub ea expoſitione eſt euidens per ſe, ſubſumitur vlteriùs, non repugnare abſolutè, aut reſpectu perfectionis ſubſtantialis Angeli, immò ei cō-gruere maximè ſimplicem tendentiam intellectus, quæ contineat in ſe indiuiſam totam perfectionem, quæ reperitur di-

diuiſa in apprehenſionibus, compoſitione, diuiſione, & diſcurſu humanis, quæque peragat ſubitò per primam obiecti ſecundum ſe inſpectione, & quaſi per lineam rectam, quod; peragit intellectus dependens à ſenſu, per multiplicem collationem conceptûum apparentium in eodem ſenſu, & quaſi per gyrum. Suadet hoc in primis paritas ſenſus communis, qui non magis præeminet ſenſibus externis, quàm Angelus præemineat homini. Senſus namque communis continet in ſe indiuiſim, quidquid perfectionis ineſt quinque ſenſibus externis. Quidni igitur ſimplex tendentia intellectus Angelici contineat ſimiliter in ſe indiuiſim, quicquid perfectionis ineſt ſimplicibus apprehenſionibus, compoſitioni, diuiſioni, & diſcurſui humanis. Suadet idem rursùs correſpondentia vbique neceſſaria, & manifeſta inter modum operandi, & modum eſſendi proprium cuiuſque ſubſtantiæ. Nempè ſubſtantia Angelica eſt in ſe ſimplex, vt dictum eſt, & continet in ſe identicè, quicquid perfectionis ineſt corpori, & animæ humanæ inuicem vnitis. Ergò operatio intellectiua Angeli continet in ſe ſimili ſimplicitate, quicquid perfectionis ineſt terminis ſimplicibus apprehenſis priùs ſeorſim, quatenùs deindè collatis inuicem per compoſitionem, aut diuiſionem. Similiter Angelus ratione ſuæ ſimplicitatis eſt incapax tráſmu-

mutationis, nec proficit temporis decurſu per tranſmutationem acquiſitiuam, & augmentatiuam ſubſtantialem, ſicut proficit homo, aliaque tranſmutationis capacia. Ergò ſimiliter eſt incapax intellectus eius, vt proficiat intellectualiter, ſicut proficit homo per diſcurſum, qui eſt quædam tranſmutatio intellectualis augmentatiua, & perfectiua intelligentis, atque adeò conſtituitur in termino totius perfectionis intelligendi per primam inſpectionem ſimplicem obiecti, ſicut cõſtituitur in termino totius perfectionis ſuę phyſicæ per primum ſuum eſſe. Itaque in intellectu Angelico, neque compoſitio, aut diuiſio, neque diſcurſus vllus dari poteſt propriè talis.

Art, 4. Ex his infertur, intellectui Angelico repugnare loquendo per ſe falſitatem, licet per accidens incidere in eam poſſit ex abuſu voluntatis. Infertur, inquam, quia intellectus expers compoſitionis, diuiſionis, & diſcurſus fertur directè, ac immediatè, ad quod quid eſt, ſeu ad quidditatem rei. *Intellectus autem circa quod quid eſt, ſemper verus eſt, ſicut, & ſenſus circa proprium ſenſibile*, vt dicitur in lib. 3. de Anima tex. 26. Eandem doctrinam tradit iterum Philoſophus lib. 9. Metaph. tex. 22. dicens, intelligendo quidditates ſimplices non intercedere falſitatem. *Quia vel totaliter non attinguntur, & nihil intelligimus de eis, vel cognoſcuntur vt ſunt.*

Digitized by Google

ſunt. Nempè obiectum immediate mouens ſenſum, vel intellectum ad perceptionem ſui, neceſſariò mouet ad percipiendum ipſum, vt eſt in ſe, nec aliter mouere poteſt per ſe ipſum immediatè, ideoque ad ſolam veram perceptionem ſui mouere poteſt ex ſe pręcisè. Quapropter omnis falſitas irrepit in intellectum ex motione mediata obiecti, prout apparentis imperfectè, & inadæquatè in aliqua ſui cognitione præuia, quæ deindè inducere poteſt ęquiuocationem, & malam, atque adulterinam terminorum applicationem mutuam, propter defectũ plenę apparentiæ in eadem præuia cognitione imperfecta. Cum igitur repugnet Angelo huiuſmodi mediata obiectorum perceptio, tàm per compoſitionem, & diuiſionem, ſubnixam apparentia obiecti, quæ præit in ſimplicibus apprehenſionibus, quam etiam per diſcurſum, qui nititur ijſdem mediatè, & inſuper immediatè vlterioribus terminorum præapparentium combinationibus, quæ fiunt per pręmiſſas, & concluſionem, atque immediatè feratur in omnia, quæ cognoſcit mouentibus ipſis obiectis, vt ſunt in ſe. Concluditur falſitatem in intellectu Angelico nullam dari poſſe, ſiue circa veritates natureles, ſiue circa myſteria ſupernaturalia. Inter hæc nonnulli ita diſtinguunt, vt circa naturalia Angelum dicát incapacem falſitatis, capacem circa ſu-

pernaturalia. Verùm diſcurſus propoſitus eſt vniuerſalis, & æquè conuincit de omni genere obiectorum, ideoque Diuus Thomas dicta quæſt. 58. art. 5. alijque magis communiter docent hanc ſententiam cum totali vniuerſalitate.

Art. 5. Ratio, ob quam Angelus pati nihilominus poſſit per accidens deceptionem, ac falſitatem circa aliqua obiecta, vt tradit D. Thomas ibidem, limitando tamen, quoad ſupernaturalia. Ratio inquam eſt. Quia, Angelus cognoſcit imperfectè, & coniecturaliter, aut probabiliter tantùm, aut cum ſola certitudine phyſica aliquos euentus, maximè ſupernaturales. Fieri autem tunc poteſt, vt imperio voluntatis adigatur intellectus, vt per quandam præcipitantiam iudicet abſolutè obiectum ita habere, aut habiturum eſſe, ſicut apparet per coniecturas, & ſic de alijs modò indicatis modis cognoſcendi, tranſgrediendo voluntariè limites fundamenti, quod præbet obiectum per primam ſui inſpectionem. Hoc porro præſtare Angelus perinde poteſt per ſimplicem inordinatam conuerſionem, ad obiectum, praua, ac ſtulta voluntate inductam; ſicut nos poſſumus per compoſitionem, & diuiſionem, ſeu praua, ſeu laudabili (vtrumuis enim in nobis accidere poteſt) inductam. Ità Angelus cōſiderans hominem mortuum, poteſt iudicare, ex imperio voluntatis, cum non eſ-

ſe

ſe reſurrecturum; & ſimiliter conſiderans hominem Chriſtum, iudicare poteſt eum non eſſe Deum. Quæ ſunt exempla D. Thomæ, ſed eſt eadem ratio de ſecreto cordis, & de futuro contingenti purè naturalibus, & apparentibus coniecturaliter tantùm, per inditia incerta. Poteſt enim ſimiliter circa hæc concipi voluntariè iudicium abſolutum conforme indicijs, & non reſtrictũ ad incertitudinẽ eorum. Verùm hic modus abutendi intellectu per imperium imprudens voluntatis, ſolùm accidit in dæmonibus in omnem imprudentiam paratiſſimis. Nempè Angelis beatis omnis eiuſmodi abuſus eſt prorſus impoſſibilis propter perfectionẽ ſtatus, & vnionis cum prima veritate. Idẽ verò abuſus fuiſſet abſolutè poſſibilis omnibus promiſcuè Angelis in pura natura, licet non tam facilis futurus tunc fuiſſet, atque iam eſt in demonibus. Per hæc igitur ſatis conſtat de quæſt. quoad omnes eius partes.

Ad 1. Non ſufficit ad componendum mentaliter, & diuidendum poſſe abſtrahere rationes vniuerſales, ſimulque conſiderare rationes, vel rationem aliquam particularem ſubſtantem illis vniuerſalibus. Sed neceſſe inſuper eſt, vt intellectui deſit facultas conſiderandi immediatè eam veritatem, quæ circa vtramque illam rationem deſiderari poteſt. Adeſt autem Angelo hæc facultas, poteſt-

que aſſequi tendentia ſimplici directa, ac immedia a, quæ nos aſſequi non poſſumus niſi per compoſitionem, & diuiſionem. Vnde fieri non poteſt, vt Angelus velit ſuperaddere nouam aliquam notitiam notitię præexiſtenti obiecti, quin protinus ea ipſa voluntate applicet intellectum ad inſpectionem directam, ac immediatam eiuſdem obiecti, atque ita neceſſario ſuperſedet à compoſitione, & diuiſione, eadem ratione, qua nos facta compoſitione, aut diuiſione, quàm perfecta poſſibilis eſt ex vi apprehenſionum præexiſtentium, neceſſariò ſuperſedemus ab vlteriori compoſitione, & diuiſione. Eodem namque modò exhaurit Angelus totam ſuam vim cognoſcitiuam circa vnamquanibue veritatem, per tendentiam ſimplicem directam, ac immediatam, qua nos exhaurimus totam vim noſtram cognoſcitiuam; per primam, ſeu compouſitionem, ſeu diuiſionem circa vnumquodque cognoſcibile. Vnde ea comparatio obiectionis valet potius ad oppoſitum. ſeruata legitimè portione.

Ad 2. Ad componendum, & diuidendum non ſufficit quęlibet cuiuſuis generis multitudo intellectuum, ſed neceſſe eſt eam eſſe talem, quę mutua collatione eorumdem intellectuum gignere poſſit maiorem notitiam rei, quam quæ haberi poteſt per ſimplicem eius inſpectioné. Hoc autem deeſt in Angelo, vtpotè intel-

telligente per ſimplicem inſpectionem quidditatis, quicquid nos componendo, & diuidendo aſſequi poſſumus, & quicquid ipſe Angelus aſſequi abſolutè poteſt.

Ad 3. Angeli manifeſtant hominibus ſuos conceptus modo humano, vt potè neceſſario, vt illi percipiantur ab hominibus. Quod etiam facit Deus certiſſimè incapax compoſitionis, & diuiſionis. Indè igitur deducitur ſolum Angelos cognoſcere compoſitionem, & diuiſionem eamque imitari loquendo poſſe, non verò facere itidem, atque imitari concipiendo poſſe.

Ad 4. Cognitio vnius ex vi alterius, ſeu in alio non ſufficit ad diſcurſum propriè talem. Alioquin diſcurret propriè Deus, qui in ſua eſſentia, & ex vi comprehenſionis eſſentiæ ſuæ omnia alia cognoſcit. Requiritur igitur præterea vt ex cognitione vnius proficiſcatur cognitio alterius cum reali diſtinctione inter vtráque, ſicut vnum obiectum diſtinguitur realiter ab alio obiecto; idque per mutuam idoneam collationem terminorum conſequentis inter ſe, & cum medio termino. Quod oſtenſum eſt repugnare Angelo.

Ad 5. Non ſpectat ad perfectionem intellectus prçſtantioris vt poſſit præſtare in ordine ad perficiendum ſe, quidquid præſtare poteſt intellectus minus

perfectus in eumdem ſcopum, ſed vt poſſit, vel illud ipſum, vel aliquid perfectius, & æquiualens cum exceſſu Dictum autem eſt idē præſtari ab Angelo per ſimplicem, & immediatam tendentiam ad vnumquodque obiectum; aſſequitur enim intellectus Angelicus omnem veritatem, quam aſſequitur intellectus humanus, & plures alias, ſed non eo modo, quo is aſſequitur. Intellectus namque humanus habet modum peculiarem perficiendi ſe, fundatum in peculiari ſua imperfectione, Quę quia non cadit in Angelum, ideò nec modus ille cadit in eumdem.

Ad 6. Conceditur, Angelum naturaliter cognoſcere inadæquatè, & imperfectè, tùm per ſe, quæ ſunt ſuperiora ipſo, tum etiam per accidens, quæ ſunt eodem inferiora, Quod rectè aſſumitur, & ſuadetur in obiectione. Sed non propterea proficere poteſt per diſcurſum in cognitione eorumdem obiectorum, ſiquidem eo ipſo quod intendat vlteriorem aliquem ſuę cognitionis profectum, applicatur ad illud immediatè, & ſecundũ ſe conſiderandum magis, quàm conſideraret prius, reuocatis eò viribus ſuis cognoſcitiuis, quas partim, vel totaliter impendebat prius in alia obiecta; atque ita ſine diſcurſu per ſimplicem maiorem inſpectionem obiecti aſſequitur, quicquid ab ipſo aſſequibile abſolutè eſt. Quod

ex-

exponetur magis in quæſtione ſequenti. Ad confirmationem ex Iſidoro dicitur cum D. Thoma in ea quæſt. 58. a 3. ad 3. experientiam dici de Angelis, & dæmonibus ſimilitudinariè tantum, quatenus cognoſcunt pro omni temporis differentia ſucceſſiue ſenſibilia tunc præſentia; non verò propriè deducendo ex illis cõcluſiones vniuerſales, ſicut nos facimus. Quæ nimirum illi cognoſcunt independenter ab eiuſmodi obſeruatione, & à collatione mutua eorum, quæ contingunt.

QVAESTIO XVI.

Vtrum Angelus poſsit eadem obiecta cognoſcere mediatè, & immediatè?

VIDETVR non poſſe 1. quia mediate cognoſcere eſt vnum ex alio; cognoſcere. Hoc autem eſt diſcurrere. Quod repugnat Angelo, vt dictum eſt. Ergo eidem repugnat, vt cognoſcat aliquid mediatè.

2. Quidquid Angelus naturaliter cognoſcit, cognoſcit ex vi ſola comprehenſionis eſſentiæ ſuæ. Quia, quatenus natura Angeli eſt participatio, & effectus diuinæ naturæ ducit in eius cognitionem quanta eidem Angelo poſſibilis eſt abſolutè. At quatenus eadem natura in vnoquoque Angelo eſt ſimilis naturæ aliorũ Angelorum, Atque ſub eodem cum illis genere contenta, ducit etiam ad cognitionem aliorum Angelorum, iuxta menſuram propriæ perfectionis. Ac demum quatenus eſt directiua rerum inferiorum. ac proinde aliquam, circa illas, cauſalitatem exercere valet ſibi, & illis proportionatam, poteſt etiam parere cognitionem earum. Omnia igitur alia præter ſe ipſum cognoſcit Angelus mediatè, ac proinde nullum obiectum mediatè, & im-

immediate cognoſcere poteſt.

3. Non poteſt Angelus ceſſare à cognitione ſui, neque cum ea cognitione poteſt vllam aliam cognitionem componere. Non quidem ceſſare poteſt. Quia habet in ſe, & ex ſe præciſe quidquid requiritur, vt cognoſcat ſe ipſum, vt liquet ex quæſt. 32. ac proinde fieri non poteſt, vt ceſſet neceſſario à cognitione ſui Sed neque per liberã electionem poteſt ſuſpendere cognitionem ſui. Quia libera electio vniuſcuiuſque circa aliquid neceſſariò præſupponit cognitionem actualem circa ipſum. Ergo vt Angelus vellet liberè ignorare ſe, oporteret, vt actualiter ſe cognoſceret. Nullo igitur pacto fieri poteſt, vt Angelus ſuſpendat cognitionẽ ſui. At nec fieri poteſt, vt cum illa componat aliquam aliam cognitionem. Quia quælibet ſubſtantia intellectualis exhaurit totam vim ſuam intellectiuam cognitione comprehenſiua ſui, ac proinde fieri non poteſt, vt ſuperſint vires ad aliquam aliam cognitionem ſimul eliciendam. Probatur aſſumptum primo paritate Dei, qui nullam habet cognitionem diſtinctam à comprehenſione ſui. vt eſt in confeſſo apud omnes. Impoſſibile, namque eſt, vt aliqua alia ſubſtantia habeat maiorem proportionaliter ſufficientiam, quam Deus. Ergo ſiquidem Deus nihil poteſt vltra comprehenſionem ſui, nec Angelus profecto poteſt. Deinde

tantum in vnoquoque creſcit neceſſario cognoſcibilitas paſſiua, quantus creſcit in eodem cumulus reliquarum omnium perfectionum, vt dictum eſt quæſt. 10. de Deo art. 2. Impoſſibile igitur eſt, vt in Angelo virtus intellectiua ſit maior, quam intelligibilitas eiuſdem paſſiua. Ergo elicita comprehenſione ſui impoſſibile erit, vt ſuperſit ipſi aliqua præterea vis intelligendi, quam ſimul impendere poſſit in aliam cognitionem. Ergo Angelus non poteſt vnum aliquod obiectum mediatè, & immediatè cognoſcere, ſiue ſimultaneè, ſiue ſucceſſiuè, ſi quidem nullam aliam cognitionem naturaliter eſicere vnquam poteſt, præter comprehenſionem ſui.

4. Non poteſt in primis ſimultaneè cognoſcere Angelus idem obiectum mediatè, & immediatè. Quia vt obiectum immediatè cognitum cognoſceretur ſimul mediatè, neceſſe eſſet, vt aliquod aliud obiectum cognoſceretur ſimul immediatè, quatenus nihil mediatè cognoſci poteſt, niſi cognito immediatè aliquo alio, quod ducat in cognitionem illius. Inde autem ſequeretur, Angelum poſſe ſimul cognoſcere multa, vt multa, nempè per cognitiones inuicem independentes, neque vnitas mutuo per relationem ad vnum motiuum formale, illis commune. Quod negat eſſe poſſibile Diuus Thomas quæſt. 58. art. 2. & alibi ſæpe.

Sed

Sed neque ſucceſſiuè fieri poteſt, vt cognoſcat idem obiectum, iam mediatè, iã immediatè. Quia cognitio immediata eſt perfectior, quam mediata. Maiori autem perfectione nemo caret liberè in ijs, quæ non concernunt appetitum, ſed pertinent ſolum ad intellectum. Ergo ſi quidem implicat in terminis, vt Angelus neceſſario careat aliquando cognitione aliqua perfectiori, ad quam eliciendam habet vires ſufficientes, impoſſibile eſt, vt tranſeat à cognitione immediata alicuius obiecti ad ſolam mediatam eiuſdem cognitionem, aut vt primitus incidat in eamdem cognitionem mediatam, impeditâ cognitione immediata.

Art. 1. Solet agi de iſta quæſtione præcipuè ad exponendam Auguſtinianam diſtinctionem cognitionis Angelicæ in matutinam, & veſpertinam, de quibus differit fusè lib. 4. ſuper Gen. ad litt. c. 22. & 31. & lib. 11 de ciuit. Dei cap. 7. atque alibi non ſemel. Verùm Auguſtinus ſub ijs vocibus comprehendit cognitiones ſupernaturales ſimul, & naturales, atque matutinam appellat, vel vnice, vel certe præcipuè, & vt plurimum viſionem beatam, qua res createæ videntur in verbo tanquam in oriente, ſeu meridie pleniſſimo lucis. Veſpertinam vero appellat quamlibet promiſcuè cognitionem rerũ creatarum in ſeipſis, quę ſunt obſcuræ, ac nocturnæ, ſi comparentur cum Deo.

Quæ res per ſe ſatis patet, nec indiget vlteriori aliqua expoſitione, quod ad præſens attinet. Nam quod ad applicationem attinet eiuſdẽ Auguſtini pro exponendis diebus creationis mundi depẽdenter à prædicta diſtinctione alius eſt dicendi locus. Nempe præſentis negotij ſolum eſt, vt expenatur modus cognoſcendi mediatus, & immediatus connaturaliter poſſibilis Angelo, idque ſecũdum ſe præciſè, atque independenter à modis ſignificandi, & applicationibus metaphoricis, ac allegoricis. Ea igitur diſtinctione aliò remiſſa.

Art. 2. Certum in primis eſt, Angelum poſſe cognoſcere aliqua immediatè, & aliqua alia mediatè per cognitionem ſibi connaturalem. Primum enim poteſt Deum cognſcere mediate, & ſe ipſum immediatè. Quia comprehendendo ſe immediate, quod fieri ab eo poſſe, dictum eſt iam ſuperius, non poteſt non cognoſcere Deum mediatè; quandoquidem connectitur eſſentialiter cum ipſo, eiuſque perfectionem participat eſſentialiter tanquam effectus dependens eſſentialiter ab eodem. Præterea cauſas quaslibet, & effectus quoslibet naturales poteſt itidem cognoſcere immediatè. Quia habet proprias eorum ſpecies a Deo ſibi inditas in inſtanti creationis, vt dictum eſt ſupra quæſt. 12. Poteſt igitur conſequenter cognoſcere cauſas quaslibet, & quoſuis ef-

ſe-

fectus naturales etiam mediatè. Quia causæ referuntur intrinſecè ad effectus, & effectus viciſſim ad cauſas, ideoque vtrolibet ex his extremis perfectè cognito, vti cognoſcit Angelus omnia naturalia, neceſſe eſt, alterum quoque mediatè cognoſci. Fieri præterea poteſt, vt aliquis, ſeu cauſa, ſeu effectu immediatè cognito prius, deinde cognoſcatur mediatè tantum. Quia cum Angeli, præſertim qui ſunt infra ſupremum gradum, non poſſint cognoſcere ſimultaneè, quæcunque abſolutè, ac ſeorſim cognoſcere poſſunt; quandoquidem ſolus ſupremus Angelus, ſeu ſupremi ordinis totam rerum naturalium vniuerſitatem ſimultaneè, ac indiuiſim comprehendere poteſt, vt dictum eſt ſupra quæſt. 4. Quia inquam hoc ita ſe habet poſſunt Angeli, ſaltem inferiores ſupremo, ab vno obiecto in aliud, atque aliud obiectum perfectè cõſiderandum tranſire pro libito, applicãdo liberè intellectum ad ea obiecta, & genera obiectorum, quæ potiſſimum oportuerit, aut libuerit attentius conſiderare hic, & nunc.

Art. 3. His itaque ſuppoſitis, in quibus nulla apparet difficultas, nullaque communiter agnoſcitur ab auctoribus, ſupereſt modus alius peculiaris cognoſcẽdi mediatè, & immediatè, cuius expoſitio eſt difficilis, certè non eſt vſque adeo peruia. An videlicet Angelus cogni-

gnito aliquo obiecto, maximè vero Deo mediatè per cognitionem, qua ſimul immediatè cognoſcit aliquid aliud repræſentatiuum prioris obiecti, poſſit elicere deinde cognitionem, quæ ſolum feratur ad obiectum, quod prius cognoſcebatur mediatè; ita vt ad cognitionem cauſæ in effectu ſubſequi poſſit cognitio einſdem cauſæ, non modo diſtincta à cognitione effectus, ſed etiam nulli coexiſtens cognitioni effectus, idque ex vi cognitionis præexiſtentis prius circa effectum, nullaque præexiſtenti ſpecie peculiari cauſæ ſecundum ſe. Affirmat, id fieri poſſe, atque de facto accidere, tum in Angelis, tum etiam in nobis reſpectu Dei cogniti prius, mediantibus, ſeu mouentibus ad cognoſcendum Deum creaturis. Affirmat inquam, & multis accuratè exponit, ac tuetur ſuarez lib.2.c.19. art.3.n.3. atque in eam rem vtitur teſtimonio, quod eſt clariſſimum D. Thomę quæſt.8. de verit.a.3. ad 18 vbi ſic habet *Quando aliquid cognoſcitur per ſimilitudinem in effectu ſuo exiſtentem, poteſt motus cognitionis tranſire ad cauſam immediatè, ſine hoc quod cogitetur de aliqua alia re. Et hoc modo intellectus viatoris poteſt cogitare de Deo non cogitando de aliqua creatura*. Idem docet luculenter Dionyſ. capit. 1. de myſt. Theol. ſub initium, vbi Timotheum hortatur his verbis: *Prætermitte, & ſenſus, & mentis actiones, eaque omnia, quæ & ſub*

ſen-

ſenſum cadunt, & animo cernuntur, & quæ non ſunt, & quæ ſunt omnia, teque ad eius qui omnem eſſentiam, omnemque ſcientiam ſuperat, coniunctionem, & vnitatem, pro virili parte clam excita. Libero enim, ſolutoque ac liquido à te, & ab omnibus diſceſſu, ad diuinarum tenebrarum radium, qui omni eſſentia ſuperior eſt, contendes, cum, & omnia dempſeris. & ab omnibus ſolutus fueris, & liber. Suffragatur experientia, qua quiſque conijcit, eleuari ſe poſſe ad contemplandum Deum, omneſque intelligendi vires impendere contemplationi eius quin interim cogitet quidquam de vlla alia re creata, atque eo melius cogitare de Deo poſſe, quo magis recedit ab omni creaturarum cognitione, mediantibus licet illis inciderit in primam Dei cognitionem, neque aliter perduci ad illam quiſquam poſſit, dum eſt in via. Quidni igitur idem præſtare Angeli etiã poſsint, multo propinquiores Deo naturaliter, quam nos ſimus, atque intellectu præditi abſtractiori, ac puriori, quam ſit noſter?

Art. 4. Ratio huius rei eſt, quia ſicut res creata eſt ſimilitudo Dei quatenus eſt effectus, & participatio eius, ideoque poteſt perducere atque, neceſſario perducit comprehenſorem ſui, ad cognitionem Dei; ita cognitio rei createę, quatenus ipſa eſt effectus, & participatio Dei eſt ſimilitudo non ſolum rei creatæ, ſed

etiam

etiam Dei, ideoque perducere poteſt ad cognitionem non ſolum creaturæ, ſed etiam Dei ſi conſideretur reflexè per aliā cognitionem, vel relatè ad vtrumque eum terminum coniunctim, vel ad vtrúlibet ſeorſim. Quicunque igitur cognoſcit Deum in creatura, ſeu mediante creatura, poteſt deinde cognoſcere, ac contemplari eumdem mediáte ſolā priori cognitione, eademque conſiderata ex vi ſpeciei memoratiuæ, quam de ſe relinquit in intellectu, cum definit eſſe ſecundum ſe. Patet itaque, intellectum, tum humanum, tum maximè Angelicum poſſe in hoc ſenſu immediatè cognoſcere & contemplari Deum naturaliter. Ita videlicet vt nullā res creata ſecundum ſuum eſſe phyſicum actualiter moueat intellectum ad cognoſcendum Deum, ſed poſſit ipſe actualiter cognoſci nulla alia re creata actualiter cognita. Cæterum neceſſe eſt, vt iuuet intellectum ad huiuſmodi conſideratione Dei aliquod veſtigium relictum in intellectu ab obiecto creato, quod primitus excitauit ad cognoſcendum Deum; nempe vt iuuet vel cognitio reflexa prioris cognitionis de Deo, quatenus erat ſimilitudo expreſſiua Dei vel ſpecies memoratiua eiuſdem prioris cognitionis, quæ proinde ſimul obijciat intellectui, & eamdem priorem cognitionem, & Deum. Alioquin per accidens ſe haberet in ordine ad cognitionem,

nem, & contemplationem Dei poſterius conceptam, prior cognitio immediata circa rem creatam, & mediata circa Deum. Præteritum enim, cuius nullus eſt effectus præſens, perinde ſe habet reſpectu eorum, quæ fiunt de præſenti, atque ſi nunquam extitiſſet. Vnde vlterius ſequeretur poſſe Angelum, vel etiam hominem cognoſcere Deum actualiter, non ſolum quin actualiter cognoſceret quidquam creatum, ſed etiam quin antecedenter vnquam cognouiſſet aliquid præter Deum. Quod eſt impoſſibile. Quapropter quod nuper docebant Dionyſius, & D. Thomas de tranſitu cognitionis ad cauſam immediatè, & de conſideratione Dei ſoluta, & libera ab omni rerum creatarum conſideratione, accipiendum eſt de rebus prout condiſtinctis ab intentionibus, ſeu qualitatibus intentionalibus, & non de rebus ſecundum conceptum vniuerſalem entis tranſcendentaliter ſumpti. Id quod apertè diſtinguit D. Thomas, atque in hunc ſenſum diſtribuit loco indicato; neque dubitandum eſt, Dionyſium, cuius D. Thomas vbique eſt interpres legitimus, idem ipſum & nihil amplius dicere voluiſſe.

Art. 5. Intereſt verò plurimû pro perfectione contemplationis diuinę, an Deus conſideretur mediante aliqua creatura entitatis purè phyſicæ; An vero mediante ſola aliqua intentione aſſimilatiua Dei

for

formaliter, & informante intellectum intrinſece, quatenus talis eſt. Quia in priori euētu entitas creata cognoſcitur ſimul ac indiuiſim, quatenus eſt aſſimilatiua Dei, & quatenus differt ab eodem, & ſecundum ſuam rationem differentialem, quæ habet vim retrahendi à cognitione Dei, atque impediendi, & offuſcandi cognitionem, quatenus eſt expreſſiua Dei. At imago Dei intentionalis, informans intellectum ſe tota iuuat ad cognoſcendum Deum. Quapropter creſcit plurimū cognitio Dei, quando, iuxta exhortationem præmiſſam Dionyſij, relictis omnibus obiectis creatis, transmittitur intellectus ad contemplandum Deum immediatè. Sola nimirum interpoſita imagine intentionali ipſius, quę quà talis eſt, facit quodammodo vnum cum imaginato, & facit, vt perinde ferè attingatur, ac penetretur Deus, atque ſi nihil prorſus vllius generis interponeretur. Quid, quod ſpecies memoratiua, ſeu cognitio reflexa prioris cognitionis directę, præciſè quatenus erat repręſētatiua Dei, eſt tenuiſſimum quoddam, cui proinde ſufficit, vt intellectus impendat exiguam admodum partem virtutis ſuę intellectiuę, ideoque poteſt incumbere in Deum tota ſua reliqua virtute, & per conſequens nanciſci cognitionem Dei incomparabiliter perfectiorem, ac intenſiorem, quam quæ habebatur ſimul cum immediata alterius

alii-

alicuius rei creatæ conſideratione.

Art. 6. Hęc proculdubio fuit cauſa deceptionis, niſi ego omnino decipior, D. Bonauenturæ, noſtro Aluarez de Paz, alijſque nonnullis dicentibus poſſe amari Deum nulla actualiter præexiſtente cognitione ipſius. Suppoſuerunt enim, quod eſt certum, Deum non poſſe naturaliter cognoſci, & ne ſupernaturaliter quidem à viatore, niſi mediante aliquo creato, atque experti ſimul ſunt cognitionem Dei, qualis hic expoſita eſt, in qua vix apparet, eſtque difficulter diſcernibilis cognitio rei creatæ: tum quia ſola interponitur imago creata intentionalis Dei, atque imago facile confunditur cum imaginato: tum quia eſt tenuiſſima attentio ad eãdem imaginem, maxima vero ad Deũ, atque tenuiſſimorum diſcretio eſt difficillima pręſertim attendenti ad maximũ ſummo conatu. Viſum itaque illis eſt, quod facile videri poteſt ijs pręſuppoſitis, nihil ipſos cognouiſſe, dum perfectiſſime amarent Deum, tametſi re ipſa adeſſet cognitio Dei tantundem perfecta. Eodem pertinet caligo adhærens Deo, ſeu caliginoſa theologia, de qua D. Dionyſius in loco pręindicato, alijque Sancti Doctores agunt, quæ tamen eſt luminoſiſſima reipſa. Per quam nimirum contemplatur homo Deum ſubtractis rebus omnibus creatis, hoc eſt, extinctis omnibus facu-lis manifeſtantibus Deum mente viatri-

ci,

ci, ſolaque ſuperſtite icuncula eius intẽtionali, quæ vix quidquam morata animum circa ſe, vires eius relinquit liberrimas pro inſpectione profunda Dei. Verum ego fortaſſis prætergredior iam limites meos. Vtcũq; igitur hoc habeat, ex dictis liquido apparet Angelos eadẽ omnia cognoſcere naturaliter poſſe, tũ mediatè tum immediatè; cætera quidem præter Deũ abſq; vlla limitatione; Deũ vero cum hac limitatione, vt neceſſe ſit mediare pro eius cognitione aliquid ſaltem intentionale immediatè informans intellectũ, eſto neceſſe nõ ſit vt mediet aliquid præterea aliud pro continuatione, & augmẽto cognitionis Dei, ſed tantum pro eiuſdem prima inchoatione.

Ad 1. Iam iterum dictum eſt, nõ ſufficere ad diſcurſum, vt vnum ex alio cognoſcatur. Quod eſt per ſe euidens, quando mediatio eſt ex parte obiecti tantum ob diſtinctionem realem medij mouentis ad cognitionem à termino, ad cuius cognitionem mouet, nulla exiſtente reali diſtinctione inter cognitionem vnius, & alterius. Sed neque eſt obſcurum illud ipſum, quando vna cognitio excitat intellectum ad aliam cognitionem, ipſumque ad eam tranſmittit, quin interueniat diſpoſitio terminorum inſtruens, & conuincens intellectum ad cognitionem, & ad aſſenſum concluſionis. Non enim magis hoc ſufficit ad diſcurſum propriè, &

for-

formaliter talem qua ni primum. His autem tantum modis dictum eſt, Angelum poſſe cognoſcere vnum in alio, & ex alio.

Ad 2. In primis Angelus non continet in ſe perfectiones, quibus res aliæ ſiue ſuperiores, ſiue inferiores differunt ab ipſo formaliter, ideoque non poteſt mouente ſola ſua eſſentia deuenire in diſtinctam & claram cognitionem earum. Neceſſe igitur illi eſt ad perfectam eatenus cognitionem aliorum a ſe, vt immediatè ea cognoſcat. Neque reſpectu rerum inferiorum quidquam in contrarium conuincit vis earum directiua conueniens Angelos tum quia non habet vnuſquiſque Angelus vim directiuam omnium illarum vniuerſaliter; tum quia in cauſa directiua ſola directio cognoſci poteſt perfectè, cum hæc ſola perfecte in ea contineatur, non verò ipſa dirigibilia. Dictum deinde eſt, Angelum poſſe peruenire ad cognitionem Dei perfectiorem, quam quę eſt indiſtincta à comprehēſione ipſius Angeli, ſeu qua Deum in ſe ipſo cognoſcit, tanquam in medio cognito. Non igitur conuenit Angelo cognitio immediata tantum reſpectu ſui, & mediata reſpectu cęterorum.

Ad 3. Conceditur, Angelum non poſſe ceſſare ab omni omninò cognitione ſui. Quia non poteſt carere omni prorſus cognitione, vt apparet ex diſcurſu obiectionis; atque habenti aliquam cognitionem

nem, per eamdem neceſſario innoteſcit ſe cognoſcere, ac proinde ſe ipſum aliquatenus cognoſcit. Cæterum fieri poteſt, vt Angelus ſuſpendat cognitionem ſui comprehenſiuam, applicando præcipue vim cognoſcitiuam ad conſiderationem exactam aliorum obiectorum, maximè vero Dei, modo nuper explicato, ad quam ſimul eliciendam cum comprehenſione ſui vires eius intellectiuæ nequaquam ſufficiant. Quo pacto Angelus etiam ſupremus poteſt pati defectum virium ad retinendam comprehenſionem ſui, quatenus poteſt illas abſorbere in contemplando Deo. Retenta autem hoc modo cognitione imperfecta ſui tantùm quoad an eſt, poteſt Angelus ſimul elicere cognitiones alias circa alia motiua, vt per ſe patet. Deinde tametſi nulla ſubſtantia intellectualis poſſit naturaliter elicere vllam cognitionem abſolutè perfectiorem, quàm quæ eſt comprehenſiua ipſius; poteſt nihilominùs cum eadem comprehenſione naturaliter componere alias cognitiones circa alia motiua, ſi ſuperaddantur ſibi vires cognoſcitiuæ vltra eas, quæ eidem conueniunt ex ſe præcisè. Dictum autem eſt ſupra, Angelo ſuperaddi vires, & comprincipia iuuantia ad cognoſcendum per ſpecies impreſſas, quas accipit à Deo.

Ad 4. Nec intellectum Angelicum, nec

nec vllum alium poſſe ſimultaneè plura cognoſcere vt plura, ſententia eſt ſæpe repetita à D. Thoma, cui etiam ſubſcribit Scotus diſt. 3. quæſt. 9. aliorumque ſatis celebris, aduerſus Durandum, Molinam, Valentiam, Vaſquez, & alios. Verùm quo ſenſu accipiendum ſit illud plura vt plura, obſcurum eſſe, & valdè anceps, atque controuerſiam videri potius de modo loquendi, eſt exiſtimatio Patris Suarez lib. 2 cap. 37. nu. 8. Mouetur quia idem D Thomas docet, beatos ſimul, & videre Deum, & cognoſcere alia à Deo etiam per ſpecies proprias ipſorum, atque in proprio genere, & ſimiliter Angelum naturaliter cognoſcere ſimul ſe, & alia per plures, & ſpecies, & actus. Hæc autem ſunt, & huiuſmodi tantùm, quæ intendunt re ipſa auctores affirmantes poſſe plura ſimul ab eodem cognoſci, vt plura. Cenſeo cognitiones plurium, vt plurium apud D. Thomam, Scotum, & aſſeclas eſſe, quæ non diriguntur mediatè, vel immediatè ad vnũ, eumdemque ſcopum, & finem omnium, ita vt nullo pacto altera alteri ſubordinetur. Atque hoc pacto certum eſt, neminem cognoſcere poſſe plura vt plura, ideſt omninò diſparatè. Quia omnis cauſa quidquid agit, ordinat ad vnum, aliquem finem vltimum omnium quæ agit, eàque illi, & inter ſe ſubordinat neceſſariò, vt liquet ex quæſt. 1. de act.

hum.

hum. Ea autem doctrina ſumpta in hoc ſenſu nihil conuincit obiectio ad propoſitum. Omnes verò alios ſenſus illius quaſi axiomatis D. Thomæ impugnat efficaciter idem Suarez ibidem. Poteſt itaque Angelus ſimul habere plures plurium obiectorum immediatas cognitiones, ac proindè & mediatas. Poteſt itidem habere ſucceſſiuè cognitiones & mediatas, & immediatas earundem rerum. Quia licet nunquam ceſſare poſſit ab exercitio totius ſuæ virtutis intellectiuæ, poteſt nihilominùs multipliciter explere menſuram ſuarum virium, tùm auocando illas à creaturis ad Deum modò ſuperius explicato, tùm tranſeundo à paucioribus maioris perfectionis obiectis ad plura obiecta minoris perfectionis, atque ex vt riſuis eligendo, & omittendo indiuidua hæc, vel illa, vt placet, atque ita cognoſcendo eadem modò immediatè, modò mediatè, quin vnquam abſolutè patiatur propterea aliquam iacturam perfectionis in cognoſcendo, propter compenſationem, quam ſemper reperit æqualem in alijs obiectis, ſeu mediatè, ſeu immediatè cognitis de nouo;

QVAE.

QVAESTIO XVII.

Vtrùm Subſtantia intellectiua ſit ex ſuo conceptu volitiua?

VIDETVR non eſſe 1. Quia intellectiuum poteſt ex modo cognoſcendi præſcindi à volitiuo vt per ſe patet. Alioquin ne dubitari quidem poſſet de quæſtione propoſita. Ergò volitiuum non eſt de conceptu intellectiui. Illa autem, quorum alterum non eſt de conceptu alterius, non repugnat abſolutè, vt ſeparentur realiter.

2. Non omnis intellectio eſt illatiua volitionis. Ergò nec omne intellectiuum eſt volitiuum. Patet conſequentia, quia ſicut ſe habet actus ad actum, ita potentia ad potentiam. Probatur antecedens, quia cognitiones purè ſpeculatiuæ, vt duo & tria ſunt quinque, nullam habent vim excitandi vllum affectum, eumue inducendi. Probatur rurſus idem antecedens, quia Deus concipere poteſt decretum efficax non concurrendi cum Petro ad vllum actum voluntatis, ex quo peruenerit ad tale inſtans determinatum, atque idem decretum poteſt pro eodem inſtanti à Deo reuelari Petro, qui ſimiliter poteſt actu fidei aſſentiri

tali reuelationi. Quæ quidem omnia apparent ex terminis omninò poſsibilia. Talis autem actus fidei eſſentialiter eſt incompoſſibilis cum omni actu volendi. Quia ſi induceret aliquem actum voluntatis, eo ipſo redderetur falſa reuelatio Dei, cum qua eſſentialiter connectitur idem actus.

3. Non eſt de conceptu virtutis ſenſitiuæ connexio intrinſeca cum appetitu ſenſitiuo. Ergo neque eſt de conceptu virtutis intellectiuæ connexio cum appetitu rationali, ſeu voluntate. Patet conſequentia, quia ſicut ſe habet ſenſus ad appetitum ſenſitiuum; ita ſe habet intellectus ad voluntatem. Patet idem antecedens, quia ſenſus externi verè percipiunt ſua obiecta; & tamen nullum per ſe ipſos inducunt actum appetendi, vt fert communis auctorum conſenſus, & probatur ex eo efficaciter, quia cognitio boni abſque actu æſtimatiuæ non mouet appetitum, vt dicit Philoſophus. Eſtimatiua autem nulla datur in ſenſibus externis, vt per ſe patet.

4. Cui repugnat appetitus, repugnat etiam voluntas, quia voluntas ſub appetitu continetur; vt tradit Philoſophus lib. 3. de Anima à tex. 48. Poſſibile autem eſt intellectiuum, cui repugnet appetitus. Quia appetitus eſt actus imperfecti, vt pote non habentis adhuc quod appetit. Poſsibile autem eſt intellecti-

uum

uum perfectum, ſeu non imperfectum, atque huiuſmodi intellectiuum eſt Angelus, qui à primo inſtanti conſequitur ex natura rei totam perfectionem ſibi connaturalem, cuius abſolutè eſt capax, ac proinde nihil ſupereſt, quod naturaliter appetere poſsit. Ergo poſsibile eſt, & de facto datur intellectiuum, nempe Angelus, cui repugnat voluntas.

Art. 1. Reſpondetur. Certum eſt ex pluribus ſcripturæ locis Angelis ineſſe voluntatem, vt patet ex illo Pſal. 102. 21. *Benedicite Domino omnes virtutes eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius*, vtique voluntariè, & laudabiliter, atque ex electione propria, tanquam boni miniſtri Dei. In hunc nimirum ſcopum id ibi effertur de Angelis. Apoc. 7. vnus Angelus clamat ad alios, *Nolite nocere terræ, & mari.* Eiſdem tribuitur deſiderium 1. Petri 1, 12. *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Et ſimiliter, 2. Petri 2. Tribuitur eiſdem peccatum, vt multa alia prætermittam, quæ proferentur in decurſu.

Art. 2. Quæritur iam ratio à priori huius veritatis, eamque reddit D. Thomas quæſt. 59. Art. 1 Ex connexione intellectiui cum volitiuo, ſeu ex repugnantia metaphyſica intellectiui ſine volitiuo. Qua eadem ratione vtitur etiam quæſt. 19. art. 1. pro aſtruenda voluntate in Deo. Sed eſt hic locus opportu-

portunior pro diſcutienda iſta controuerſia. Quia pro exiſtentia voluntatis in Deo ſunt aliæ rationes manifeſtiores, quã quæ fundatur in conceptu intellectiui, vt ſic; cum pro aſtruenda eadem in Angelis vniuerſaliter omnibus, nulla occurrat manifeſtior aut efficacior ratio. Eò, vel maximè, quia ſi eſſet poſſibile intellectiuum non volitiuum, eſſet admittendum exiſtens de facto, vt neceſſarium ad complementum adæquatum vniuerſi, vt colligi poteſt ex dictis quæſt 1. circa neceſſitatem rerum omnis generis pro perfectione operis diuini adæquatè ſumpti. Connexionem porrò intellectiui cum volitiuo ex ſuo conceptu vniuerſali probat primo D. Thomas à poſteriori per inductionem. Quia videmus ad formam naturalem conſequi appetitum naturalẽ, ſeu innatum; ad formam apprehenſam per ſenſum, conſequi appetitum ſenſitiuum, atque ad formam intellectam conſequi appetitum intellectualem, idque ita apparet manifeſtè in omnibus, quæ certò, ac diſtinctè nouimus. Ergo par eſt credere, vim appetitiuam vniuerſaliter eſſe vnicuiuis ordini rerum eſſentialiter deuinctam iuxta naturam cuiuſque. Ergo ad gradum etiam intellectiui conſequitur neceſſariò, & eſſentialiter gradus volitiui.

Art. 3. Probat rurſus à priori. Quia Deus, cum ſit ipſa eſſentia bonitatis, quid-

quidquid operatur, operatur ex intentione boni, & omnia ordinat ad bonum, quantum, & qualiter vnumquodque capax eſt, nec oppoſitum contingere poteſt. Quia ſcilicet contingere non poteſt vt Deus non operetur quatenus bonus, & ex intentione boni. Eadem igitur neceſſitate, qua rebus ſenſu, ratione, & intellectu carentibus neceſſariò indit appetitum innatum, per quem formaliter ordinantur ad omne bonum, cuius ſunt capacia, indit etiam appetitum ſenſitiuum ſétientibus, rationalem ratione præditis, & intellectualem intelligentibus. Alioquin non eſſet ęqualis neceſſitas ordinandi ad ſuum bonum, quæ ſunt meliora, ac præſtantiora, nempe ſenſitiua rationalia, & intellectualia, atque ordinandi quæ ſunt imperfectiora, ac viliora, nempe carentia omni virtute cognoſcitiua. Nec enim dici poteſt ſufficere ordinationem, quæ ineſt appetitui innato, vt ſententia, ac intelligentia ordinentur, quatenus talia ad omne ſuum bonum. Primo, quia ſenſus & ratio, & intellectus, maximè verò ratio, & intellectus ſunt ad oppoſita, cum appetitus innatus ex ſuo conceptu ſit determinatus ad vnũ in vnoquoque nec ſit variabilis iuxta varietatem obiectorum occurrentium, iuxta quam variantur ſenſiones, maximè verò ratiocinationes, & intellectiones. Deinde bonum apparens eſt quoddam genus boni-

tatis diſtinctum realiter a toto genere bonitatis purè phyſicæ ac obiectiuæ eidemque ſuperadditū. Quod ex eo haud obſcurè deprehenditur. Quia quādo cognoſcitur aliqua veritas, aut conſideratur aliquod pulchrum, non ſolum placet, quod cognoſcitur, aut conſideratur ſecundum ſe, ſed etiam & maximè quatenus cognitum, & conſideratum. Vnde fit, quod vnicuique placeat ſua, de re qualibet, opinio, etiamſi res ſit mala, neque quieſcit voluntas habita apud ſe re pulchra, vt imagine eximia, niſi detur eā conſiderare, eademque frui, vt conſiderata. Patet itaque per intentionalē perceptionem cuiuſuis obiecti, etiamſi malū ſit in ſe, ſuperaddi peculiarem aliquam rationem bonitatis. Neceſſe igitur eſt, vt detur peculiaris vis appetitiua in quocūque datur intentionalis obiectorum perceptio. Ne nimirum detur aliqua ratio bonitatis in aliquo, ad quam ipſum non ſit congruenter ordinatum.

Art. 4. Adde, intellectiuum, cum complectatur totam rationém entis vniuerſaliter, eſſe ſimultaneè perceptiuum eorū, quæ ſimul dari non poſſunt, nempe inuicem oppoſitorum. Poteſt enim percipere contradictoria, eiſdem ſeorſim, ac ſucceſſiuè aſſentiri. Neceſſe igitur eſt, vt illi ſit adiuncta vis appetitiua ſimiliter vniuerſalis, & quæ flecti ſimiliter poſſit ad oppoſita. Huiuſmodi autem eſſe nequit

in-

innatus appetitus, vt pote determinatus ad vnum. Ne igitur perperam detur, ſitq; eſſentialiter fruſtra vis eiuſmodi perceptiua oppoſitorum, neceſſe eſt, vt illi ſit coniuncta vis appetitiua intellectualis, ſeu voluntas. Adde rurſus motû, & quietem vniuſcuiuſque circa bonum ſuum, debere eſſe magis, vel minus perfectum iuxta menſuram perfectionis entitatiuæ conuenientis vnicuique. Quia bonum, cuius eſt capax aliquid in ſe perfectius, eſt & ipſum perfectius, ac maius. Motus autem ad bonum maius, eſt maior, & maior in eodem quies. Quod ſi bonum ſit extrinſecum, nec vnitum phyſicè ei, cui eſt bonum, motus, & quies in ipſum, & in ipſo neceſſariò diſtinguetur à bono mouente, & quietante. Intellectiuum autem eſt capax percipiendi omnem rationem boni, ipſumque ſummum bonum. Oportet igitur, vt detur in intellectiuo, tùm motus, tùm etiam quies circa omnem rationem bonitatis, & circa ipſum ſummû bonum; ita vt ſua perfectione, ac præſtantia correſpondeant vniuerſalitati, & magnitudini tanti boni. Huiuſmodi autem eſſe nequeunt motus, & quies, quales conſequuntur ad vim appetitiuam innatam. Quia cum appetitus innatus inſit vniformiter rebus etiam viliſſimis, ex ſuo conceptu eſt viliſſimus. Debet igitur ſuperaddi vis intellectualiter appetitiua, quæ eſt voluntas. Addę tertiò, ſubſtan-

tiam purè intellectiuam, & non volitiuã fore inutilem vniuerſo, omnibuſque intrinſecè tædioſam, quæ cuncta obſeruaret, atque obſeruando ità ſemper ſtupide hereret, vt nullirei, ne quidẽ ſibi quidquã vnquã prouideret, atque ideò cunctis eſſet eſſentialiter inamabilis. Quale nil in natura dari poteſt, vtpotè auctorem habente ſapientiſſimum, & optimum, qui omnia amore connectit mutuo, neque quidquam facit cæteris vniuerſaliter omnibus prorſus inutile. Adde poſtremo vim intellectiuam, eſſe vim adductiuam omnium indiſcriminatim ad ſe Quia eſt potentia ex ſuo conceptu vniuerſaliter ad omnia, eaque vniuerſalitas eſt coniuncta cum vi transformandi omnia in ſe. Quia intelligens actu eſt intellectum in actu, vt ſuperius dicebatur ex Philoſopho. Ergo neceſſe eſt vt in intellectiuo detur appetitus ſimiliter vniuerſalis, & commenſuratus vniuerſalitati virtutis intellectiuæ, per quem poſſit vniuerſaliter adhærere ijs omnibus, quæ intellectiuum ad ſe trahere, & ſua quodammodo facere poteſt. Alioquin fieri poſſet, vt aliquod bonum, & aliquo modo perperam ineſset alicui. Ita nimirum, vt illi adhærere non poſset modo adhæſionis, quæ congrueret modo habitionis. Cum ergo Deus nihil perperam facere poſſit, vel quoad ſubſtantiam, vel quoad modum, neque quidquam quoad aliquid ſui perperam eſſe

poſ-

poſſit eſsentialiter, patet intellectiuum nullum dari poſse quod non ſit volitiuū. Oſtenſum autem eſt prius, Angelos eſse intellectuales, Conſtat ergo eoſdem eſse volitiuos, ſeu voluntate præditos.

Ad 1. Non omne quomodolibet pręſcindibile ab aliquo, eo ipſo eſt ſeparabile ab eodem realiter, & à parte rei. Alioquin prædicata, quæ ſunt inuicem conuertibilia ex omnium confeſſione, forēt nihilominus ſeparabilia realiter, Quia quoduis eorum eſt præſcindibile à reliquis per intellectum cognoſcentem imperfectè, & inadæquatè, in ordine ad diuerſa connotata. Et ſimiliter eſſent ſeparabiles realiter mutuò gradus ſuperiores, & inferiores. Separabilitas igitur realis duplicis conceptus obiectiui ſolum infertur rectè ex ſeparabilitate intentionali vtriuſque in intellectu perfectè, & adæquatè percipiente quidditatē vtriuſque. Hoc autem pacto non eſt ſeparabilis formalis conceptus intellectiui à conceptu formali volitiui, vt patet ex dictis.

Ad 2. Falſum imprimis videtur, poſſibilem eſſe aliquam intellectionem, quæ non ſit inductiua alicuius volitionis. Quia quælibet intellectio percipit, & iudicat ſe eſſe veram, atque adeò repræſentat in ſe eximiam rationem bonitatis, quæ eſt de conceptu veritatis, Allicit ergò per ſe ipſam ad amorem ſui, eumque inducit ex ſua natura. Et quidem cognitiones

ſpeculatiuæ eum inducunt vehementiſſimum. Quia ſpeculationes delectant vehementer ſpeculantem, & nemo eſt, cui ſpeculationes ſuæ non placeant per ſe ipſas, nullaque interpoſita cognitione practica. Vnde quod cognitio ſpeculatiua non habeat de ſe afficere, & mouere voluntatem, verificatur de ipſis ſolum relate ad obiecta ipſarum, quæ contingit eſſe mala, ideòque non appetibilia, non verò comparatione ſui. Quod dicitur de reuelatione Dei, dicitur cum ſuppoſitione voluntaria, quod Deus facere poſſit reuelationem omninò abſurdam. Quid enim abſurdius eſſe poteſt, quam Deum ſupernaturaliter illuminare intellectum alicuius, ita vt placere ipſi nequaquam poſſit talis illuſtratio, & reuelatio Dei, idque ex natura ipſa reuelationis, & illuſtrationis, cum Deus per omnem ſuam illuſtrationem creatorum intellectuum, hoc vnice intendat, vt intelligentes trahat ad ſe, eiſdemque placeat. Hoc prætereа eſt ſatis diſſonum dari aliquem actũ fidei ſupernaturalem, quique ſit donum ſupernaturale gratiæ Dei, & nihilominus ſit deterioris conditionis, quàm cognitio quælibet naturalis etiam viliſſima. Nulla ſiquidem eſt cognitio naturaliter poſſibilis, vt liquet ex ratione modo data, quæ non poſſit aliquatenus delectare voluntatem. Deinde tranſmiſſo ſponte eſſe poſſibiles, aut etiam dari de facto intel-

le-

lectiones eſſentialiter ſteriles affectuum, negatur valere inde conſequentia ad poſſibilitatem ſubſtantiæ intellectiuæ, quæ volitiua non ſit. Quia, vt dicebatur in ſimili quæſt. 11. ad 1. perfectiones accidentales ſubſtantiarum non participant adæquatè totam ſui generis perfectionem, ſed multiplicantur cum inadæquata eius participatione, atque in multiplicis muneris exercitium diſtribuuntur, prout inte: eſt ſubſtantię, cui inſunt, & quæ eſt finis proximus, ac immediatus ipſarum. At ſubſtantia exiſtit gratia ſui, & eſt quid perfectum in genere ſuo, ideoque continet in ſe totam perfectionem adæquatè, quæ eſt de conceptu eiuſdem generis. Vnde ſi interſit ſubſtantiæ intellectiuæ habere intellectiones non ordinatas intrinſecè, nec ordinabiles ad volendum, habere illas omninò poterit. At fieri nullo pacto poterit, vt nullas habere poſſit intellectiones feraces affectuum. Quia, hoc intereſſe ipſius nunquam poteſt. Repugnat enim conceptui adæquato perfectionis, quæ eſt propria ſubſtantię intellectiuæ, vt patet ex dictis.

Ad 3. Probabilius imprimis eſt ad ſenſiones exteriores ſubſequi delectationem vel dolorem, ſeu triſtitiam iuxta naturā obiectorum congruentium, vel non congruentium vnicuique potentiæ exteriori. Cui exiſtimationi videtur ſuffragari experientia, qua quiſque in ſe deprehendit

eiuſmodi voluptatem, & triſtitiam, cum primum per vnamquamlibet potentiam ſenſitiuam percipit obiectum conſonum, vel diſſonum eidem potentię, atque ſubſtantię ipſi, quatenus cooperatur potentiæ. Vnde actus æſtimatiuę, pro vt diſtinctus à ſimplici qualicumque perceptione obiecti non videtur requiſitus ad actum, ſeu delectationis, ſeu triſtitiæ circa bonum, & malum præſens, ſed ſolum ad proſecutionem, & fugam operationis in ordine ad conſecutionem boni, vel repulſionem mali. Tranſeat deinde ſenſiones exteriores non eſſe immediatè inductiuas vllius appetitionis, ſeu affectus. Negatur tamen eaſdem ſaltem mediatè non eſſe ordinatas ad excitandos affectus conuenientes animali. Quia intrinſecè ordinantur ad ſenſiones internas, & ad actū æſtimatiuæ ex qua reſultat affectus, qui congruit conditioni cuiuſque obiecti.
Nec eſt poſſibile, vt detur aliqua potentia exterior ſenſitiua, quæ non ita ordinetur ad internam ſenſionem, & ad appetitionem inde reſultantem; Intellectus autem eſt ſuprema potentia cognoſcitiua, nec poſſunt eius actus ordinari ad actus potentiæ alterius ſuperioris, vt accidit in ſenſibus, ideoque neceſſe eſt, vt actus intelligendi ordinentur immediatè ad affectus; ſicut neceſſe eſt, vt ſenſiones exteriores ordinentur ad eoſdem ſaltem mediatè.

Ad

Ad 4. Voluntas denominatur ab appetitu. Quia plura ſunt bona, quibus caremus, dum ſumus in via, quam quæ habemus, & pluries contingit vt deficiamus, quam vt abundemus etiam; quoad ea, quorum ſumus capaces in via, ideòque appetendo potiſſimum, & quęrendo vitam agimus, & impendimus vires voluntatis. Cæterùm voluntas ex ſuo conceptu non eſt principaliter ordinata ad actũ appetendi, ſed magis ad actum fruendi, vt pote habentem rationem finis. Quapropter in Angelis, quo minor eſt naturaliter indigentia, maiorque ſufficientia, eò eſt maior ratio, vt voluntate præditī ſint. Quanquam nec appetitio propriè dicta denegari Angelis debet, tùm quia pluribus naturaliter indigent à primo ſuę creationis inſtanti pro conſecutione ſui vltimi finis, vt infra dicetur; tùm quia plura oportet eos, etiam dum beati ſunt, appetere in ſubuentionem aliorum quorum cura, & prouidentia commiſſa ſibi eſt.

QVAE-

QVAESTIO XVIII.

Vtrum intellectus, & voluntas Angeli ſint potentiæ diſtinctæ inter ſe, & ab eius ſubſtantia?

VIDENTVR eſſe diſtinctæ tum inter ſe, tum maximè à ſubſtantia Angeli. 1. Quia Sancti PP. per hoc communiter diſtingunnt à Deo ſubſtantias omnes creatas, quod in ſolo Deo ſint idem eſſentia, potentia, & operatio: Ita docet in primis Dionyſ. de Cæleſ. Hierar. cap 11. agitque de Angelis determinate Idem docet de homine, ſed ratione Angelis quoque cōmuni D. Auguſt. lib. 6. de Trinit cap. 6. dicens, animam humanam deficere à ſimplicitate diuina propter multitudinem operationum, & virtutum. Atque lib. 15. cap. 7. docet ſuse mentem diſtingui ab anima, nec potentiam hominis eſſe hominem. Eadem vero ratio eſt de potentia Angeli, & Angelo. Anſelmus vero lib. de caſu Diaboli cap. 8. loquitur de Angelis reprobis, & dicit, potentias eorum, licet non ſint eorumdem ſubſtantiæ, ac eſſentiæ, non tamen eſſe nihil, ſed eſſentias nihilominus aliquas, & lib. de concep. Vir-

gi-

ginali cap. 4. eodem modo, & ratione diſtinguit potentiam à ſubſtantia creata, quo operatio diſtinguitur ab vtraque. Accedit communis in eamdem rem Theologorum conſenſus cum D. Thoma quæſt. 59 art. 2. & alibi ſæpe. Videtur autem non poſſe deſeri abſque manifeſta temeritate ſententiam tanto auctoritatis pondere præmunitam.

2. Vitales omnes potentiæ habent rationes, & definitiones diuerſas à ratione & definitione ſubſtantiæ. Oportet autē ea eſſe diſtincta, quorum ſunt diuerſæ definitiones, & conceptus quidditatiui.

3 Vnaquęque ſubſtantia per ſe, & ex ſe præcisè, eſt ad ſe, & intra ſe manet, nec extenditur ad ea, quæ ſunt extra, niſi per aliquid ſibi ſuperadditum, vt patet in rebus corporalibus. In ijs enim forma per ſe ipſam ordinatur ad materiā, & materia ad formam, & vtraque ad eſſe compoſiti. Ad ea verò, quæ ſunt extra, ordinantur per qualitates ſibi ſuperadditas, vt ad locum per leuitatem, & grauitatem, & ad gignendum per qualitates actiuas. Similiter ergo ſubſtantia Angeli per ſe præcisè manet in ſe abſoluta ab omni ordine ad ea, quæ ſunt extra ipſam, atque ad eadem ordinatur per potentiam intellectiuam, volitiuam, & executiuam ſibi realiter ſuperadditas.

4. Diuerſitas actuum arguit diuerſitatem potentiarum. Quia diuerſi actus ſunt

ſunt diuerſorum, vt fert commune Philoſophorum axioma. Exiſtentia autem eſt actus diuerſus ab operatione, eidemque correſpondet eſſentia rei, quam actuat immediatè. Ergo operatio correſpondet non eidem eſſentiæ, ſed potentiæ ab eſſentia diſtinctæ, ipſamque ſolam actuat immediatè, & mediatè eſſentiam, ſicut è conuerſo exiſtentia eſſentiæ actuat in eſſe omnia accidentia, quę illi inſunt. Quæ ratio probat à fortiori, voluntatem, & intellectum eſſe potentias inter ſe diſtinctas realiter. Quia intelligere, & velle ſunt actus valde diuerſi, ac proinde ſpecificant potentias diuerſas. Confirmatur quoad hanc partem poſteriorem. Quia potentię ſpecificantur ex actibus, ſicut actus ex obiectis. Ergo ſicut diuerſitas veri, & boni inducit diuerſitatem inter intelligere, & velle, ita diuerſitas inter iſtos actus prę ſupponit diuerſitatem inter potentiam intelligendi, & volendi. Confirmatur rurſus, quia alioquin eſſet verum intellectu nos, & Angelos velle, atque voluntate intelligere. Quod apparet abſurdum.

5. Operatio ſubſtantiæ creatæ diſtinguitur ab ipſa realiter, nec fieri poteſt, vel etiam de potentia Dei abſoluta, vt aliquod intelligens, aut volens creatum ſit ſua intellectio, aut volitio, & ſic de ſimilibus actionibus. Quod eſt in confeſſo apud omnes, Ergo & potentia operatiua

ſub-

ſubſtantiæ creatæ diſtinguitur ab ipſa eodem modo. Patet conſequentia. Quia eadem finitæ, ac limitatæ perfectionis ratio impedit, quominus ſubſtantia creata identificet ſibi ſuam virtutem operatiuam, quæ impedit, quo minus identificet ſibi ſuam operationem, nec apparet vlla quoad hoc ratio diſcriminis ſatis idonea.

Art. 1. Reſpondetur: Certum eſt vniuerſaliter nulli ſubſtantiæ creatæ identificari aliquam virtutem actiuam adæquatè; ita vt nullo prorſus indigeat à ſe realiter diſtincto ad operandum, & ad exercendam qualemcumque actionem. Quia quælibet ſubſtantia creata impediri abſolute poteſt, ſaltem de potentia abſoluta Dei, quominus aliquid agat, & fieri poteſt, vt exiſtat, quin aliquid agat. Indiget ergo remotione ſaltem impedimenti, vt agat, & operetur actualiter, atque ea remotio eſt diſtincta realiter à ſubſtantia rei. Ergo potentia quælibet rei creatæ, quatenus intelligitur adæquatè completa, & in actu primo proximo conſtituta, includit in ſe aliquid diſtinctum à ſubſtantia rei operantis. Præterea ſubſtantia intellectiua, & volitiua indiget alijs etiam adminiculis poſitiuis, ſibi ſuperadditis, vt intelligat, ac velit, indiget namque ad volendum cognitione præuia obiecti volibilis, & ſimiliter ad intelligendum indiget ſpecie impreſ-

ſa

ſa obiecti intelligibilis, ſi quidem hoc ſit diſtinctum ab ipſa ſubſtantia intellectuali. Vt verò ipſa ſeipſam intelligat, indiget ſaltem ceſſatione ab alijs operationibus potentibus impedire exercitium cognitionis erga ſe. Quæ patent ex dictis ſuperius, neque in dubium reuocari poſſunt, quod ad ſubſtantiam doctrinę attinet, licet quoad modum ſit aliqua opinionum diuerſitas, quę tamen nihil nocet ſcopo præſenti. Conſtat enim ex iſta notatione potentiam intelligendi, & volendi, & quamlibet aliam cuiuslibet ſubſtantiæ virtutem operatiuam includere in ſuo conceptu adæquato aliquid aliquo tandem modo diſtinctum realiter ab ipſa ſubſtantia ſecundum ſe præciſè conſiderata. Vnde non in hoc ſenſu, ſed in alio longe diuerſo agitur ab omnibus de quæſtione propoſita. Quæritur enim, an potentia intellectiua, & volitiua ita diſtinguantur à ſubſtantia intellectuali, vt tota ratio virtutis immediatè actiuæ ſit penes potentias diſtinctas realiter à ſubſtantia, ipſaque ſubſtantia ſit operatiua tantum mediatè, & vt quo? Quæ videlicet operetur tantummodo per potentia à ſe diſtinctas, ſicut artifex ſecat lignum, vel pingit tabulam inſtrumento à ſe realiter diſtincto; ſolùmque ſit diſcrimen, quod potentia intelligendi, & volendi ſit inſtrumentum coniunctum; cum ſerra, & penicillus, aliaque ſimilia, ſint inſtrumen-

mentum ſeparatum. Affirmant eiuſmodi diſtinctionem realem D. Thomas quæſt. 59. art. 2. & alibi ſæpe poſt Alenſem p. 2. quæſt. 21. mem. 1. Vaſquez, Suarez, alijque complures. Negant verò Scotus diſt. 16. quæſt. vnica, & in 4. diſt. 12. quęſt. 3. Durandus diſt. 3. quæſt. 5. nec non Leſſ. Aegid. Con. Martinon, & alij.

Art. 2. Mihi videtur aliquanto probabilior poſterior hęc ſentētia. Primo quia quò vnumquodque eſt perfectius, eo magis participat perfectionem eſſentię diuinæ. Subſtantia autem intellectualis eſt perfectior omnibus ſuis accidentibus, ſaltem connaturalibus. Quia eſt eorum finis & prima radix. Cum ergo natura diuina ſit immediatè operatiua, atque hoc ad eius perfectionem pertineat, negari minime debet, quin ſubſtantia intellectiua ſit ſimiliter immediatè operatiua, potiùs quam accidens aliquod eidem ſubſtātiæ connaturale. Maxime cum identitas ſubſtantiæ cum virtute aliqua immediatè actiua non ſit ex ſuo conceptu perfectio infinita. Quod præter quam apparebit clarius ex ſolutione argumentorum in contrarium, ex eo etiam ſuadetur. Quia qui aſſerunt potentias ſubſtantijs creatis ſuperadditas, non dubitant, quin eæ proficiſcantur à ſubſtantià immediatè, ne detur proceſſus in infinitum, ſi dicatur, eas potentias procedere à ſubſtātia per alias rurſus potentias, & has per alias.

Art.

Art. 3 Quod autem dici conſueuit potentias procedere à ſubſtantia, non per effectionem, & cauſalitatem propriè talem, ſed per reſultantiam, ſeu per ſimplicem emanationem nihil re ipſa eſt. Quia ſi potentiæ ita emanant, ſeu reſultant à ſubſtantia cuius ſunt, vt cauſa efficiens ipſarum adæquata non ſit adæquate diſtincta ab eadem ſubſtantia, parum, immo nihil intereſt, qua voce ſignificetur partialis cauſalitas, & influxus ſubſtantiæ in potentias. Quia quocumque modo id exprimatur, ac explicetur, perinde valet ad propoſitum. Si verò nomine emanationis, & reſultantiæ intelligatur ſola, & mera exigentia ſuarum proprietatum in vnaquaque ſubſtantia, atque tota ratio cauſæ ſit extra eamdem ſubſtantiam, quo recurrit Valentia quæſt. 5. punc. 3. ad ſecundum. Contra eſt primo, quia eodem modo dici poſſet, nullam cauſam creatam, ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem verè, & propriè efficere vllum omninò effectum, Quam exiſtimationem meritò dicit D. Thomas eſſe ſtultam. Probatur ſequela, quia fundamentum vnicum, vel certe præcipuum tribuendi ſingulis quibuſque cauſis creatis veram, ac propriam efficientiam reſpectu peculiarium effectuum, fundatur in experientia, qua conijcimus quoſdam effectus exiſtere in præſentia quarumdem cauſarum, alios verò

verò in præſentia aliarum, eoſdemque non dari ijſdem abſentibus; ſimulque dari mutuam proportionem, & iuſtam correſpondentiam perfectionis repertæ in talibus, & effectibus, & cauſis. Hæc autem duo eminent multò magis in vnaquaque ſubſtantia reſpectu ſuarum proprietatum. Quæ videlicet participant plurimum de perfectione ſuarum ſubſtantiarum, ijſdemque præſentibus protinus exiſtunt ſumma cum neceſſitate naturali, & cum eadem ijſdem deficientibus deficiunt. Ergo ſi nihilominus liceret dicere proprietates non produci verè, & propriè à ſubſtantia, cuius ſunt, ſed ad exigentiam eius produci adæquatè ab alia cauſa; dicere ſimiliter liceret, omnes alios effectus procedere à cauſis ſecundis ſolum impropriè ratione exigentiæ, & abſque vlla ipſarum efficientia propriè tali. Deinde poſitis potentijs diſtinctis realiter à ſubſtantia, effectus deinde conſequentes dicuntur effici verè, & propriè ab eis potentijs, & non tantum reſultare ex illis exigitiuè, & non aliter: Impoſſibile autem eſt, aſsignare rationem, cur aliter procedant potentiæ à ſubſtantia, quam vlteriores alij effectus ab ijſdem potentijs. Contra tertio, quia aqua calefacta perinde redit vi ſua ad priſtinam frigiditatem, atque frigefacit alia corpora, dum ipſa frigida eſt. Ergo vtrobique agnoſci debet idem ge-

nus propriæ cauſalitatis, & efficientiæ. Maneat itaque non eſſe contra rationem finitæ, ac limitatæ perfectionis identitatem ſubſtantiæ cum aliqua virtute immediatè actiua, & efficienti verè, & propriè; immò congruere magis ſubſtantiæ, quam accidenti eiuſmodi identitatem cum vi actiua immediata, propter maiorem ſubſtantiæ quam accidentis ſimilitudinem cum Deo, & propinquitatem ad diuinam perfectionem.

Art. 4. Accedit vnamquamque ſubſtantiam, per ſe ipſam, ordinari immediate ad ſuam operationem. Quia vnumquodque intrinſecè ordinatur per ſe ipſum ad finem ſuum. Vniuſcuiuſque autem ſubſtantiæ finis eſt ſua operatio. Quod cum de omnibus ſubſtantijs ſit communiter receptum, de ſubſtantijs intellectualibus peculiari ratione eſt certiſſimum, Quia fælicitas, & beatitudo ipſarum conſiſtit in operatione perfectiſſima, & conſequenter felicitas inchoata conſiſtit in operationibus minus perfectis, vt liquet ex dictis quæſt. 3. de act. hum. ex Philoſopho, exque aliorum vnanimi conſenſu. Quod ſi ob hanc rationem negari non poteſt, quin ſubſtantiæ maximè intellectuales non ita maneant in ſe, ſintque totaliter ad intra ex ſe præcisè, vt non referantur per ſe ipſas immediate ad ſuas operationes; negari profectò non debet, eaſdem ſub-

ſtan-

ſtantias referri quoque intrinſece, ac immediate ad eaſdem operationes in ratione cauſæ efficientis, & virtutis actiuæ. Nempe ſicut ſunt perfectibiles per ſuas operationes, ita etiam ſunt præhabentes perfectionem, quam communicare poſſint operationibus effectiuè.

Qua propter tam ſunt habiles ex ſuo conceptu, vt referantur ad operationes immediatè in ratione ſubiecti perfectibilis, quàm in ratione cauſæ, & virtutis actiuæ potentis ex ſe refundere perfectionem. Certè ex hac paritate vt minimum concluditur non ſubſiſtere rationem illam fundamentalem aduerſariorum ſuperius propoſitam de conceptu ſubſtantiæ manentis in ſe, quantum eſt ex ſe præcisè, nec ordinabilis ad extra, niſi per aliquid ſibi ſuperadditum.

Art. 5. Accedit rurſus actiones eſſe ſuppoſitorum, atque ſubſtantijs potius, quam accidentibus, quæ illis in ſunt, attribui operationes, idque per ſe, quando operationes ſunt connaturales, & non tantum per accidens, ſicut cum dicitur calefacere aqua calida. Quod tamen verificari minime poſſet, ſi ſubſtantiæ nō eſſent immediatè operatiuæ. Quia rei nihil agenti per ſe ipſam immediatè, nulla actio attribui proprie poteſt, ſicut nec paſsio attribui poteſt nihil patienti immediatè. Neque verò dici poteſt, ſubſtantias agere vt quod, potentias vero

ſupe-

ſuperadditas tantum vt quo, quatenus ex ſua natura ſunt inſtrumenta ſubſtantiarum, & agunt ſolùm vt motæ à ſubſtantijs. Quia impoſsibile eſt, inſtrumentum agere aliquid immediate, nihil præagente, aut coagente immediatè eo, cuius eſt inſtrumentum, idemque inſtrumentum moueri à cauſa principali, quin eadem cauſa principalis producat per ſe immediate actionem, qua moueat. Quod ſane in inſtrumentis ſeparatis eſt perquam manifeſtum ad ſenſum. Nnnquam enim fieri poterit, vt moueatur, & actionem ſuam exerceat immediatè ſerra, aut penicillus, quin prius exiſtat actio motiua, per quam faber lignarius, aut pictor vtatur inſtrumento ſuo. Eadem autem eſt ratio de inſtrumento coniuncto, ſi quidem non minus propriè inſtrumentum eſt, quàm quod eſt ſeparatum. Nihil enim facit ratio intrinſeci, vel extrinſeci, quominus aliquid dicatur moueri à ſe, & non purè inſtrumentaliter, ſi nulla datur actio alterius, per quam moueatur. Sin minus rogo quodnam ſit verum, & reale ſignificatum harum vocum? potentia mouetur nunc ad agendum à ſubſtantia, cuius eſt inſtrumentum; eadem ab eadem nunc non mouetur, quarum altera verificatur, quando potentia operatur, altera quando non operatur. Si enim ſubſtantia perinde nihil agit immediate per ſe ipſam pro

vtra-

vtraque temporis differentia, perinde pro neutra mouet, atque ideò perinde pro neutra mouetur potentia, quod ad rem ipſam attinet. Vnde diuerſitas illa vocum eſt prorsùs inanis, vtpote deſtituta omni diuerſitate obiectiua, ſupra quam cadere poſſit. Quod verò nonnulli dicunt potentiam moueri à ſubſtantia, non per actionem, quam immediatè producat ipſa ſubſtantia, ſed per eandem illam ſolam, quam immediate producit ipſa potentia; id verò eſt mirabile, ne quid dicam aliud. Quid enim mirabilius, quam id mouere immediatè, quod nullius eſt principium immediatum actionis; id verò moueri, quod ſolum eſt principium immediatum actionis. Iam quòd rurſus dicitur ſubſtantiam eſſe principium quod, & potentiam principium quo, non magis ſubſiſtere poteſt, quam primum. Quia ſi ſubſtantia ſecundum ſe præciſe conſiderata perinde ſe habet, quando datur operatio, & quando non datur, To *quod* erit additum diminuens, atque alienatiuum vocis præcedentis, ſicut quando dicitur homo pictus, nihilque relinquet in ſubſtantia, ratione cuius cum veritate, & proprietate dici poſſit mouere potentiam, aut aliquo tandem modo agere. Concedendum itaque eſt, ſubſtantias eſſe præditas virtute aliqua actiua immediate, indiſtincta realiter ab ipſis.

Art. 6. Verum iſtæ rationes vrgent multo magis in opere intelligendi, & volendi, alijſque operationibus vitalibus, præſertim intentionalibus. Quia ſubſtantia eſt, quæ intelligit, & vult, videt, audit, progreditur &c. Et non accidens aliquod inhærens ſubſtantiæ. Intelligere autem, & velle, & ſic de alijs eiuſmodi, eſt aliquid agere. Quo quid notius eſſe poſſit ego non video, eſtque notiſſimum ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. vti ponderatum eſt quæſt. 18. de gratia poſt med. Ergo ſubſtantia eſt, quæ producit immediatè intellectionem, volitionem, aliaſque operationes vitales. Implicat enim in terminis intelligere, & velle, eſſe agere, & non immediatè, atque ratione ſui conuenire ipſum agere, cui immediatè, atque ratione ſui conuenit ipſum intelligere, & velle. Profectò ſi intellectio, & volitio non afficerent immediatè ſubſtantiam per immediatam vnionem realem ſui cum ſubſtantia, non poſſent eam reddere immediatè intelligentem, & volentem. Ergo neque poſſent id ipſum præſtare, niſi procederent ab ea ſubſtantia itidem immediatè per veram realem actionem exercitam à ſubſtantia per ſe ipſam. Patet conſequentia. Quia intelligere & velle æquè, eodemque modo includunt in ſuo conceptu vnionem intellectionis, & volitionis, cum intelligente, & volente, atque

pro.

proceſsionem,& effectionem earum dem ab eodem. Ergò ſi intellectio,& volitio non vnitæ immediatè non poſſunt reddere immediatè intelligentem, & volentem ſubſtantiam, neque poterunt eumdem effectum præſtare, quin eodem genere immediationis procedant efficienter ab eadem ſubſtantia.

Art. 7. Quòd ſi ob hæc omnia neceſſe eſt, vt omninò videtur, neceſſe eſſe, concedere ſubſtantijs, maximè intellectualibus vim actiuam immediatam realiter indiſtinctam ab ipſis, non videntur ſuperaddendæ præterea potentiæ accidentales vniuerſales, per quas ſimul operentur mediatè. Primo quia perfectio intellectionis, & volitionis non eſt tanta ex ſuo conceptu, quæ non poſſit contineri adæquatè in ſubſtantia intellectiua, vt coniuncta, pro intellectione quidem, cum ſpecie impreſſa; quæ cooperatur ex parte obiecti, pro volitione verò, cum intellectione, quæ ſimiliter cooperatur ex parte obiecti, ſeu quatenus præcontinens in ſe intentionaliter obiectum, & ſic de alijs eiuſmodi. Vnde perperam, & abſque ſufficienti fundamento ſuperinducuntur eiuſmodi potentiæ data ea hypotheſi. Deinde ſi ſemel vſque adeo voluntariè ſuperaddantur potentiæ accidentales, vltra actiuitatem immediatam identificatam cum ſubſtantia, ſimiliter addi poterunt aliæ rurſus potentiæ

 vltra

vltra priores, nec reddi poterit vlla ſufficiens ratio ſiſtendi potius in primis potentijs accidentalibus, quàm in virtute actiua immediata indiſtincta realiter à ſubſtantia. His porrò ita conſtitutis nihil neceſſe eſt dicere de diſtinctione intellectus à voluntate; cum manifeſtum ſit identificari inter ſe, ſi vtraque identificatur cum ſubſtantia, vti poſitum eſt identificari. Adeſt nihilominus ratio peculiaris, ob quam dici non poteſt has duas potentias diſtingui inter ſe realiter: Quia nimirum voluntas non poteſt velle, quin præcognoſcat, quod vult. Alioquin fieri poſſet, vt ferretur in incognitum, velletque, quod non cognoſceret eſſe volendum. At neque poteſt præcognoſcere, quod vult, ſi diſtinguitur ab intellectu. Quia tam repugnat voluntati, quæ non eſt realiter intellectus, vt cognoſcat, quam repugnat intellectui, qui non eſt realiter voluntas, vt amet. Itaque intellectus, & voluntas Angeli neque diſtinguntur realiter ab eius ſubſtantia, neque inter ſe.

Ad 1. Sancti illi PP ſolum contendunt ſtatuere diſtinctionem omnis naturæ intellectualis creatæ à natura diuina, quoad indigentiam alicuius adminiculi ſibi realiter ſuperadditi, nec curant, quale illud ſit: Quia ad ſcopum eorum abunde ſufficit neceſſitas cuiuſuis præter eſſentiam pro operatione qualibet, & actio-

actione. Prænotatum autem eſt ſupra art. 1. ex indubitato omnium conſenſu, Angelos indigere aliquo eiuſmodi adminiculo præter potentiam intellectiuá, & volitiuam, ſiue hæc vtraq; potêtia diſtinguatur realiter à ſubſtátia, ſiue non diſtinguatur. Nego itaque Sanctos PP. nomine virtutum intelligere potentias, quales intelligũt Theologi ſub ea voce in præſenti controuerſia. Quod ex eo confirmari præterea poteſt, quia in eodé certitudinis gradu collocant diſtinctionem virtutis & diſtinctioné operationis à ſubſtátia creata. Quod iure optimo facere potuere, intelligendo nomine virtutis quidquid quomodolibet requiritur ad operandum ex parte actus primi. Facere verò idem recte nequaquam potuiſſent, ſi nomine virtutis non quoduis promiſcuè requiſitum, ſed potentiam vniuerſalem, ſeu intelligendi, ſeu volendi complecti voluiſſent, cum ex nullo capite tanta certitudo haberi poſsit de vtriuſque huius potentiæ diſtinctione reali. Et quidem legenti totum illud caput vndecimum Dionyſij, clare apparet, virtutem ab eo accipi ſenſu à me intento. Iam primus locus Auguſtini defectum à ſimplicitate diuina reducit vniformiter ad multitudinem noſtrarum, & operationum, & virtutum; cum tamen ſumptis virtutibus pro potentijs vniuerſalibus intelligendi, & volendi ſubſiſtere non poſ-

O 3 ſit vni-

ſit vniformis eiuſmodi combinatio operationum, & virtutum quoad multitudinem, vt per ſe patet; ſubſiſtat verò optime extendendo nomen virtutis ad omne adminiculum peculiariter requiſitum pro vnaquaque operatione. Poſterior eiuſdem S. Doctoris locus mentem diſtinguit ab anima non entitatiue, ſed connotatiue, quatenus eadem ſubſtantia, ſpiritualis incompleta, relatè ad corpus, cuius eſt forma, & quod animat, dicitur anima; mens verò relate ad ſpecies, quibus meminit, dicitur mens. Frequens nimirum eſt Auguſtinus in libris illis de Trinitate, tum in diſtinguendis, relatè ad connotata diuerſa, ijs, quæ ſecundum rectum ſunt realiter identificata, tum in identificandis, propter mutuam vniformem æquiualentiam ijs, quæ ſunt realiter diſtincta, vt facile imponat eius contextus incauto, aut non ſatis verſato lectori. De Anſelmo idem dixerim, quod de cæteris Patribus dictum eſt vniuerſim. Quod ad Theologos attinet, conſtitit iam ſatis multos eſſe pro noſtra ſententia, nec tanti æſtimari debet, ſi in re leuiori paucioribus, & non etiam melioribus quis adhæreat, quando ratio ſic perſuadet, nec apparet momentum ſufficiens in rationibus oppoſitæ partis.

Ad 2. Intellectus ſpeculatiuus, & practicus, ratio ſuperior, & inferior, voluntas intentiua, & electiua; admirati-

rum, & riſibile exponuntur diuerſis definitionibus, & tamen non diſtinguuntur inter ſe realiter. Similiter ergo accidit in re noſtra. Ratio vniuerſalis eſt, quia definitiones diſtinguuntur ad modum ſuorum definitorum; ſi ratione, ratione; ſi realiter, realiter. Dico igitur definitiones potentiarum vitalium diſtingui ratione tantum à definitione ſubſtantiæ; obiectiuè, & à parte rei, quatenus ſubſtantia concipitur relatè ad totam collectionem ſuarum operationum, & accidentium, vna quælibet verò potentia relatè ad determinatum genus operationum, & accidentium.

Ad 3. Conſtitit iam ſatis ſupra ab art. 4. ſubſtantiam creatam ex ſuo conceptu referri tranſcendentaliter per ſe ipſam ad ſuas operationes, nec aduerſarij negare poſſunt ita referri ſaltem ad proprietates ſuas accidentales, quæ ab ipſa reſultant immediatè cum exigentia intrinſeca ipſi realiter identificata. Quod perinde ſufficit, ne conceptus ſubſtantiæ ſit omninò abſolutus, veluti ſiſtentis in ſe, atque exiſtentis ad ſe præciſe, vt aſſumitur in obiectione. Aſſumptum illud aliud de rebus corporalibus ordinatis ad extra per accidentia ſibi ſuperaddita, indiget diſtinctione. Effectus procedentes à corporibus ſunt in triplici differentia. Alij namque ſunt participes peculiaris perfectionis conuenientis vnicui-

que ſubſtantiæ corporeæ. Atque hi effectus alij ſunt principales,& intenti per ſe, alij diſpoſitiui, ſeu alteratiui, & intenti per accidens. Huiuſmodi ſunt, reſpectu ignis, alius ignis, & calor diſponens materiam ad generationem illius. Alij ſunt effectus minimè participes perfectionis peculiaris, quæ conuenit ſubſtantiæ operanti. Huiuſmodi ſunt motus ſurſum, & motus deorſum, vbicatio ſuperior, & inferior. Dicendum iam eſt ſubſtantias corporales indigere quidem potentijs ſuperadditis ſibi realiter, tùm pro effectibus non participibus ſuæ peculiaris perfectionis, tùm pro effectibus accidentalibus & per accidens intentis; minimè vero indigere potentijs ſibi ſuperadditis pro effectibus,& participibus propriæ perfectionis, & per ſe, & principaliter intentis. Hac igitur ratione grauia, & leuia indigent grauitate, & leuitate ſibi ſuperadditis pro motu ſurſum, & pro motu deorſum. Similiter omnes ſubſtantiæ potentes gignere ſubſtantiam ſibi ſimilem indigent qualitate alteratiua,quæ diſponat materiam,vt ſubſtantia ipſa poſsit exerere omnes ſuas vires in ſubſtantiam ſibi parem. At pro ipſa ſubſtantiæ generatione ſecundum ſe immediate conſiderata, non vtitur ſubſtantia generans vllo inſtrumento,vllaue potentia accidentali, nec ea vti poteſt, vti oſtenſum eſt in philoſophia. Apparet

pro-

profecto clare non eſſe eandem rationē ſuper addendi potentiam accidentariam pro iſto poſtremo genere effectuum, atque pro alio duplici genere, maximè vero primo, quo tamen præcipuè, vel vnicè vti ſolent aduerſarij pro re præſenti, Dico iam intellectiones, & volitiones eſſe effectus, & participes perfectionis peculiaris, quæ conuenit ſubſtantiæ intellectuali, & per ſe ac immediate intentos ratione ſui Ergo paritas propoſita in obiectione valet potius ad oppoſitum eius ſeruatis ſeruandis.

Ad 4. art. 1. Eſto, diuerſitas actuum arguat diuerſitatem potentiarum, dummodo id accipiatur de actibus, & potentijs realiter, & phyſicè talibus, vti accipere neceſſe eſt, vt vitetur æquiuocatio. Nihil tamen inde concluditur ad propoſitum, quia in altero comparationis extremo conferuntur inuicem actus, & potentia logicè tantum tales; in altero verò realiter, & phyſicè tales. Nempe operatio eſt actus propriè talis reſpectu potentiæ à qua oritur. At exiſtentia eſt actus logicè tantum reſpectu eſſentiæ. Quia eſſentia, præſcindendo ab exiſtentia, nec eſt potentia, neque quidquam in ſe intrinſecè, ſed ſolum eſt per puram denominationem extrinſeam à cauſa, quæ poteſt illam ponere à parte rei, vti pluribus demonſtratum eſt in Philoſophia. Licet ergo, & exiſtentia, & operatio

ratio actuent eandem eſſentiam ſubſtantiæ non propterea ſunt duo actus eiuſdẽ potentiæ. Quia videlicet exiſtentia, quę eſt alter actus, non diſtinguitur realiter ab eſſentia, & potentia cuius eſt actus, ac proinde actus realiter diſtinctus à potentia eſt vnus tantum, nempe operatio.

Art. 2. Ad inſtantiam peculiarem circa diſtinctionem intellectus, & voluntatis. Si quælibet diuerſitas actuum ſufficeret ad multiplicandas realiter potentias, diſtinguendi eſſent realiter intellectus apprehenſiuus, iudicatiuus, & diſcurſiuus; ſpeculatiuus, & practicus; definitiuus, & diuiſiuus, & ſic de alijs eiuſmodi, nec non de voluntate proportionaliter. Dicendum itaque eſt diuerſitatem actuum inuicem ſubordinatorum non ſufficere ad pluralitatem potentiarum, vt patet in exemplis poſitis; actus autem intelligendi, & volendi ſunt inuicem ſubordinati, vt patet, cum actus intelligendi omnes mediatè, vel immediate ordinentur ad actus volendi, ijdemque diſponant potentiam, cui inſunt, ad volendũ, vti ponderatum eſt ſupra art 7. fine. Ad confirmationem. Vnuſquiſque actus ſpecificatur ex ſuo obiecto peculiari; potentia verò ex collectione omnium actuum inuicem ſubordinatorum, nec eſt vllus, qui multiplicet totidem potentias pro multiplicitate actuum, ſicut multiplicant omnes ſingulos actus pro ſingulis quibuſ-

uis

uis obiectis motiuis formalibus.

Ad 5. Actio eſt modus determinans indifferentiam huius cauſę ad hunc effectum. Implicat autem manifeſtè determinationem alicuius indifferentis finiti, ac limitati eſſe indiſtinctam realiter ab ipſo indifferenti. Præterea eſt de conceptu intellectionis, & volitionis, vt ſit ab ipſo intelligente, & volente. Repugnat autem æquè manifeſtè ſubſtantiam aliquam creatam eſſe à ſe realiter. Repugnat igitur aliquam ſubſtantiam creatam eſſe realiter indiſtinctam ab actu intelligendi, & volendi. Nulla porro ſimilis ratio oſtendit repugnantiam identitatis inter ſubſtantiam creatam, & creatam vim, ac potentiam producendi aliquem effectū. Nulla igitur eſt paritas. Immò eſt manifeſta diſparitas, quia eſt è conuerſo de conceptu ſubſtantiæ creatę, vt per ſe ipſam immediatè ſit potentia ordinata ad operationem, vt patet ex prædicto artic. 4.

QVAESTIO XIX.

Vtrum Angeli ſint praditi libero arbitrio?

VIDENTVR non eſſe. 1 Quia Angelus nec inter æqualia, nec inter inæqualia eligere liberè poteſt naturaliter. Non quidem inter æqualia. Quia qui eligit, præfert partem electam parti neglectæ. Fieri autem non poteſt, vt pręferatur æquale æquali, cognito vt tali, vti cognoſcitur ab Angelo. Neque inter inęqualia. Quia minus bonum non poteſt eligi præ maiori bono, eidemque præferri niſi per errorem, quæ non cadit in Angelum circa naturalia. Qui verò non poteſt eligere alterum è duobus, nec alterum eligere libere poteſt. Ergo Angelus nullatenus eſt electiuus naturaliter aut vtens libertate circa bona naturalia. Fieri autem ſupernaturaliter non poteſt, vt eligat liberè, qui non eſt naturaliter electiuus.

2. Cui repugnat diſcurſus, repugnat etiam electio libera. Quia electio eſt appetitus præconſiliati, atque conſilium eſt diſcurſus, & inquiſitio quędam, vt habetur illi lib 3. Et hic cap. 3. lib. 6. cap. 9. Re-

Repugnat autem Angelis diſcurſus, vt dictum eſt ſupra.

3. Si in Angelis daretur liberum arbitrium, in præſtantioribus quibuſque Angelis daretur maior libertas eiſdemque conueniret magis liberum arbitrium. Quia Angeli diſſidentes inuicem ſpecie, differunt penes magis, & minus, vt dictũ eſt ſupra quęſt. 4. ad 3. Vnde omnia quæ ipſis conueniunt, neceſſe eſt, vt differant ſimiliter penes magis, & minus, cum ſint ſubſtantiæ ſimplices. Ratio autem liberi arbitrij conſiſtit in indiuiſibili, vt per ſe patet. Ergo nequit Angelis ineſſe.

4. Quod naturali neceſſitate conſequitur totam ſuæ perfectionis plenitudinem pro primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti, nulla poteſt gaudere libertatis indifferétia, Angeli autem naturali neceſſitate conſequuntur eiuſmodi perfectionem, cũ primum creantur. Quia non dependent eatenus à cauſis ſecundis operantibus cũ mora temporis, vt dependent omnia ſublunaria, ſed à Deo immediatè accipiunt omne ſuum bonum. Deus autem non differt ſua bona, ſed ea confert, cum primùm exiſtit capacitas eadem ſuſcipiẽdi. Quod verò repugnat libertatis indifferentia habenti neceſſariò omne ſuum bonum, ex eo apparet, quia libertas indifferentię datur, in quocunque datur, vt preferendo meliora minùs bonis perueniat laudabiliter, ac honorificè ad ſuũ

vltimum finem, ideſt ad cumulum omnium ſuorum bonorum. Quod repugnat habenti iam neceſſariò omne ſuum bonum.

Reſpondetur. Manifeſtum eſt ex ſacris litteris Angelis conuenire liberum arbitrium. Quia conueniunt illis actus boni, & mali, meritorij, ac demeritorij, præmia, & pœnæ vt infra oſtendetur multiplici teſtimonio. Ratio eſt, quia ad intellectum neceſſariò conſequitur libertas indifferentiæ. Intellectus enim eſt potentia vniuerſalis complectens totam rationem entis, ſub qua comprehenduntur plura bona inuicem incompoſſibilia, quorum vtrumlibet haberi poſſit ſeorſim, & ſimul cum altero haberi non poſſit. Hoc autem poſito, voluntas, quæ dirigitur intellectu, neceſſe eſt, vt ſæpè conſtituatur inter extrema aliqua bona, quorum alterum neceſſe ſit eligere, & reſpuere alterum, vt libuerit. Ergò ſiquidem datur in Angelis intellectus, & voluntas, neceſſe eſt, vt in eiſdem detur liberum arbitrium cum libertate indifferentiæ ad eligendum inter plura inuicem incompoſſibilia. De qua probatione videri plura poſſunt quæſt. 12. de act. hum. præſertim art. 8. in qua quæſtione pluribus argumentis oſtenſum eſt ineſſe homini liberum arbitrium, quæ à fortiori idem conuincunt de Angelis, vtpote perfectioribus in natura. Nempe libertas indifferentiæ eſt

per-

perfectio ſimpliciter ſimplex, vt pote reddens ſuum ſubiectum laudis, & gloriæ capax, dominatiuum beneficum, venerabile, & ſimilia. Qua de cauſa Deo etiã conuenit libertas, ideòque Angelis deeſſe non poteſt, qui ſunt propinquiores Deo quàm homo.

Ad 1. Angelus, & inter æqualia eligere liberè poteſt, & inter inæqualia. Inter æqualia quidem. Quia fieri poteſt, vt illi occurrant aliqua duo, quorum alterum ſit melius amplecti, quam vtrumque omittere, tametſi omnino ſint inter ſe æqualia, atque in tali caſu vtrumlibet æqualium liberè eligitur, vt oſtenſum eſt in illa quæſt. 12. de act. hum art. 2. ad 3. Inter inæqualia vero, quia Angelus eſt capax, non ſolum imperfectionis, ſed etiam peccati, vt dicetur infra quæſt. 24. Neque ad id requiritur error poſitiuus in intellectu, ſed ſufficit cognitio imperfecta, minimeque comprehenſiua alterutrius ex extremis propoſitis, vt dicetur ibidem, vbi etiam notabitur, Angelis conuenire naturaliter eiuſmodi imperfectionem, & inadæquationem cognitionis.

Ad 2. Electio dicitur à Philoſopho appetitus præconſiliati. Quia agit de noſtra electione, quæ non fit abſque conſultatione, & diſcurſu. Cæterum non eſt de conceptu electionis liberæ vt ſic, diſcurſus præuius, & præconſiliatio pro-

priè

priè talis. Quia ſi abſque deliberatione, & diſcurſu detur in aliquo tanta perfectio cognitionis circa media, quanta acquiritur à nobis per diſcurſum, dabitur vtique in eodem tanta diſpoſitio ad eligendum liberè, quanta datur in nobis. Ita autem contingit in Angelis, vt apparet ex dictis ſupra quæſt 15.

Ad 3. Libertas arbitrij conſiſtit in indiuiſibili, quo ad conceptum negatiuum excludentis à ſe coactionem. Conſiſtit etiam in induiſibili quoad ſuum conceptum genericum etiam poſitiuum, ſicut aliæ omnes rationes communes. Cæterũ libertas cuiuſque Angeli in particulari eò eſt perfectior, quò ipſe Angelus perfectior eſt, quod attinet ad conceptum eius poſitiuum in particulari. Quia vbi cognitio eſt perfectior, & perfectior voluntas, ibi eſt perfectior libertas. Quæ videlicet per vtramque illam adæquatè conſtituitur.

Ad 4. Angelus conſequitur neceſſariò pro primo ſuę exiſtentiæ inſtanti omnem ſuam perfectionem phyſicam naturalem, moralem verò, & quæ ad moralitatem conſequuntur non habet neceſſario; ideſt habet neceſſario, quæ dependent à ſola operatione Dei, non vero ſuas operationes, & quæ à ſuis operationibus dependent. Quas videlicet omnes non poteſt ſimul exercere, ſed ſucceſſiuè, nec ad ſummè perfectas peruenire poteſt, niſi

per

per alias minus perfectas, vti clarius exponetur infra.

QVAESTIO XX.

Vtrum Angelus naturaliter diligat alios Angelos, ſicut ſe ipſum, et Deum pluſquam ſe ipſum?

VIDETVR neutrum naturaliter preſtare poſſe 1 Quia diligibilia ad alium ſunt ex diligibilibus ad ſe, vt habetur ex Philoſ. lib. 9. Ethic. c. 8. ideſt dilectio aliorum procedit in vnoquoque ex dilectione ſui, tanquam ex cauſa, & radice prima. Cauſa autem, eſt id, propter quod praeminet effectui, & ei, quod propter aliud Impoſſibile igitur eſt, vt Angelus, aut aliquis alius diligat alterum, quantum ſe, vel pluſquam ſe.

2. Vnuſquiſque debet præferre beatitudinem ſuam beatitudini alterius, cum vnuſquiſque ſit gratia ſui, atque intrinſecè ordinetur ad ſuam beatitudinem potius, quam ad beatitudinem alterius, vt dictum eſt quæſt. vlt. de virt. Teol. Magis autem diligitur is, cuius beatitudo, & felicitas, præfertur, quam is, cuius beatitudo, & felicitas poſtponitur, Ergo vnuſquiſ-

quiſque diligit magis ſe, quam quemlibet alium, nec fieri poteſt, vt diligat aliquẽ alium, ſicut ſe ipſum, aut pluſquam ſeipſum.

3. De conceptu dilectionis eſt, vt procedat per modum cuiuſdam vnionis. Qua de cauſa diligentes ſe inuicem ſolẽt dicere, ſe inuicem, alium ſe. Magis autem vnitur vnuſquiſque ſibi, quam cuiquam alij, ſiquidem vnitur ſibi per identitatem, quam cum nullo alio habere poteſt. Ergo nec dilectionem quiſquam habere poteſt, erga aliquem alium, æqualem dilectioni ſui, eademue ſuperiorem.

4. Dilectio, qua creatura diligit Deũ pluſquam ſe eſt opus præſtantiſſimum charitatis infuſę, & ſupernaturalis, neque hæc charitas, quam Deus infundit in cordibus noſtris, vt dicit Apoſtolus, & quam nec Angeli habere poſſunt, niſi per infuſionem eiuſdem, vt dicit Auguſt. lib. 12. de ciuit. Dei cap. 9. quidquam maius pręſtare poteſt. Ergo Angelus non poteſt dilectione naturali ad hoc peruenire, vt diligat Deum pluſquam ſeipſum.

5. Si poſſet Angelus naturaliter diligere Deum pluſquam ſe ipſum, poſſet etiam naturaliter diligere ſuper omnia ſimpliciter, & abſolutè. Quia omnia alia præter Deum diligit minus, quam ſe ipſum, vt apparet ex rationibus propoſitis. Diligere autem Deum ſuper omnia, hoc verò eſt opus certiſſimè ſummſ...

cha-

charitatis infusę, neque hæc prætergredi eos limites poteſt. Quia vltra omnia nihil amplius ſupereſt, cui denuo præferatur Deus. Ergo Angelus non poteſt naturaliter diligere Deum pluſquam ſeipſum.

Art. 1, Reſpondetur. Commune eſt Angelo cum homine vt neceſſario diligat ſeipſum, tum ſecundum ſuam ſubſtantiam & exiſtentiam, tum quoad omnia bona, tum intrinſeca, tum extrinſeca, cum quibus *nullum* aliud bonum ſibi poſſibile, eſt incompoſſibile. Nempe quoad hoc, eadem circa vtrumq; militat ratio. Quapropter cum quæſt. 13. de act. hum. oſtéſum ſit hominem amore naturali, ſeu naturaliter neceſſario eatenus ſe diligere, neceſſe non eſt idem de Angelo ſpecialiter demonſtrare. Commune itidem vtrique eſt, vt non neceſſario, ſed electiua, & libera dilectione feratur ad vtrumlibet bonorum inuicem incompoſſibilium, quorum abſolute, & ſeorſim eſt capax. Quod ſimiliter oſtenſum eſt ibidem, homini cōuenire. Commune conſequenter vtrique prætereà eſt, vt naturali neceſſitate velit exiſtentiam Dei ſecundum ſe. Quia exiſtentia Dei eſt compoſſibilis, cum omni, & quolibet bono abſolutè poſſibili reſpectu vtriuſque, immo eſt fons, & cauſa omnium aliorum bonorum, & ſine ipſo nullum aliud bonum haberi poteſt.. Qua ratione oſtenſa eſt in eadem quæſtione

ne-

neceſſitas eiuſmodi dilectionis Dei reſpectu hominis. Vnde, & Angelis etiam reprobis ea ineſt neceſſario, ſaltem quoad ſpecificationem.

Art. 2 Libera vero eſt tam homini, quam Angelo dilectio ſui, vt finis cui, bonorum inuicem incompoſſibilium, quorum quodlibet ineſſe vtrilibet poteſt. Quia vterlibet poteſt velle ſibi quodlibet bonum poſſibile reſpectu ſui, ſi cognoſcatur vt poſſibile. Ac per conſequens poteſt nolle quodlibet bonum incompoſſibile, cum eo quod actualiter vult. Quia volitio efficax alicuius boni ſaltem implicitè eſt nolitio omnium incompoſſibiliũ cum illo. Hinc conſequenter dicendum eſt, nec Angelum, nec hominem neceſſario ſe diligere dilectione omnium maxima. Quia inter bona vtriuſque inuicem incompoſſibilia alia ſunt maiora alijs vt infra dicetur. Dilectio autem, qua quis vult ſibi maius aliquod ſuum bonum, eſt dilectio ſui abſolutè maior, quam dilectio, qua vult ſibi minus bonum. Nempe menſura dilectionis eſt bonum volitum dilecto. Hinc rurſus deducitur, Angelum licet poſſit ſe diligere, non tamen neceſſario ſe diligere amore cõprehenſiuo ſui, ſeu adæquato ſuæ bonitati ſubſtantiali. Quia amor comprehenſiuus reſpectu alicuius, ſeu adæquatus eidem, eſt maximus inter omnes dilectiones naturaliter poſſibiles. Dictum autem mo-

do

do eſt, Angelum non amare ſe neceſſario amore abſolute ſummo reſpectu ſui. Quod autem poſsibile abſolutè ſit naturaliter, vt Angelus diligat ſe amore comprehenſiuo ſui, ſeu adæquato reſpectu totius ſuæ bonitatis, & dignitatis, vt ametur. Suadetur primo paritate cognitionis, qua dictum eſt ſuperius Angelum poſſe comprehendere ſe ipſum. Quia eadem prorſus ratio eſt de amore comprehenſiuo, ſeu adæquato. Quia ſicut fieri non poteſt, vt cognoſcibilitas Angeli ſuperet vim cognoſcitiuam eiuſdem, cum hæc vis ſit præcipuè, & prima eius perfectio; ita fieri non poteſt, vt diligibilitas Angeli, ſeu bonitas, & dignitas amoris ſit maior, quamuis eiuſdem dilectiua, cum hæc vis conſequatur in vnoquoque iuxta gradum virtutis intellectiuæ, vt colligitur facile ex dictis quæſt. 57. circa connexionem intellectiui cum volitiuo.

Art. 3. Dicendum iam eſt naturali dilectione, ſeu neceſſaria ex natura rei diligere alios Angelos quoad naturam ipſorum ſecundum ſe præcisè conſideratam, ſaltem quoad ſpecificationem ita vt non poſſit eatenus odio habere alios Angelos, eſto poſſit ceſſare à tali eorum dilectione, ſaltem explicite, & formaliter. Ratio eſt. Quia, cui placet aliquid, non poteſt diſplicere, quod eſt ſimile illi, quatenus ſimile eſt. Quia vtriuis ſimilium,

milium, quatenus ſimilia ſunt, ineſt neceſſario eadem vis alliciendi, & permouendi voluntatem, vt per ſe patet, impoſſibile autem eſt, vt voluntas ſuccumbat alicui motiuo, ſimulque non ſuccumbat motiuo eiuſdem prorſus rationis, eiuſdemque virtutis, & efficaciæ, ſimulque compoſſibili cum motiuo priori. Cum ergo in dilectione Angeli erga ſe determinate, ac indiuidualiter conſideratum, includatur eſſentialiter amor erga rationem ſuam ſpecificam; impoſſibile eſt, vt diligendo ſe neceſſariò, non etiam diligat neceſſariò, ſaltem quoad ſpecificationem, alios Angelos, quoad naturam ipſorum, in qua ſecundum ſe conſiderata, ſunt omnes Angeli omnino ſimiles inter ſe. Dicendum rurſus eſt eadem ratione, vnumquemque Angelum diligere alios Angelos, pari quoad ſpecificationem neceſſitate, ſecundum perfectiones accidentales ipſorum, quæ neceſſariò conſequuntur ad cuiuſque ſubſtantiam, adeoque ſunt compoſsibiles cum omnibus, & quibuſuis alijs bonis abſolutè poſsibilibus reſpectu vniuſcuiuſque. Quia omnes Angeli ſunt eatenus ſibi inuicem ſimiles, nullaque eſt incompoſsibilitas eiuſmodi bonorum accidentalium, quæ ſunt vniuſcuiuſque propriè, cum ſimilibus bonis accidentalibus aliorum. Eſt igitur eadem ratio neceſſaria mutuæ dilectionis Angelorum, quoad

eiuſmo-

eiuſm odi accidentalia bona, & quoad ſubſtantiam ſecundum ſe. Ex his dicendum eſt tertio, vnumquemque Angelum diligere alios neceſſario ſicut ſe ipſum. neceſsitate ſpecificationis. Apparet enim ex duplici concluſione præcedenti, vnumquemque Angelum diligere aliquatenus reliquos ad inſtar ſui dilectione neceſſaria. Hoc autem communiter ſignificatur, & non etiam æqualitas amoris neceſſarij, dum dicitur vnum quemque Angelum diligere alios neceſſariò, ſeu dilectione naturali, ſicut ſe ipſum.

Art. 4. Iam, quod ad æqualitatem attinet, dicendum eſt, non debere, nec poſſe, Angelum diligere alios Angelos naturaliter tantundem, atque ſe ipſum, ſed amorem ſummum cuiuſque erga ſe eſſe maiorem omni amore naturaliter poſsibili erga alios Angelos. Quia vnicuique eſt magis neceſſaria ſua ipſius bonitas, quam bonitas aliorum, magiſque perficitur per ſuam, quam per aliorum bonitatem. Vnumquodque autem cæteris paribus diligitur magis, quo maior eſt ipſius neceſsitas, maiorque vis perfectiua reſpectu amantis. Vnde poteſt quidem vnuſquiſque Angelus diligere alium Angelum amore ipſius comprehenſiuo, ſicut ſe ipſum, ſi ſit illi æqualis, ſed tantundem atque ſe, diligere nequaquam poteſt. Quia cum æqualitate perfectionis, & voluntatis, & conſequenter amabilitatis in

vtro-

vtroque, ſecundum conceptum abſolutum, ſtat inæqualitas ſecundum conceptum relatiuum, quatenus, vt dictum eſt nullius Angeli bonitas eſt tam bona alteri Angelo, atque eſt illi, cui ineſt per identitatem, aut per vnionem. Amor autem commenſuratur magnitudini bonitatis amatæ, non ſolum ſecundum conceptum abſolutum, ſed etiam ſecundum conceptum relatiuum. Hac igitur de cauſa amores comprehenſiui duorum omnino inter ſe æqualium poſſunt eſſe inæquales, ſi alter ſit proprius amantis erga ſe, alter vero erga alium. Hic exceſſus amoris in vnoquoque erga ſe ita explicatus à priori, poteſt facilius exponi à poſteriori. Quia ſi alicui Angelo detur optio conſeruationis ſui cum annihilatione alterius, & è conuerſo conſeruationis alienæ cum annihilatione ſui, neceſſariò eligeret conſeruationem ſui, nec poſſet præferre conſeruationem alterius. Quia pro euentu ſuæ annihilationis nihil ſupereſt bonum reſpectu ſui, adeoque nihil pro eo euentu eſt amabile ab ipſo. Eadem eſt ratio ſimilis comparationis inter quælibet alia bona ſua cuiuſque, & aliena, maxime vero inter propriam, & alienam beatitudinem, ex cuius conſideratione deſumitur vltima huius rei ratio. Quia nimirum vnuſquiſque eſt propter ſuam beatitudinem, atque in eamdem eſt eſſentialiter ordinatus

tus actione, & voluntate Dei non verò eſt propter creatam cuiuſquam alterius beatitudinem cum intrinſeca eſſentiali ordinatione ad illam. Patet autem id, propter quod eſſe præferibile, reſpectu vniuſcuiuſque, ijs, quæ propter aliud. Vnuſquiſque igitur Angelus naturaliter diligit magis ſe, quàm vllum alium Angelum, ſiue parem, ſiue diſparem ſibi, immo etiam pluſquam omnes alios Angelos ſimul ſumptos. Hoc enim æque conuincunt rationes propoſitæ circa ſingulos alios ſeorſim.

Art. 5. Eædem autem rationes locum non habent, ſed magis conuincunt oppoſitum comparatione facta cum Deo. Dicendum, namque eſt cum D. Thoma quæſt. 60. art. 5. cum Suarez lib. 3. cap. 5. cumque alijs communiter, aduerſus Vaſquez, & nonnullos alios, Deum poſſe, ac debere diligi ab Angelo pluſquam ſe dilectione naturali, ſeu non ſupernaturali, cum concupiſcentiæ, ſeu quaſi concupiſcentiæ, tum etiam amicitię. Probatur primo ab inconuenienti. Quia alioquin ordo ſupernaturalis, quatenus complectens ſpem, & charitatem ſupernaturales, non eſſet promotiuus, ſed impedituus ordinis naturalis, quatenus complectentis vtramque eam dilectionem naturalem. Spes namque, & charitas ſupernaturalis præfert Deum creaturæ amanti per vtrãque. Amor autem prælatiuus Dei non

P pro-

promouet, ſed tollit, ac corrigit, tanquam defectuoſum, amorem prælatiuum creaturæ reſpectu Dei. Sequela vero eſt abſurda, vt oſtenſum eſt quæſt. 7. de gratia, & quæſt.21 & 22.& 23. de Sacramentis, & confirmatur, quia alioquin natura eſſet ex ſe male conſtituta & non ſolum defectuoſa, ſed etiam vitioſa. Male namque conſtitutum eſt opus, nec vitio caret, cui non poteſt ſuperaddi, ſumma perfectio abſolutè poſſibilis, promouendo pręcisè, quæ præerant, atque ab auctore ſuo inducta in ipſum fuerant, & quin adijciatur aliquid contrariæ omnino conditionis, & naturæ, atque forent, quæ prius inerant eidem. Impoſſibile igitur eſt, vt Angelus patiatur naturalem neceſſitatem præferendi ſe Deo, atque naturalem impoſſibilitatem præferendi Deum ſibi omni genere amoris ſibi poſſibili.

Art. 6. Probatur idem rurſus à priori. Quia Angelus naturaliter cognoſcit, Deũ eſſe ſummum, & infinitum bonum, tam in ratione vtilis, quam in ratione excellentis, ac proinde eſſe dignum, qui præferatur rebus omnibus creatis nulla facta exceptione. Ergo poteſt Angelus naturaliter pręferre Deum ſibi, omnibuſque rebus creatis, tam amore concupiſcentię, quam amore amicitiæ. De antecedenti nemo dubitat, ſed nec dubitare quiſquam poteſt, cum ſit euidentiſſimum. Patet conſe-

ſequentia. Quia modus amoris ſequitur in vnoquoque modum cognitionis. Nempe voluntas eſt potentia ſubordinata intellectui, & ſequitur eius ductum naturaliter, niſi impediatur per accidens. Confirmatur quia ſicut perperam daretur cognitio amabilitatis circa aliquod, abſque poteſtate amandi illud; ita daretur perperam cognitio dignitatis præferibilis, quantum eſt de ſe, circa aliquod abſque poteſtate præferendi illud.

Art. 7. Probatur tertio, quia Deus eſt finis naturalis, propter quem ſunt Angelus, omniaque alia creata, iuxta illud Prouerb. 16. 4. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, ac proinde Angelus, omniaque alia creata ex ſua natura habent rationem mediorum reſpectu Dei. Patet autem finem eſſe præferibilem, atque debere præferri medijs; idque vtriſque maxime connaturale, ac debitum ex natura rei.

Art. 8. Probatur denique, quia plus intereſt Angeli, vt exiſtat Deus, quam vt exiſtat ipſe Angelus. Nempe exiſtente Deo, & non exiſtente Angelo, datur poſſibilitas, vt exiſtat ipſe Angelus, vtque eidem conferantur omnia bona, quorum eſt capax. At non exiſtente Deo, nec exiſtere poteſt Angelus, nec vt exiſteret, bene habere poſſet. Rurſus Deus eſt bonum ſufficiens ad beatificandum Angelū, cum Angelus ad hoc ipſum minime ſuffi-

ciat, ſed ſit miſer, ſi careat poſſeſſione Dei. Patet autem bonum magis ſufficiens, magiſque neceſſarium reſpectu vniuſcuiuſque eſſe naturaliter præſeribile ab eodem, amore concupiſcentiæ, ſeu quaſi concupiſcentiæ, comparatione boni, minus neceſſarij, minoriſque ſufficientię, id eſt minus potentis perficere, & in paucioribus euentibus. Amore autem amicitiæ, eſt ſimiliter pręfe ibilis Deus naturaliter. Quia Angelus eſt aliquid Dei proprium per eſſentiam proprietate dominatiua Eſt enim ſe toto eſſentialiter opus Dei, factum ab ipſo adæquatè. Vnumquodque autem opus eſt proprium factoris ſui ex natura rei. Patet vero manifeſte, quod eo modo eſt proprium alicuius ex ſua ipſa natura, naturaliter eſſe illi poſtponendum amore amicitiæ. Quid enim notius eſſe poteſt, quam Dominum, qua Dominus eſt, eſſe pręferendum, vt finem cui, ideſt amore amore amicitiæ, ei qui ſubeſt dominationi; quatenus eidem ſubeſt; cum quod eſt ſuum vniuſcuiuſque, eidem cedat tanquam eatenus digniori, & tanquam fini cui. Ergo quod eſt ſuum alicuius ſe toto, & quoad omnia ſua bona eſſentialia, & accidentalia, vti Angelus, omniaque creata ſunt ſua Dei, eſt poſtponendum eidem tamquam fini cui. Patet itaque Angelum poſſe, ac debere naturaliter diligere Deum pluſquam ſeipſum, tam amore amicitiæ, quam con-

cu-

cupiſcentię, ſeu quaſi concupiſcentiæ, atque adeo Angelū diligere Deum pluſquam ſe dilectione naturali, prout naturale diſtinguitur a ſupernaturali. Quod addo, vt excludam ſimilem prælationé Dei naturalem, prout naturale apponitur libero. Conſtabit enim infra quæſt. 24. Deum non præferri ſibi neceſſario ab Angelo naturaliter per amorem amicitiæ. Quia videlicet alioquin eſſet naturaliter impeccabilis, nec poſſet relictus in ordine purè naturali recedere à Deo per peccatum. Quod ibi apparebit non eſſe verum.

Ad 1. Omnis amor incipit in vnoquoque á ſe ipſo, vt à magis coniuncto, ſed deinde progreditur ad extra cum augmento perfectionis, ſi amans extra ſe habeat maius bonum ſuum, quam in ſeipſo. Quia hic eſt ordo naturalis in effectibus, vt à minus perfecto fiat progreſſus ad magis perfectum. Omnis autem creatura habet extra ſe maius ſuum bonum, nempe Deum Optimum maximum, quam in ſe ipſo. Licet ergo amicabilia ad alios ſint ex amicabilibus ad ſe, non tamen neceſſe propterea eſt, vt amor cuiuſque erga ſe ſit maximus, ſed ſolum vt ſit primus. Quo pacto amor etiam ſupernaturalis incipit à ſpe, quæ eſt minus perfecta, & deinde procedit ad charitatem, quæ eſt perfectior, vti expoſitū eſt q. 37. de Virt. Theol. Vnde particula illa ex a-

micabilibus ad ſe, ſignificat originem, ſeu ordinem, & proceſſum amoris, non vero cauſam vniuerſalem, ſaltem præcipuam; cum hæc ſit finis reſpectu cuiuſque atque finis cuiuſuis creaturæ ſit extra ipſum, & non ſolum finis qui, ſed etiam finis cui, loquendo de fine excellentiæ.

Ad 2. Conceditur totum comparatione facta inter vnumquemque Angelũ, & omnes alias ſubſtantias creatas. Quod ſolum conuincit obiectio. Negatur vero comparatione facta cum Deo, qui eſt beatitudo ſua, & aliorum omniũ, & propter quem ſunt omnia. Vnde Angelus diligit alium Angelum ſicut ſe ipſum, non ſimilitudine æqualitatis, ſed ſimilitudine proportionis, quoad naturam vtrique communem. At Deum diligit pluſquam ſe per exceſſum propriè talem amoris erga Deum.

Ad 3. Conceditur ſimiliter totum de amore aliorum prețer Deum, Quia Deus ſupplet vnionem identitatis, quam non habet cum creatura, ſicut habet creatura ſecum, ſupplet inquam per exceſſum ratione plenitudinis omnis boni, ratione influxus totius bònitatis vnicuique conuenientis, ratione dominationis, ac demum ratione ſummæ neceſſitatis ſui reſpectu omnium, atque ob hæc omnia debet diligi ſuper omnia, tam amore entitatiuè naturali, quàm ſupernaturali, vt dictum eſt. Per charitatem ſupernatu-

ra-

ralem diligit Angelus Deum pluſquam ſe, vt auctorem ſupernaturalem; per fines verò purè naturales, vt auctorem naturalem, vt expoſitum eſt quæſt. 4, de Virt. Theol. Vnde perfectius, & multo magis diligitur Deus per charitatem, quam per ſolas vires naturales, licet vtroque modo poſſit, tam Angelus, quam homo diligere Deum pluſquam ſe, non ſolum dilectione concupiſcentiæ, quæ etiam dæmonibus ineſt, vt dicit D. Thomas, ſed etiam dilectione amicabili, quæ elicitur libere à bonis.

Ad 5. Non ſolum dilectio Dei ſupernaturalis, ſed etiam naturalis in ſuo ordine perfecta diligit Deum ſuper omnia. Sed conceptus omnium, ad quem aſſurgere poteſt ratio naturalis, eſt longè diuerſus à conceptu omnium, quem proponit fides, & viſio beata. Quia ratio naturalis ſolum conferre poteſt Deum cum ijs omnibus, quæ naturaliter occurrere poſſunt; ratio verò ſupernaturalis cum ijs præterea omnibus, quæ etiam ſupernaturaliter poſſunt occurrere, vti expoſitum eſt in dicta quæſt. 4. de virt. Theol. atque alibi ſæpe. Quare illa particula, *ſuper omnia*, eſt ambigua, & applicata rationi, & dilectioni ſupernaturali, complectitur explicitè plura, & maiora, magiſq; ardua, quam applicata rationi, & dilectioni naturaliter poſſibili.

QVAESTIO XXI.

Vtrum Angeli loquantur inter ſe ſola voluntate reuelandi proprios conceptus?

VIDENTVR nec loqui inter ſe, nec ſola ea voluntate loqui poſſe 1. Quia locutio interponitur propter obſtaculum, quod impedit manifeſtationem conceptuum, niſi ſuperaddatur ipſa locutio. In Angelis autē nullum eſt eiuſmodi obſtaculum, ſicut eſt in nobis ratione corporis. Angelis enim conuenit naturaliter, quod dicit Gregorius lib.18. moral. cap. 3. de ſtatu ſupernaturali hominum beatorum, nempe quod *in ſtatu reſurrectionis vniuſcuiuſque mentem, ab alterius oculis, membrorum corpulentia non abſcondit*. Multo igitur minus abſcondit aliquid in Angelis, qui ſunt incorporei, ideoque ſecundum ſe totos peruij mutuis aſpectibus. Ergo Angeli non loquuntur locutione mutua, ſed per ſe ipſos inuicem patent.

2. Nullus Angelus inferior loqui poteſt cum Angelo ſuperiore, aut cum Deo. Quia quicunque loquitur alteri, illi manifeſtat aliquid, docetque de re aliqua.

An-

Angelus autem inferior non poteſt manifeſtare aliquid ſuperiori, eumuè docere. Quia inferior ſuperiorem illuminare non poteſt, ſed ſolum è conuerſo, vt docent Dionyſius, & alij communiter. Illuminat autem, quicumque manifeſtat, & docet aliquid. Multo vero magis id repugnat reſpectu Dei. Videtur vero locutionem ex ſua natura eſſe mutuam inter audientem, & loquentem, nec niſi mutuam eſſe poſſe naturaliter, & per ſe. Ergo nec Angeli ſuperiores poſſunt loqui cum inferioribus, neque Deus cum veriſlibet.

3. Nullum eſt obiectum, ad quod terminari poſſit voluntas loquendi, ſi nullum ex illa reſultat ſignum naturale, aut ad placitum. Repugnat igitur, vt Angeli loquantur inter ſe ſola voluntate reuelandi mutuo ſuos conceptus, quin prętereà interponatur ſignum aliquod externũ conceptus interni.

4. Non poſſet Angelus mentiri ex natura rei, ſi loqueretur ſola voluntate manifeſtandi ſuos conceptus. Quia Angelus audiens eo ipſo audiret per immediatam inſpectionem eius voluntatis, & conceptuum. Cui inſpectioni patet non poſſe ſubeſſe falſum. Sequela autem eſt contra omnes, nec ratio permittit, vt qui poteſt committere peccata lethalia, mendacium dicere non poſſit.

5. Angelus loquens poteſt locutionem

 ex-

excitare eum, quem alloquitur vt attendat, & audiat. Solo autem conſenſu reuelandi, qui manet apud loquentem, nihilque ad alterum tranſmittit, non poteſt hic excitari, aut cogi, vt attendat. Ergo locutio Angelica non peragitur eo ſolo conſenſu.

6. Siquidem vnuſquiſque Angelus habet ab inſtanti ſuæ creationis, vt ſuperius dictum eſt quæſt. 12. ſpecies impreſſas omnium, de quibus cæteri poſſunt cum ipſo colloqui, & nihilominus non poteſt ea cognoſcere independenter à conſenſu loquentis; nec Deus poterit etiam de potentia abſoluta eadem illa reuelare, cui voluerit, independenter ab eodem conſenſu. Quia Deus, vt reuelet, nihil aliud facere poteſt, quam infundere ſpecies eorum, quæ vult reuelare. Sequela autem eſt contra principia fidei.

7. Ex quo quis habet virtutem actiuam ſufficientem, & omnia comprincipia requiſita ad aliquem effectum, ab ipſius, & non alicuius alterius voluntate dependet, vt illum exequatur, vel non exequatur. Habet autem vnuſquiſque Angelus apud ſe virtutem, & comprincipia requiſita ad cognoſcendos quoſuis aliorum conceptus. Ergo vt eos cognoſcat actu, à ſola ſua, & non etiam alterius voluntate dependet.

8. Fingere conditiones ſine quibus non, ad actionem cauſæ continentis in-

ſe

ſe adæquatè effectum, nihil immutantes eamdem cauſam, aut ſubiectum, ſeu terminum actionis, res eſt minime philoſophica, & effugium intellectus ſuccumbentis difficultati, & ad res quaſlibet abſurdiſſimas æquè accommodabile. Talis autem conditio eſt conſenſus, ſeu voluntas reuelandi, vt conceptus Angeli ſic volentis percipiatur ab alio.

9. Deus non poteſt manifeſtare aliquem ſuum conceptum, aut actum voluntatis vel Angelo, vel homini, quin ponat in ipſo aliquid eidem inhærens intrinſecè, & coadiuuans ad percipiendum talem ſeu conceptum, ſeu voluntatem. Ergo multo minus poteſt Angelus id ipſum præſtare ſola ſua voluntate, quin inducat in alium aliquid intrinſecè illi inhærens, & cooperans ad percipiendum.

Art. 1. R. Certum eſt ex ſacris litteris conuenire Angelis locutionem. Supponitur id clarè in illis verbis Apoſtoli 1. ad Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum.* Supponitur inquam ex communi ſanctorum PP. aliorumque interpretum conſenſu circa eum locum. Nempe ea exaggeratio Apoſtoli fuiſſet inanis, & laboraſſet falſa ſuppoſitione, ſi Angelis non conueniret aliquis locutionis modus, iſque excellentior, quam ſit humanus. Idem exprimitur in epiſtola Iudæ Apoſt. ver. 9. dum dicitur. *Cum Michael Archangelus cum Diabolo diſputans*

altercaretur de Moyſis corpore. Inducuntur præterea Angeli inter ſe loquentes Zachariæ cap 2. & 3. Apocal. cap, 7. & 9. atque alibi ſæpe. Certum itaque eſt, Angelos loqui inter ſe, & cum Deo, atquè cum hominibus. Verum locutio cum Deo eſt pure affectiua per deſideria obtinendi aliquid ex ipſo, cum Deo manifeſta ſint omnia independenter à locutione, qualis datur reſpectu creaturarũ; ideſt, quæ ſit manifeſtatiua alicuius antecedenter occulti, ſeu præexiſtentis iam, & non præcogniti. Locutio vero cum hominibus peragitur ab Angelis, tum per voces articulatas in aere, aliaque ſigna ſenſibilia, tum per internas ſeu inſpirationes bonorum Angelorum, ſeu inſtigationes malorum, vt infra exponetur ex profeſſo. Difficultas igitur ſolum ſupereſt de modo, quo Angeli loquuntur inter ſe.

Art. 2. Tot fere ſunt Theologorum hac de re ſententiæ, quot capita. Nota ſunt, multorumque ſcriptis peruulgata, ſigna ad placitum; ſigna naturalia inſtituta, aut effecta à Deo, ſimul infundente eorum peritiam, & multiplicante ſingula idiomata pro ſingulis binarijs Angelorum; item idiomata orta ex mutua Angelorum conuentione, alia omnium communi, alia, atque alia ſpeciali paucorum; Colliſio aeris, & ſoni inde articulati; vaſta commotio aeris, aut alterius corpo-

ris abſque ſono; multiplex diſpoſitio ipſius vbicationis Angelicæ per diuerſas figuras, aut quaſi figuras, & inde locutio ad modum artis ſaltatoriæ, & chorearum; ſpecialis quædam qualitas ſpiritualis, à loquente vel in ſe ſolo, vel in ſolo audiente, vel in vtroque producta, idque per diſpares intenſionis gradus aliorum, atque aliorum obiectorum expreſſiuos; quædam veluti Aegyptiaca Hieroglyphica, ad modum picturæ ſpiritualis exprimentia naturaliter iam hos, iam illos mentis conceptus cum eorum obiectis; ſpecies impreſſæ à loquente in audientem tranſmiſſæ, vel eidem infuſæ à Deo dependenter à conſenſu reuelandi ſecretum elicito à loquente; cognitio obiecti, de quo eſt locutio, producta à loquente in audiente; & centum alia, aut hæc eadem centenis alijs modis explicata. Quibus enim vero ne quidem explicatius referendis immorari libet, ſed nec expedit, quando ex doctrina præmiſſa ſuperius quæſt. 14. ab art. 5. facilior, & legitimus locutionis angelicæ modus ſponte nobis deſcendit, qui omnes alios vniuerſim modos exponendi vno impetu diruit.

Art. 3. Dicendum itaque eſt cum D. Thoma quæſt. 107. art. 1. & 5. Valentia, Leſſio, & alijs non paucis, Angelos loqui ſola voluntate reuelandi vni, vel pluribus alijs Angelis internos ſuos con-

cep-

ceptus, & eorum obiecta, quatenus ſubſunt eiſdem, aut liberè alicui determinationi ſuæ. Probatur, quia ratio, propter quam neceſſe eſt ſignis nos, inter nos inuicem vti diſtinctis ab interno reuelandi conſenſu, ſeu deſiderio, eſt impotentia, tum ſenſuum ad percipiendum actus internos ſpirituales; tum intellectus noſtri ad percipiendum aliquid independenter à ſenſibus. Hæc autem ratio nullum habet locum in Angelis, vt pote æquè capacibus ex ſe ad cognoſcendos immediatè actus qualeſcunque internos alienos, atque proprios, cum illos fecerit aliis communes conſenſu reuelandi (qui eſt quædam quaſi donatio ſpontanea) qui eoſdem elicuit. Nempe actus interni proprij, atque alieni non differunt entitatiua perfectione, ſed proprietate ſola dominij. Illa enim eſt vtriſque vniformiter communis, & eodem modo vtrobique ſe habens. Hæc vero ſola eſt peculiaris, ad alium, atque alium Angelum ſeorſim pertinens ratione peculiaris circa actus ſuos dominij. Cum igitur iſtud diſcrimen ſublatum fuerit per conſenſum Domini volentis ſuos actus eſſe communes ſibi, & alijs quoad fructum, & vſum cognitionis eorum, nulla ſupererit ratio, nullaque impediet difficultas, quo minus eo ipſo cognoſcantur ab alio Angelo, ſicut cognoſcuntur ab eliciente.

Art. 4. Nec obſtat, ipſum etiam conſea-

ſenſum reuelandi eſſe actum liberum nõ minus, quam eum, qui erat prius ſuapte natura occultus. Quia conſenſus ille reuelandi per ſe ipſum eſt quaſi donatio, & communicatio ſui quoad cognitionem, reſpectu alterius. Quod alijs actibus nequaquam conuenit. Nec rurſus obſtat, alias etiam proprietates, & accidentia, ſiue donata à Deo, ſiue acquiſita per actiuitatem propriam ab vnoquoque Angelo, eſſe propria eius, cui vniuntur; & nihilominus eſſe cognoſcibilia ab alijs independenter à conſenſu domini. Quia quæ non habentur propria libertate, deſcendunt à libertate Dei proſpicientis bono communi, volentiſque perficere omnes indiſcriminatim cognitione rerum à ſe productarum, vt repræſentent auctorem ſuum, eumque ita glorificent. At actus liberi creati proueniunt à libertate etiam propria elicientis, ſimulque recipientis, indiga bonorum ſuorum, tum ſecundum ſe, tum etiam vt cognitorum priuatim à ſe, ideoque potente ſibi conſulere, impedita aliorum communicatione, & notitia circa illa, aut nonnullis permiſſa, & negata alijs, aut pluribus vtrobique, aut paucioribus, aut vni ſoli prout libuerit.

Art. 5. Confirmatur ſuperior ratio ex notiſſimo principio. Quandocunque aliquis effectus ita exiſtit exiſtente aliquo alio, vt eodem non exiſtente, non exiſtat;

exiſtat ; idque ſemper accidit vniformiter; talis effectus dependet ab hoc alio, vel tanquam à cauſa, vel tanquam à conditione, ſine qua non. At cognitio vnius Angeli circa cogitationes, & actus quoſuis internos alterius, & circa obiecta eorum, quatenus ſubſtantia eiſdem, ita exiſtit exiſtente voluntate reuelandi elicita ab Angelo auctore talium actuum, vt non exiſtat eadem non exiſtente; idque ita ſemper accidit vniformiter. Ergo voluntas eiuſmodi reuelandi eſt cauſa, vel conditio, ſine qua non reſpectu eius cognitionis. Maior eſt baſis totius philoſophiæ. De minori conſtitit auctoritate, & ratione in dicta quæſt. 14. Et neutra negatur ab vllo aduerſariorum. Poſito autem conſequenti, ſi quidem conſequentia eſt euidens, pergo vlterius. At conſenſus Angeli reuelantis non eſt cauſa cognitionis elicitæ ab alio Angelo; neque immediata, quia nihil operatur immediatè vbi non eſt, vt omittam dicere de improportione; neque mediata, quia conſtat ex quæſt. 12. nullam ex eo conſenſu ſuboriri ſpeciem impreſſam, qua iuuetur alius Angelus, ſed à Deo infuſam illam eſſe pro primo creationis inſtanti. Eſt ergo conditio, ſine qua non.

Art. 6. Confirmatur rurſus. Quia cauſa habens in ſe virtutem adæquatè productiuam alicuius effectus, ſi nihilominus dependeat ab aliquo extrinſeco quoad

quoad productionem illius, neceſſe eſt vt ab illo dependeat ſolùm, tanquam à conditione, ſine qua non; vel quod idem eſt, tanquam à diſpoſitione ſubiecti, ſeu termini, quem reſpicit talis effectus, Sic autem accidit in præſenti. Quia virtus intellectiua Angeli eſt æquè proportionata ex ſe, & capax ad intuendum obiecta quælibet naturalia, eodemque proinde iure ſibi debentur illorum omnium ſpecies impreſſæ, & quæ æquè debebantur, ſunt à Deo ſimul, eodemque modo infuſæ, vt in eadem quæſtione concluſum eſt. Aliunde vero, quoad cognitionem cogitationum alienarum dependet vnuſquiſque Angelus ab alterius conſenſu. Ergo hic conſenſus eſt conditio, ſine qua non, vltra quam nihil amplius deſiderari poteſt ad eam cognitionem.

Art. 7. Confirmatur denique, & ſimul ſpecialiter refelluntur reliquæ omnes ſententiæ. Quia voluntas Angeli loquentis, qua vult alteri reuelare ſuas cogitationes, & actus liberos, aut obiecta alia, quatenus ſubſtant eiſdem, eſt conditio ſine qua non, iuxta ſententiam aduerſariorum ad exiſtentiam, ſeu ſignorum naturalium, aut moralium, ſeu principiorum cognitionis auditiuæ, ſeu productionis eiuſdem in alio cognitionis, & eorum denique omnium, quæ ipſi quomodocunque interponunt. Fatentur enim exiſtentè ea voluntate reuelandi, id proti-

nus

nus exiſtere, ad quod quiſque recurrit, idemque exiſtere non poſſe, illa non dum exiſtente. Et inſuper addunt eam voluntatem non eſſe principium effectiuum eiuſdem rei intermediæ, aut cognitionis auditiuæ. Quæ plane eſt adæquata deſcriptio conditionis ſine qua non, ſiue dicatur applicatio, ſiue quouis alio modo. Ergo noſtra ſententia hoc ſolum diſfert à ſententia aduerſariorum, quod paucioribus rem præſtat eamdem, atque eiuſmodi conditionem apponit immediatè reſpectu intellectus audientis, iam ex ſe antecedenter ſufficientis ad effectum, qui deſideratur, quod ad virtutem adæquate contentiuam effectus attinet, ſolumque impediti, quo minus prodiret in actum, renitentia veri domini reſeruantis ſibi iure ſuo ſecretum, cuius aliena per cognitionem poſſeſſio, abſque eius conſenſu, noceret perfecto ipſius dominio priuato, & commodis, quæ ex poteſtate reſeruandi ſibi reſultant. Patet itaque, mutuam Angelorum locutionem peragi poſſe ſola voluntate reuelandi mutuo ſuos conceptus, neque aliquid neceſſarium præterea eſſe, vt illos manifeſtent.

Art. 8. Inquam neceſſarium eſſe. Quia animus huc vſque fuit exponere locutionem Angelicam, correſpondentem noſtræ locutioni verbali; hoc eſt, maximè Angelis connaturalem, facilli-

mam,

mam, & breuiſſimam, ſimulque clariſſimam omnium. Cæterùm non nego, nec negabile vllatenùs apparet, poſſe inuicem eos loqui, cùm libuerit, ſignis etiã, & actionibus externis multipliciter varijs, ducentibus naturaliter, aut ex placito, eoque ſiue omnium, ſiue paucorum inter ſe, ad cognitionem obiectorum, quæ vnicuique libuerit alijs ſignificare. Quid enim vetat Angelis eiuſmodi rerum, ſi libuerit, interpoſitionem, & vſum, tametſi minimè neceſſarium per ſe? Quando & nobis licet, cum libet, non vti verbis, ſed nutibus, vel alijs, ſeu actionibus, ſeu ſignis inducentibus in horum, vel illorum obiectorum cognitionem, vel ex natura rei, vel ex arbitraria inſtitutione. Itaque in ſententijs inſinuatis ſupra art. 2. ſolùm diſplicet, quod earum auctores ducti ſimilitudine noſtri, nituntur ſuadere, illa ſigna externa, vel naturalia, vel ad placitum eſſe Angelis neceſſaria per ſe. Nec enim nego illa eadem omnia eſſe poſſibilia; exceptis tamen noua, & libera ſpecierum impreſſarum productione, quas dictum eſt quæſt. 12. ſimul omnes infundi à Deo pro primo inſtanti, quæque neceſſariò reſultant ex obiectis creatis, quæ illas emittere valent; nec non productione cognitionis in audiente orta à loquente, quàm puto neceſſariò debere fieri ab ipſo cognoſcente, idque eſſe de conceptu cognitio-

nis

nis vt ſic. Prætereà circa ſpecies, ſi eæ deberent produci à loquente in audiente, non poſſent Angeli inuicem loqui in qualibet diſtantia, cum non poſſint agere in quantumlibet diſtans. Quod tamen contradicit D. Thomæ quæſt. illa 107. ar. 4, & conceptui operationis intellectualis obſeruato ſupra quæſt. 12. verſus finem. His itaque duobus exceptis poſſunt Angeli vſurpare, cum libuerit, reliquos modos repręſentandi exteriùs ſuos conceptus, per voluntatem, qua velint, vt illi innoteſcant alij, vel alijs Angelis, non immediatè in ſe, ſed quatenùs præcisè tranſparere poſſunt per eiuſmodi ſigna.

Ad 1. In nobis non eſt vnicum, ſed duplex impedimentum manifeſtationis ſecretorum cordis. Alterum eſt voluntas retinendi ſibi ſoli notitiam illorum. Alterum eſt moles corporis, ratione cuius, vt dicit Gregorius lib. 2. moral. cap. 5. *alienis oculis intra ſecretum mentis, quaſi poſt parietem ſtamus.* Illud ſecundum impedimentum deeſt in Angelis. At non deeſt primum impedimentum, cum non deſit ipſis ius dominij priuatiui ſuorum actuum, quod & nobis ineſt. Hinc fit, vt homini viuenti in carne mortali non ſufficiat ſe ſola voluntas manifeſtandi ſuos conceptus, vt ſequatur effectus, *ſed cum manifeſtare noſmetipſos cupimus, quaſi per linguæ ianuam egredimur, vt quales ſumus*

mus intrinſecus, oſtendamus. Vt dicit ibidem Gregorius. At Angeli, cum primù volunt ſe manifeſtare, manifeſtantur, ſuntque inuicem peruij, quantùm, & quãdo volunt, ſolumque volendo. Hoc ipſum accidit hominibus beatis. nec aliud intẽdit Gregorius in loco illo, quo vtitur obiecto. Idem etiam, & nihil aliud intendunt Baſilius in homil. ſuper illud: attende tibi, Auguſt. lib. 2. de Geneſi contra Manich. cap. 21. Beda lib. 1. in Iob. cap. 7. Theodoretus, & Theophilactus in illud ſupra indicatum: Si linguis hominũ loquar, & Angelorum, dùm docent noſtras cogitationes, nec non ſuas inuicem, Angelis eſſe ſpontè peruias. Quia videlicet patent vt ſunt in ſe ipſis, cum primùm vult, vt pateant, is, cuius ſunt; nec præterea requiritur aliquod medium ab ea voluntate diſtinctum, vt requiritur in nobis inuicem comparatis. Hoc nempe diſcrimen à nobis intendunt ſtatuere illi Sancti PP. & non etiam docere, ſecreta cordis patere cuiquam, præterquam Deo, ab conſenſu eius, cui inſunt. Hoc enim, cum vſque adeò clarè contradicat ſacris litteris, vt apparuit quæſt. 24 art 4. ex communi Sanctorum PP. intelligentia, non poteſt abſque abſurditate attribui Sanctis PP. modo commemoratis.

Ad 2. Non omnis locutio dicitur illuminatio ſimpliciter, & abſolute, ſed ea ſolum quæ manifeſtat aliquid de pri-

ma regula veritatis, quæ eſt Deus, eiuſque voluntas & ſapientia. Vnde quia ſoli Angeli ſuperiores manifeſtant inferioribus, quæ pertinent ad diuinitatem, & non è conuerſo; propterea ſoli Ageli ſuperiores dicuntur abſolutè illuminare, non verò inferiores, tametſi hi etiam poſſint illis manifeſtare aliquid eis ignotum, quod dependet à libera eorundem voluntate. Nempe notitia rerum quarumlibet creatarum, pro vt ſiſtit in ipſis, non eſt illuminatrix propriè, ſed eſt ſæpe obſcuratiua, ideoque vocatur veſpertina, & æquiparatur nocti præſertim ab Auguſtino, Loquuntur igitur mutuò, licet non illuminent ſe mutuò illuminatione propriè tali, Angelus ſuperior, & inferior. Multo verò minus dici poteſt illuminari Deum locutione creaturę cum ſit locutio purę affectiua, vt initio prænotatum eſt. Deus verò illuminat locutione ſua, quidquid dicat, Quia manifeſtat ſuā voluntatem, quæ eſt regula directrix noſtræ, tanquam lux vera,

Ad 3. Obiectum voluntatis loquendi in Angelis eſt cognitio alterius Angeli circa obiecta, quæ intendit, qui loquitur, vt ipſi innoteſcant. Quod profectò obiectum licet non vnicum, eſt tamen præcipuum in noſtra etiam voluntate loquendi,

Ad 4. Habent quidem Angeli modū loquendi, eumque maxime connaturalē

ſibi,

ſibi, quo ſe inuicem reddant certiores, omnique liberent ambiguitate, & ſolicitudine, circa cuiuſque cogitationes, intentiones, molitioneſque omnes, vt patet ex ſuperiori noſtræ ſententiæ expoſitione, eoque ſunt, inter alia, feliciores nobis, qui tametſi maxime velimus, non poſſumus parem inuicem certitudinem inducere circa ſecreta cordis. Quæ plane eſt pars infelicitatis non exigua, eamque Angelis longe licet felicioribus adſcribunt auctores omnium aliarum opinionum. Quod non videtur fieri abſque iniuria nobiliſſimæ ſubſtantiæ. Cæterum ſi velint eſſe nequam, non deſt ipſis modus; quantum eſt ex natura ipſorum ſecundum ſe præciſsè, quo ſe inuicem anxios reddant infidis, ac fallacibus ſignis externis. Poſſunt enim nolle patefacere alijs ſuos conceptus immediate vt ſunt in ſeipſis, ſed ſolum quatenus apparent in ſignis externis, qualia exhibere libuerit, vt dictum eſt ſupra art. 8, eaque poſſunt eſſe fallacia, vt per ſe patet.

Ad 5. Credibile eſt, Angelos cum ſint perſpicacis comiſque naturę, ſemper attendere, ac inſpicere ſe inuicem quãtum ſat eſt, vt cuicunque loquenti præſto adſint, eumque auſcultent attente. Quod ſi nihilominus contingat aliquem Angelum ita ad alia diuerti, vt non attẽdat ad eum, qui ſibi loquitur, non deerit loquenti modus excitandi ſufficiens

per

per aliquem exteriorem effectum, vel inductum de nouo, vel in ipſo Angelo, quem alloquitur, vel in ſe aliqua, cui ſpecialiter incumbit idem Angelus; ita vt, ſi is nolit, vti abſolute poteſt negare audientiam, neceſſariò audiat, ac percipiat, quod ſibi dicitur.

Ad 6. Sicut oculus corporeus poteſt videre colores ſimul cum luce, eoſdemque ſolos videre non poteſt; ita Angeli per ſpecies ſibi connaturales poſſunt videre alienas cogitationes ſimul cum aliena voluntate eas manifeſtandi, eaſdem vero ſolas videre non poſſunt. At per ſpecies ſupernaturales à Deo inditas ſupra exigentiam naturæ Angelicæ videri poterunt eædem cogitationes etiam ſolæ, & independenter à conſenſu cogitantis per illas. Quia Deus, cum ſit Dominus rerum omnium magis etiam, quam vnuſquiſque ſuarum, poteſt de omnibus diſponere, vt vult tam in ordine intellectuali, quam naturali ſeu phyſico. Dici deinde poſſet hac eadem ratione, voluntatem Dei, vt conceptus alicuius manifeſtetur alicui alij, æquiualere perfectè voluntati ipſius concipientis, ac proinde tantundem valere, vt idem conceptus manifeſtetur de facto ex vi ſolius ſpeciei impreſſæ connaturalis, atque valet conſenſus ipſius concipientis, ſeu volentis libere aliquid.

Ad 7. Sufficientia ad cognoſcendum ali-

aliquid ſimul cum aliquo alio non eſt eo ipſo ſufficientia ad cognoſcendum vtrum libet eorum ſeorſim, vt nuper dicebatur. Species autem, quas habet apud ſe con naturaliter vnuſquiſque Angelus relatæ ad cogitationes aliorum, ſufficiunt ſolum ad cognoſcendas illas ſimul cum eorumdem conſenſu, & voluntate, vt cognoſcantur, & non aliter. Mirum igitur non eſt, ſi Angelus habens ab initio ſuæ creationis ſpecies ſufficientes ad cognoſcendos actus internos aliorum, cognoſcere nihilominus non poſſit abſque eorum cõſenſu. Quia nimirum ſunt ſpecies ſolum ſufficientes ad cognoſcendum vtrumque obiectum ſimul, & non ſeorſim. Ex quibus apparet obiectionem laborare falſa ſuppoſitione;

Ad 8. Satis ſuperque oſtenſum eſt, tũ in hac quæſtione tum etiam quæſt. 14. art. 5. non pro libito, ſed cum vrgenti, ac manifeſto fundamento dici à nobis conſenſum vniuſcuiuſque de manifeſtandis ſuis conceptibus eſſe conditionem neceſſariam, vt ij ab alijs certo cognoſcantur, neque hinc patere aditum, vt confingantur pro libito conditiones, ſine quibus non. Deinde, licet eiuſmodi conſenſus, ſit formaliter loquendo, conditio ſine qua non, vt percipiantur ab alijs alij actus interni proprij ipſius conſentientis; abſolutè tamen idem conſenſus non eſt pura conditio ſine qua non, ſed eſt obiectum

partiale indiuiſim neceſſario cognoſcendum ſimul cum alijs actibus internis, ſicut lux videtur neceſſario indiuiſim ſimul cū coloribus per oculos corporeos. Quapropter opportunius fortaſſe fuerit, eiuſmodi conſenſum dicere potius obiectū partiale neceſſarium, quam conditiones ſine qua non. Sed hoc pertinet ad modum loquendi, qui non tanti eſt.

Ad 9. Voluntas Dei vt eſt in ſe immediatè, non poteſt naturaliter innoteſcere vlli intellectui creato, ſed eſt neceſſariū lumen ſupernaturale. At voluntates creatæ ſunt inuicem manifeſtabiles naturaliter. Quapropter Angelus ab initio creationis accipit neceſſario ex natura rei ſpecies impreſſas ſufficientes ad cognoſcendas voluntates aliorum, ſi ipſi conſentiāt non vero ad cognoſcendam voluntatem Dei purè internam, ſed indiget, pro eius cognitione ſpecie ſupernaturali. Cęterum ad vtramlibet voluntatem cognoſcendā requiritur ſpecies intrinſecè afficiens cognoſcentem, vel indita naturaliter ab initio, vel ſupernaturaliter, tunc, vel poſtea ſuperaddita. Neque quoad hoc punctum, eſt aliquod diſcrimen.

QVAE-

QVAESTIO XXII.

Vtrum Angeli fuerint creati in gratia?

VIDENTVR non fuiſſe creati in gratia, neque vnquam eam illis donatam eſſe 1. Quia Angelus viribus naturæ poteſt diligere Deũ ſupra ſe, & ſupra omnia alia creata, vt dictum eſt quæſt.20. Habenti autem dilectionem Dei ſuper omnia, quæ eſt vinculum perfectionis, ex quo illam habet, ad nihil poteſt indigere auxilio gratiæ Dei. Ergo Angelis nunquam ea eſt neceſſaria, Deus autem nunquam dat ſuperflua.

2. Auxilium gratię Dei eſt neceſſariũ ſolùm ad ſuperandas difficultates operãdi bene; Angelus autem in nullo opere bono perficiendo vllam patitur difficultatem, idque illi conuenit ex ſua natura. Quia tota difficultas bene operandi prouenit in nobis ex coniunctione animę cum corpore, quod eam grauat. At Angelus eſt expers corporis. Ergo, & difficultatis. Confirmatur, quia Auguſtinus frequenter docet, gratiam Dei eſſe nobis neceſſarium præcisè ratione concupi-

ſcentiæ, quæ regnat in carne peccati, ineſtque nobis in pœnam peccati. Cùm ergo Angelis non inſi concupiſcentia, & multo minus rebellio eius, non patitur vllam gratiæ neceſſitatem,

3. Angeli non fuerunt creati in gratia habituali, Ergo neque in gratia actuali. Patet conſequentia, Quia gratia habitualis eſt prima radix reliquorum dono, rum ſupernaturalium gratiæ, ac proinde cui, & quando ipſa deeſt deſunt etiam neceſſario cætera omnia. Probatur antecedens, quia gratia habitualis non poteſt cuiquam infundi ex natura rei abſque præuia diſpoſitione libera, & morali ex parte ipſius ſuſcipientis, vt dictum eſt quæſt. 10 de iuſtific & quæſt. 8. de virt Theol. atque alibi non ſemel. Angeli autem non potuerunt diſponi ad ſuſceptionem gratiæ pro primo inſtanti diſpoſitione libera, & morali. Primo quia operatio primi inſtantis tribuitur creanti, & non creaturæ quatenus qui dat formam, dat conſequentia ad formam, Qua de cauſa D. Thomas, & alij quamplures negant Angelum potuiſse peccare in primo inſtanti. Quia eo ipſo Deus eſſet auctor peccati, atque peccatum tribueretur ipſi ſoli. Eſt autem de conceptu diſpoſitionis liberæ, ac moralis, vt tribuatur ſpecialiter ſubiecto, quod diſponitur. Deinde diſpoſitio præcedit formam, ad quam diſponit. Impoſſibile igitur eſt, vt gratia con-

ſei•

ferretur Angelis dependenter ab eorum libera diſpoſitione, & nihilominus conferretur pro primo inſtanti, de cuius vt primi conceptu eſt, vt nihil fuerit prius.

4. Ita comparatur gratia ad naturam, ſicut gloria ad gratiam. At gloria non eſt data Angelis in primo inſtanti, in quo eiſdem data eſt gratia, vt infra dicetur. Ergo neque gratia data eſt eiſdem pro primo inſtanti exiſtentiæ naturæ ipſorum. Confirmatur primo, quia ordo naturalis rerum vniuerſaliter hic eſt vt ab imperfectis procedatur ad perfectiora, vtque illa dentur prius, hæc poſterius ſuperaddantur, ſicut apparet in generatione, & totali perfectione rerum ſenſibilium. Confirmatur rurſus ex Auguſtino lib. 2. ſuper Geneſ. ad litt. Vbi docet naturam Angelicam primo fuiſſe informiter creatam, & Cælum dictam; poſtmodum vero formatam eſſe, & lucem appellatam. Quod non poteſt intelligi abſque ſucceſſione reali inter creationem Angeli, & infuſionem gratiæ.

Art 1. Reſpondetur. Certum eſt, Angelos eleuatos à Deo fuiſſe in ordinem ſupernaturalem, tum ob alia inferius indicanda, tùm maximè quia conſtat, Angelos bonos frui viſione Dei immediata, & malos eadem carere in pænam peccati, vt infra dicetur. Viſio autem immediata Dei eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, atquè in debita, ac

gratioſa abſolute reſpectu omnis naturæ creatæ, & creabilis, vt pluribus oſtenſum eſt quæſt. 10. de Deo, Rurſus quia cui conceditur finis, ſeu ſit poteſtas illum conſequendi, neceſſe eſt, vt conferantur media eidem fini proportionata; facta vero eſt Angelis poteſtas obtinendi viſionem Dei immediatam; atque Deus immediatè viſus eſt finis vltimus potentis ipſum videre, ſequitur Angelis collata eſſe media neceſſaria ad eum finem. In medijs porro ad hunc finem neceſſarijs includuntur dona ſupernaturalia; Quia nihil ſupernaturale ſolis viribus naturalibus obtineri poteſt; quandoquidem ſupernaturale, & gratioſum propterea tale dicitur, & eſt, quia ſuperat omnem vim, & exigentiam naturæ. Qua de re dictum ex profeſſo quæſt. 7. & 8. de Gratia. Dictum vero eſt rationibus ęque conuincentibus reſpectu cuiuſuis naturæ creatæ, & creabilis.

Art. 2 Demum quia natura rationalis virtutum actibus ad ſuum vltimum finem progreditur, neque poteſt quarumdam virtutum actus in vnum finem vltimum, aliarum vero in alium finem vltimum dirigere, cum vnitas ſit de conceptu finis vltimi, concluditur conceſſas fuiſſe Angelis omnes virtutes ſupernaturales ipſis poſſibiles, & correſpondentes omnibus virtutibus naturalibus abſolutè poſſibilibus reſpectu eorumdem, maxime

me vero fidem, ſpem, & charitatem, quarum eſt præcipuus vſus in via ſalutis. Conſequens autem ex his eſt, infuſam fuiſſe Angelis gratiam habitualiter ſanctificantem: tum quia eſt indiſtincta ab habitu charitatis, vt pluribus efficaciter comprobatum eſt quæſt.4. de iuſtif. tum quia eſt radix totius reliqui ordinis ſupernaturalis, & quaſi altera natura, ad quam reliqua dona, vel conſequuntur tanquam proprietates, vel tanquam diſpoſitiones præcedunt, vt indidem apparet quæſt. 2. & 3.

Art. 3. Et quidem hæc omnia ſunt indubitata inter doctores omnes catholicos, vt ſuperuacaneum videri poſsit in eis amplius auctoritate, & ratione Theologica confirmandis immorari non ſcribentem controuerſias contra hæreticos, ſed expoſitione dogmatum catholicorum, promouendo credibilitatem eorum, & reſpondendo argumentis in contrarium. Videri nihilominus poſſunt plura Patrum teſtimonia apud Suarez lib. 5. cap. 2 pro neceſſitate gratiæ, reſpectu Angelorum ad perficienda opera ſalutaria. Quod videtur punctum præcipuum inter ea, quæ præmiſſa ſunt. Vnum prætermitti non debet eam in rem clariſsimum idemque celebre teſtimonium Auguſtini lib. 12. de Ciuit. cap. 9. vbi ſic habet: *Et iſtam* (bonam voluntatem Angelorum) *quis fecerat niſi ille, qui eos*

cum bona voluntate, ideſt cum amore caſto; quo illi adhærent, creauit ſimul in eis & condens naturam, & largiens gratiam? Et nonnullis interiectis concludit: *Confitendum eſt igitur cum debita laude Creatoris non ad ſolos homines pertinere, verum etiam de Sanctis Angelis poſſe dici, quod charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus eſt eis* Tam igitur certum eſt, & indidem certum eſt apud Auguſtinum, gratiam Dei eſſe neceſſariam reſpectu Angelorum, quàm & vnde certum eſt, eamdem eſſe neceſſariam reſpectu noſtri. Quia vero auxilia gratiæ actualis conſtituuntur adæquate per illuſtrationes intellectus, & per inſpirationes, ſeu pias affectiones ſupernaturales, atque ambæ indiuiduo nexu connectuntur mutuò, vti ex eodem Auguſtino, atque ratione efficaci commonſtratum eſt quæſt. 15 de Gratia; dubitari minime poteſt, quin Deus vtrumque genus auxiliorum contulerit Angelis, ijdemque vtroque indiguerint. Tribuit nihilominus idem Auguſtinus plus aliquid non ſemel libero arbitrio Angelorum, nec non primorum parentum ante peccatum, quam noſtro in negotio ſalutis æternæ, quatenus arbitrium noſtrum debilitatum valde, ac degrauatum eſt ratione peccati, vt dictum eſt quæſt. 9 de gratia; ideoque neceſſarium nobis eſt auxilium validius gratiæ, quod ſuperet impetum effrænis concu-

piſcen-

piſcentiæ; Angelis vero & primis hominibus ante peccatum ratione contraria ſuffecit auxilium longè minoris efficaciæ, propter optimam in ipſis liberi arbitrij diſpoſitionem, ac vigorem naturalem; qua de cauſa victoria tentationum, & determinatio ad opus ſalutare tribuitur potiſſimum efficaciæ gratiæ ſupernaturalis pro iſto ſtatu naturæ lapſæ; eadem vero determinatio tribuitur cũ quadam ſpeciali prærogatiua electioni arbitrij Angelici. Nec aliud vnquam diſcrimen agnoſcit, aut intendit, aut agnoſcere, ac intendere conſequenter poteſt Auguſtinus vbicunque eiuſmodi comparationem inſtituit implicitè, vel explicitè. Sed nimis longum eſſet ire per ſingula eiuſmodi teſtimonia.

Art 4. Venio ad punctum aliquatenus controuerſum; An dona gratiæ aliqua, vel omnia conceſſa ſint Angelis in primo creationis inſtanti? Dicendum vero eſt cum D. Thoma quæſt. 62. art 3. aliiſque communiter collata illa fuiſſe in primo inſtanti, nec vllam interceſſiſſe ſucceſſionem realis durationis inter creationem naturæ Angelicæ, & infuſionem gratiæ. In hanc ſententiam compellit in primis communis ſenſus Sanctorum PP. vt obſeruat D. Thomas ibidem, & oſtendit luculenter Suarez lib. 5. cap. 4. Suffecerit pro multis vnus Auguſtinus, cuius in hunc ſcopum ſenſus liquidò ap-

pa. et ex verbis eius indicatis nuper art. 3. *Simul in eis condens naturam, & largiens gratiam*. Subiungit vero ibidem de dæmonibus in hunc modum: *Iſti autem qui cum boni creati eſſent, mali ſunt, &c aut minorem acceperũt diuini amoris gratiam, quàm illi, qui in eadem perſtiterunt, aut ſi vtrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde ſe nunquam caſuros certiſsimi fierent, peruenerunt*, In quibus dubitari non poteſt, quin bonos creatos, & bonos æqualiter creatos, intelligat ea bonitate, quam expreſſerat in prioribus verbis ſupra indicatis, nempe bonitate, quæ eſſet ex gratia Dei, quæque conſiſteret in amore caſto, quo Deo adhærerent, & ratione cuius accommodari illis poſſet, quòd charitas Dei diffuſa ſit in eis, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt eis. Accedit, ſæpe & frequenter ſupponi ab eodem Auguſtino lib. 11. ſuper Geneſ. ad litt. cap. 3. & ſequentibus, ſanctos Angelos fuiſſe creatos in quadam beatitudine, & felicitate, ſaltem quanta, & qualis in viatoribus eſſe poteſt. Non autem talis ea fuiſſet, niſi niteretur fide, ſpe, & charitate, quæ in viatoribus eſſe poſſunt, & ſine quibus quæuis felicitas eſt miſeria potius, quam felicitas, nec niſi miſeria dici poſſet reſpectu eorum viatorum, qui aliquando eſſent perducendi ad viſionem Dei, idem

autem

autem docet etiam de malis Angelis pro inſtanti creationis lib de corrept. & gratia cap. 10. tametſi id ipſum in dubium de iiſdem reuocauerit in dicto libro ſuper Geneſ.

Art. 5. Ratio huius rei præcipua eſt: Quia fieri non poteſt, vt Angeli aliquando eſſent eleuandi in ordinem ſupernaturalem, atque ordinandi in vltimum finem ſupernaturalem viſionis Dei immediatæ, & nihilominus relinquerentur pro aliquo inſtanti in ſtatu puræ naturæ. Hinc enim ſequeretur duplex inconueniens. Alterum eſt, Angelos pro aliquo inſtanti operaturos fuiſſe bene, & laudabiliter, ſimulque inutiliter. Alterum eſt, fore, vt iidem deciperentur à Deo. Certe paterentur deceptionem ineuitabilem, nulla decipiente ſubſtantia creata. Operarentur quidem inutiliter. Quia bona opera elicita, ſeu elicibilia, quod perinde eſt pro re præſenti, nec profuiſſent ad finem ſupernaturalem, nec ad finem vltimum naturalem, cum neque iſte eſſet obtinendus in caſu, neque ad illum quidquam conferant opera bona purè naturalia, vt dictum eſt in illa quæſt. 7. de Gratia. Perperam autem eſt, quod nihil confert ad finem operantis, & per quod ad eundem finem peruenire non poteſt. Deciperentur vero. Quia quælibet natura intellectualis non inſtructa ſupernaturaliter, neceſſariò

contrahit obligationem tendendi ad vltimum finem naturalem, eaque obligatio fundatur in iudicio itidem neceſſario naturaliter, quod oporteat conuerti ad Deum, vt auctorem naturalem, neque fieri poſſit, vt deſit is finis bene operanti, & ſequenti ductum eiuſdem rationis naturalis. Quæ forent falſa in eodem caſu, vt per ſe patet. Confirmatur, quia cætera omnia ordinantur à Deo, cum primum exiſtunt, ad finem, ad quem de facto perducenda ſunt, niſi impediantur per accidens ex vi alicuius cauſæ ſecundæ, idque vt ita fiat, eſt neceſſarium ex natura ipſa rei. Ergo neceſſarium ſimiliter eſt ex natura rei, vt Angeli quoque ordinarentur à primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti ad eum finem, ad quem de facto erant perducendi, niſi ſtaret per ipſos. Confirmatur rurſus, quia hac eadem ratione creditur communiter, Adamum, & Euam creatos fuiſſe in gratia. Idem ergo dicendum eſt de Angelis nihilo deterioribus, immo melioris naturæ, quam ſit homo. Et ſanè, ſicut ijs, qui in ſtadio currunt, neceſſe eſt, vt in principio curſus præfigatur ſcopus, & meta, à qua deinde deflectere non debeant; ita omni viatori neceſſe eſt, vt in principio vitæ præfigatur finis vltimus, ad quem per omnes ſuas operationes tendere debeat, quin vnquam ab eo diuertat. Quod exemplum non poteſt non videri ido-

neum

neum comparante Apoſtolo 1. ad Corinth, 6. viatores omnes currentibus in ſtadio. Neque quoad hoc vlla poteſt aſſignari ratio differentiæ, niſi quod ea comparatio viget magis reſpectu Angelorum, vtpotè æque capacium eleuationis pro primo, ac pro quolibet alio inſtanti, nec proficientium mora temporis, vt accidit in hominibus. Quò reſpexit Baſil. in illud Pſal. 32 *Verbo Domini Cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Angelos*, ait, *initio vt eſſent, verbum opifex omnium condidit, ſanctificationem verò ſimul illis impendit Spiritus Sanctus. Nam enim in infantili ſtatura ſunt creati deinde paulatim exercitati atque perfecti, ſic ſpiritus ſuſceptione digni ſunt habiti; ſed in ipſa conſtitutione, & quaſi quadam conſperſione ſuæ ſubſtantiæ ſimul infuſam habuere ſanctitatem.*

Art. 6. Ratio hæc noſtra principaliter, ac immediatè conuincit, Angelos in inſtanti creationis illuminatos à Deo fuiſſe per fidem. Quæ videlicet eſt prima ſubſtantiæ omnis intellectualis creatæ directio, & ordinatio in vitam æternam conſtitutam viſione Dei immediata. Qua de cauſa Ruar. art. 2. & 8. optima ratione ductus cenſet, Angelis eſſe communia cum hominibus illa oracula: *Qui non credit iam iudicatus eſt quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Qui non crediderit, condemnabitur. Qui incredulus eſt filio, non videbit vitam*, Sine *fide impoſſibile eſt*

pla-

placere Deo. Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei eſt, vt ne-quis glorietur. Eadem vero ratio eſt de his etiam ; *Iuſtus ex fide viuit. Omnis qui inuocauerit nomen Domini ſaluus erit. Sed quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem*. Neceſſaria itaq; fuit Angelis non minus, quam hominibus, vt dirigerentur poſſentque proficere in vitam æternam, nec aliunde potuit inchoari eleuatio in ordinem ſupernaturalem. Accedit; neque ſpem concipi poſſe ſine fide, cum hæc ſit *ſperandarum ſubſtantia rerum* ex 11. ad Hebr. neque ſine ipſe fieri poſſe opus aliquod ſalutare, cum nemo deſperans de fine operetur vt dicit Philoſophus, eademque eſt ratio de non ſperante. Neceſſe igitur eſt fateri, iuxta ea, quæ præmiſſa ſunt, data fuiſſe Angelis in primo inſtanti auxilia ſufficientia ad credẽdum, & ſperandum. Quia verò fides, & ſpes ex ſua natura ordinantur ad actum charitatis, conſequens eſt, vt pro eo etiam eliciendo data ſit initio ſufficiẽtia ex gratia. Quia vero neceſſe fuit neceſſitate ſaltem morali, ſed nunquam fallente, vti apparebit quæſt. 26. initio, vt Angeli pro primo inſtanti vterẽtur bene auxilijs gratiæ ſibi collatis; oportet præterea credere omnes Angelos, etiam eos, qui poſtea reprobati ſunt, elicuiſſe actus fidei, ſpei, & charitatis.

Art.

Art. 7. Vnde vlterius ſubſequitur, eoſdem omnes conſecutos fuiſſe pro primo inſtanti habitus trium virtutum theologicarum. Quia hi habitus conſequuntur infallibiliter ad eos actus tanquam ad diſpoſitiones inſeparabiliter connexas cum illis, vt dictum eſt quæſt, 8. de virt. Theol. Demùm quia habitus charitatis eſt realiter indiſtinctus à gratia ſanctificante, vt dictum eſt quæſt. 4. de iuſtif. atque ex ſententia omnium eſt inſeparabilis ab ipſa, gratia quoque ſanctificans dicenda eſt omnibus Angelis cõmunis pro primo inſtanti, tam bonis, quam poſtea malis. Hæc omnia videntur comprehendi in paucis illis verbis Ezec. 28. *Tu Cherub, plenus ſapientia à principio*. Nempè plenitudo ſapientiæ à principio complectitur cumulum omnium donorum ſupernaturalium conducentium, ad vitam æternam ab eodem principio. Neque verò in principio dari potuit ratio diſcriminis, ob quam alicui daretur, alijs vero non daretur eadem plenitudo proportione ſeruata reſpectu vniuſcuiuſque. Immò fuiſſet quodammodo violentum, & innaturale, vt eleuato aliquo vel aliquibus Angelis non eleuarentur pariter cæteri omnes. Quia omnes ex ſua natura ſunt ordinati ad mutuam beneuolam, & amicabilem communicationem, vt dictũ eſt ſuperius. Beneuola autem, & amicabilis communicatio mutua exigit parem

pro-

proportionaliter diſpoſitionem intelle-ctus,& voluntatis in omnibus ad eiuſmo-di communionem indiſcriminatim voca-tis. Omnibus itaque Angelis conceſſa ſunt in primo inſtanti omnia dona ſuper-naturalia viatorum propria, atque adeò omnes abſolute creati ſunt in gratia. Nec obſtat dictum Ioannis Papæ Can. *viſis lit-teris* 16.q.16. *nequiuiſſe dæmonem habere charitatem in Cælo.* Dicendum namque eſt Pontificem loqui de impotentia conſe-quenti habendi illam perſeueranter, quæ eſt communis, & legitima interpræta-tio, iuxta quam is textus confirmat po-tius, quæ dicta ſunt. Accipi etiam poteſt Pontifex, vel de impotentia recuperan-di charitatem per pœnitentiam, vt acci-dit in hominibus, quod vult Martinon cum Vaſquez, vel de charitate perfecta, & conſumata per viſionem, vt innuit Suarez.

Ad 1. In eadem illa quæſtione dictú eſt, duplicem eſſe dilectionem Dei ſuper omnia, aliam ſuper omnia ſecundú quid; quæ fertur ad Deum, vt auctorem natu-ralem, aliam ſuper omnia ſimpliciter, quæ fertur ad eumdem vt auctorem ſu-pernaturalem. Prior dilectio poterat ab Angelis haberi ſine gratia. poſterior non poterat. Erat verò neceſſaria poſterior dilectio Dei pro fine vltimo præfixo An-gelis de facto, vt dictum eſt.

Ad 2. Dupliciter poteſt eſſe difficile-

ali-

aliquod opus. Primo difficultate retardante, voluntatem, quo minus illud eligat, velitque efficaciter, cum alioquin ſit poſſibile. Secundo difficultate fundata in excellentia operis ſuperantis totaliter vires actiuas voluntatis. Tranſeat Angelis non obſtitiſſe primum genus difficultatis, de quo dicetur in quęſtione proximè ſequenti. Secundũ nihilominus genus difficultatis inerat Angelis, ſecundum ſe præcisè conſideratis, pro qualibet opere ſalutari. Quia opera ſalutaria omnia ſunt intrinſece ſupernaturalia, vti pręmonitum eſt ſuperius ex alibi dictis, Nullius verò naturæ creatæ vires ſufficiunt abſque auxilio gratiæ ad opus vllum ſupernaturale. Hac igitur ratione neceſſarium fuit Angelis auxilium gratię ad omne opus ſalutare. Quod ad confirmationem attinet ex Auguſtino. In primis iam patuit, eum agnouiſſe neceſſitatem gratiæ in Angelis, tametſi expertibus concupiſcentiæ, qualis nobis ineſt poſt peccatum. Deinde idem Auguſtinus agit ſæpè de neceſſitate gratiæ, non qualiſcunque, ſed ſanantis eiuſque proinde neceſſitatẽ probat rectè ex concupiſcentia regnante in carne peccati. Eiuſmodi eſt quod dicit lib. de ſpiritu, & litt. cap. 4. *Illuſtrationem ad bene agendum non ſufficere vbi sãctus non adiuuat ſpiritus, inſpirans pro concupiſcentia mala concupiſcentiam bonam, hoc eſt charitatem diffundens in cordibus noſtris à*

Cæ-

Cæterum hoc non tollit, quod idem Sanctus doctor ſæpiſſimè non probet neceſſitatem gratiæ, independenter etiam à peculiari difficultate benè operandi inducta per peccatum, & ſpectata ſola natura operum ſalutarium, & finis vltimi Angelici, & humani, quæ eſt viſio Dei, quatenùs ſuperantium vires, & ſufficientiam omnis naturæ creatæ ſpectatæ ſecundum ſe; vt liquet ex eius verbis ſuperius indicatis, alijſque pluribus eius locis expenſis opportunè in qq. de Gratia, præſertim quæſt. 8, itaque legenti Auguſtinum obſeruandus eſt vbique diligenter ſcopus eius immediatus, vt vitentur æquiuocationes, & noxiæ doctrinæ, quæ prætextu auctoritatis Auguſtini multorum animis facilè irrepunt prout in illo loco qui pro re etiam præſenti eſt valde vtilis, notatum eſt diligenter.

Ad 2. Non valet in primis conſequentia negatione gratiæ habitualis, pro cuius infuſione requiruntur plura, ad negationem gratiæ actualis, quæ ex ſuo conceptu ſolam præſupponit naturam eius, cui infunditur. Gratia verò habitualis eſt prima radix cæterorum donorum poſitiuè, non verò negatiuè; ita vt habenti gratiam habitualem negari cætera non poſſint; poſſint verò aliqua concedi eamdem non habenti, vt diſponatur ad habêdum. Negatur deinde Angelos non potuiſſet diſponi pro primo inſtanti, prout

opor-

oportet, ad ſuſceptionem gratiæ ſancti-ficantis. Quia quod dicitur operationem primi inſtantis tribui generanti, verificatur tantùm de operatione neceſſaria, & propria agenti neceſſarij. Quia agens liberum, ſi pro primo inſtanti habeat omnia requiſita ſibi connaturalia, poteſt agere liberè non minus pro primo, quàm pro reliquis inſtantibus, atque adeo elicere actionem, quæ ſibi ſpecialiter attribuatur. Angeli autem potuerunt habere pro primo inſtanti non minus quam pro quolibet alio, omnia requiſita ad operádum liberè, quia non proficiunt temporis decurſu, nec in infantili ſtatura ſunt creati, vt dicebat ſupra Baſilius, ſicut nos, nec diſcurſu, ſed ſubita obiectorum inſpectione conſequuntur notitiam perfectam qualis ad eligendum requiritur. Iam antecesſio diſpoſitionis reſpectu formæ, ad quam diſponit, non eſt ex ſuo conceptu anteceſſio realis durationis, ſed ſufficit prioritas naturæ, ſeu cauſalitatis. Potuerunt igitur Angeli diſponi pro primo inſtanti creationis ad ſuſceptionem gratiæ, atque ita de facto ſe diſpoſuere, eamque ſuſcepere.

Art. 1. Ad 4. Non eſt ſimilis quoad omnia comparatio gratiæ cum natura comparationi gloriæ cum eadem gratia, ſed differunt quoad plura. Differunt verò quoad punctum intentum in obiectione, quatenus gloria eſt incompoſſibilis, cum au-

auxilijs, & actibus diſponentibus ad infuſionem gratiæ, vt patebit ex dicendis quæſt. 28. ſub initio. Gratia verò non eſt incompoſſibilis cum natura ſuſcipientis, neque cum ijs, quæ ad eamdem naturam neceſſariò conſequuntur, quin immo ex ſua natura poſtulat compoſitionem ſui cum ijſdem. Potuit igitur dari Angelis gratia pro primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti; tametſi gloria conferri non poſſit pro eo inſtanti, pro quo primum exiſtit gratia dependenter à diſpoſitionibus requiſitis ab ipſa iuxta prouidentiam ordinariam Dei.

Art. 2. Ad priorem confirmationem; Ab imperfectis proceditur ad perfectiora, vel ordine realis durationis, vel ſolum ordine naturæ, & cauſalitatis, iuxta exigentiam cuiuſque generis rerum; atque poſterior ſolum ordo requiritur inter naturam, & gratiam, quatenùs natura eſt ſubiectum, & potentia paſſiua reſpectu gratiæ. Ad poſteriorem confirmationem. Auguſtinus in eodem illo libro, & alijs eiuſdem operis, loquitur ſimiliter de corporibus prius informibus, & deinde formatis, & tamen vtrumque docet accidiſſe pro vno, eodemque inſtanti reali durationis cum ſola prioritate naturæ inter informitatem, & formationem. Eodem igitur modo accipiendus eſt circa ordinem informitatis, & formationis Angelorum. Dici deinde poteſt, naturam Angelicam

licam informiter creatam eſſe, quatenus creata eſt abſque forma gloriæ, quæ ſuperaddita poſtea fuit in alio inſtanti.

QVAESTIO XXIII.

Vtrum Angeli meruerint ſuam beatitudinem?

VIDENTVR non meruiſſe 1. Quia difficultas, & arduitas eſt de conceptu operis meritorij, vt pluribus comprobatum eſt efficaciter quæſt. 31. de act. hum. Sed Angelus nullam poteſt pati difficultatem in vllo opere bono, quia non eſt compactus ex partibus ſibi inuicem aduerſantibus, ſicut nos. Qui autem non eſt compoſitus ex partibus ſibi inuicem ita aduerſantibus, nullam poteſt pati repugnantiam, & difficultatem in opere congruenti naturæ ſuæ, ſicut congruit omne opus honeſtum naturæ intellectuali. Ergo Angelus nihil mereri potuit.

2. Qui non meretur gratiam, non meretur gloriam. Quia gloria neceſſario conſequitur ad gratiam, & qui non meretur antecedens, non poteſt mereri conſequens, quod inde neceſſario conſequitur. Angeli autem non meruerunt gratiam. Quia illam omnes acceperunt

in pri-

in primo inſtanti, vt dictum eſt in quæſtione præcedenti. Acceperunt vero dependenter à propria diſpoſitione, vt inibi ſuppoſitum eſt ex alibi dictis. Actus autem diſponentes ad infuſionem gratię non poſſunt eſſe meritorij eiuſdem gratiæ; Quia non poſſunt procedere ex eadem gratia, atque actus non procedentes ex gratia non ſunt meritorij ſimpliciter, & de condigno, vt dictum eſt quęſt. 32 de act. hum. art. 11. Fieri autem non potuit, vt præter actus diſponentes ad gratiam ſimul elicerent Angeli pro eodem primo inſtanti alios actus procedentes ex ipſa gratia. Quia actibus diſponentibus ad gratiam, vt pote perfectiſſimis ex generę ſuo, ſummęquè arduis impenderunt totam ſuam actiuitatem. Nullis igitur actibus potuerunt mereri gratiam.

3. Si Angeli non fuiſſent eleuati in finem ſupernaturalem, conſequuti fuiſſent omnem felicitatem ſibi naturaliter poſſibilem independenter à meritis. Quę eſt communis D. Thomæ aliorumque ſententia. Ordo autem gratiæ imitatur ordinem naturæ, & vnamquamque ſubſtantiam ita Deus ſupernaturaliter mouet, ac promouet, pro vt apta eſt moueri, ac promoueri ex natura ſua. Et prætetea prouidentia Dei ſupernaturalis eſt magis proportionaliter benefica, quam naturalis. Ergo beatitudinem ſupernaturalem

ra'em conſequuti ſunt independenter à meritis, quicunque Angeli eam conſequuti ſunt de facto.

4. Non apparet quibus actibus Angeli mereri potuerint beatitudinem ſuam. Immo apparet nullis actibus mereri eam potuiſſe. In primis enim non potuerunt mereri per fidem. Quia Angeli habuerunt euidentiam in atteſtante reſpectu omnium myſteriorum, quæ ipſis reuelata ſunt. Fieri enim non potuit, vt perſpicacia intellectus Angelici liberi ab ænigmatis rerum ſenſibilium, & à phantaſiæ imperfecta, ac obſcura repræſentatione, non diſcernerent euidenter locutionem Dei ab omni locutione creata. Cognoſcens autem euidenter locutionem Dei ad ſe directam de re aliqua, cognoſcit itidem euidenter veritatem eiuſdem rei, cum ſit euidens connexio locutionis diuinæ cum veritate rei pro vt ſignificatę per ipſam. Euidens autem aſſenſus veritatis nequit eſſe meritorius, cum ſit actus neceſſarius. Rurſus cognitis euidenter promiſſionibus diuinis tam eſt neceſſarium ſperare rem per ipſas promiſſam, quam neceſſe eſt ſperare calefaciendum iri corpus, quod euidenter patet applicari igni. Ergo neque actu ſpei mereri potuerunt Angeli. At non eſt maior ratio de actu charitatis, quam de actu ſpei. Quia dilectio Dei conſequitur ad ſpem coniunctam cum fide eodem prorſus

ſus modo, quo actus ſpei conſequitur ad fidem, & actus fidei ad propoſitionem credendorum. Demum qui non poteſt mereri per actus virtutum theologicarum propter defectum libertatis in illis eliciendis ne quidem per actus religionis, aliorumue virtutum moralium mereri quidquam poteſt. Quia virtutes theologicæ ſubordinant ſibi per imperium efficax virtutes morales, earumque actus inducunt vi inſuperabili pro tempore, & loco.

Art, 1. Reſpondetur. Communis, ac certa Theologorum ſententia eſt, Angelos bonos meruiſſe gloriam, eamque meritis ſuis conſequutos eſſe, quicunque de facto ad eam peruenerunt. Ita omnes cum Magiſtro diſt. 5. & cum D. Thoma quæſt. 62. art. 4. Ratio præcipua eſt, quia beatitudo ſupernaturalis, quæ conſiſtit in viſione Dei ſuperat omnem actiuitatem, omnemque exigentiam; & dignitatem naturę cuiuſuis creatæ & creabilis, vt ſuppoſitum eſt in quæſtione præcedenti ex alibi dictis. Modus autem obtinendi finem, qui ſuperat actiuitatem, atque exigentiam intrinſecam, ac dignitatem eius, qui ordinatur ad illum eſt per vim meritoriam bonorum operum. Nempe vis meritoria datur in ſupplementum virtutis actiuæ propriæ, nec non exigentiæ, & dignitatis intrinſecæ. Quia merita peragunt motione volunta-

luntatis alienæ, quod exequitur vis actiua phyſica per actionem ſuam immediate, & appetitus innatus per naturalem determinationem cauſæ, quam reſpicit. Vnde cum Angelis non minus, quam hominibus deſit actiuitas ſufficiens reſpectu viſionis beatæ, nec inſit appetitus innatus, & dignitas neceſſitans Deum ad illam ſibi impertiendam, non alio modo potuerunt ad eam peruenire, quam per merita. Et quidem vnum quódque neceſſe eſt, vt habeat in ſe intrinſece aliquam habilitatem, & modum perueniendi ad ſuum vltimum finem. Alioquin enim fieri à Deo poſſet aliquid abſolutè inordinatum in ſe, cum omnis alius ordo propriè talis dependeat ex ordine ad vltimum cuiuſque finem. Cum ergo Angelis defuerit poteſtas phyſica, tum actiuitatis, tum exigentiæ innatæ ad inducendum finem vltimum de facto ipſis præfixum à Deo, neceſſe eſt fateri conceſſam illis à Deo fuiſſe poteſtatem moralem per gratiam ſuam, vt ad illum peruenire poſſent meritis ſuis.

Art. 2. Confirmatur, quia non eſt maior ratio, vt hominibus conferatur gloria dependenter à meritis, nec aliter conferatur, quam per merita, ex quo ſunt præditi libero arbitrio, vti dictum eſt præditos eſſe Angelos, quam vt eadem dependenter ab iiſdem conferatur etiam Angelis, immo ratio propoſita

 oſten-

oſtendit nullum eſſe fundamentum diſcriminis quo ad hoc inter vtroſque. Vnde non minus ad Angelos ſpectat ex natura ipſa rei, quam ad homines illud Apoſtoli: *Non coronabitur, niſi qui legitime certauerit*. Confirmatur rurſus, quia de conceptu beatitudinis perfectæ eſt, vt ſit glorioſa, vnde & gloria antonomaſticè dicitur. Illud autem eſt reſpectu vniuſcuiuſque glorioſum, quod & magnum quid in ſe ipſo eſt, & conſequitur ad habentis dignitatem vel naturalem, vt in filio Dei, vel moralem, ac meritoriam, vt in cæteris omnibus. Nec enim glorioſum reſpectu cuiuſquam reputatur, quod ei accidit ex ſolo fauore alterius purè gratioſo, nec eſt ab intrinſeco, aut per dignitatem naturalem, aut per moralem ratione meritorum. Cum igitur Angeli non eſſent digni viſione Dei ex vi ſuæ naturæ, oportuit, vt eam dignitatem conſequerentur per merita. Accedit dictum Philoſophi 1. Ethic. cap. 9. beatitudinem eſſe præmium virtutis. Confirmatur denique, quia quod eſt præſtantiſſimum in vnoquoque, aut eſt beatitudo, aut ordinatum ſpecialiter ad beatitudinem iuxta modum ſuum peculiarem. Dictum autem eſt ſupra, Angelis ineſſe liberum arbitrium, quod eſt in vnoquoque præſtantiſſimum omnium, quæ ſibi ineſſe poſſunt naturaliter. Liberum autem arbitrium creatum non eſt beatitudo,

do, vt per ſe patet, nec eſt ordinabile ad beatitudinem per modum naturæ, cum hæc ſit ad vnum, & illud ad vtrumlibet duorum. Ordinatur igitur ad beatitudinem moraliter mediantibus actibus meritorijs ipſius, In hunc ſcopum accommodatur magno cum fundamento à D. Thoma vbi ſupra illud Apocal. 21. 17. *Menſura hominis, quæ eſt Angeli*. Vt ſcilicet Angelus nó ſecus ac homo conſequatur beatitudinem iuxta communem vtrique mēſuram meritorum, nihil eatenus conferente immediatè, & ratione ſui natura, quæ non eſt vna vtriuſque, ſed valde diſſimilis, ac inæqualis.

Art. 3. Quibus porro actibus meruerint Angeli beatitudinem, duplicem habet quæſtionem, quarum altera ſpectat ad conditionem, & ſpeciem actuum, altera ad inſtans, pro quo eliciti ſunt. Species eorum actuum patebit ex dicendis quæſt. 27. circa qualitatem peccatorum, quibus dæmones demeriti ſunt beatitudinem. Maior namque claritas habetur ex ſacris litteris, alijſque documentis de qualitate peccatorum, quæ commiſerunt dæmones, quam de qualitate bonorum operum, quibus inſtiterunt Angeli boni. Certum autem eſt, bonos Angelos in veritate perſtitiſſe, atque ad beatitudinem perueniſſe per actus oppoſitos ijs, ob quos mali inciderũt in damnationem. Dicetur etiam aliquid de hac re in re-

ſponſionibus obiectionum. Altera difficultas breuiter, & facile expediri poteſt ex dictis de merito in communi in qq. de act.hum. præſertim quæſt.32. Inde enim conſtat in primis actus diſponétes ad gratiam eſſe meritorios eiuſdem de congruo & conſequenter etiam gloriæ, non verò de condigno. Quia videlicet actus, qui non præcedunt ex gratia, vti non procedunt, qui diſponunt ad ipſam, non ſunt meritorij de condigno, aut gratiæ, aut gloriæ. Omnes vero actus liberi ſupernaturales eliciti à viatore ſunt meritorij vtriuſque ſaltem de congruo Quia vero actus, quos primos omnium elicuere Angeli, fuerunt diſpoſitiui reſpectu infuſionis gratiæ ſequitur per eos primos actus non promeruiſſe gloriam de condigno, quatenus extiterunt præcisè pro primo inſtanti. Conſtat rurſus, Angelos non minus quam homines eſſe incapaces merendi, ex quo beatitudinem conſequuntur, idque ex natura ipſa rei, & non ex ſola extrinſeca diſpoſitione, & lege ſpecialiter libera Dei. Supereſt igitur vis meritoria de condigno gratiæ, & gloriæ in ſolis actibus Angelicis elicitis inter inſtās beatificationis, & creationis, de quo inſtanti medio, deque tota huiuſmodi partitione inſtantium dicetur quæſt 28. de bonis ſimul, & malis Angelis, ne eadem doctrina ſæpius moroſè repetatur.

Art. 4. Vnum circa hæc quæ dicta ſunt

unt, notare non piget, tametſi ad modum loquendi magis fortaſſe ſpectare videatur. Dici nimirum poſſe Angelum meruiſſe de condigno gloriam, non ſolum quo ad augmentum, ſed etiam quoad ſubſtantiam, idque duplici modo. Primus eſt minus proprius conueniens actibus elicitis pro primo inſtanti præcisè quatenus exiſtentibus in eodem primo inſtanti. Licet enim Angelus, quatenus tunc eliciens eos actus, non mereatur de condigno gloriam condignitate operis, meretur tamen de condigno condignitate merentis. Opus namque non procedens ex gratia non eſt ſecundum ſe meritorium gloriæ de condigno, At vice verſa operans, qui ſimul habet in ſe gratiam ſanctificantem, eo ipſo habet condignitatem reſpectu gloriæ. Eſt igitur merens de condigno gloriam cõdignitate merentis. Alter modus eſt magis proprius ratione actuum procedentium ex gratia pro ſecundo inſtanti. Hi enim actus ita merentur augmentum gloriæ abſolutè, & ſimpliciter, vt etiam dici aliquatenus poſſint meritorij eiuſdem gloriæ quoad ſubſtantiam. Licet enim gloria quoad ſubſtantiam debeatur tanquam hereditas ratione primæ gratiæ, eaque propterea non detur dependenter præcisè à merito deinde ſubſequenti, ſicut datur augmentum, atque præmium eatenus præcisè habeat rationem premij, quatenus dependet à meri-

to: Nihilominus quia ius ad gloriam, vt hæreditatem, fundatum in prima exiſtentia gratiæ, non eſt omnino abſolutum, ſed conditionatum, aut quaſi conditionatum, vt pote capax exceptionis, & fruſtrabile ſuperueniente peccato, atque hoc impeditur per ſubſequens opus meritorium, dici optima ratione poteſt, ius illud hæreditarium reddi omnino abſolutum pro inſtanti ſubſequenti, ac proinde condignitatem gloriæ quoad ſubſtantiam compleri vltimo, ac adæquatè per ipſum meritum ſubſequens ad primam exiſtentiam gratiæ. Eò vel maximè, quia eadem hæreditas gloriæ exercet propriiſſimum munus præmij reſpectu eiuſdem operis ſubſequentis, quatenus metus amittendæ hæreditatis, & ſpes, ac deſiderium illā obtinendi mouent ad actum meritorium eliciendum pro inſtanti ſequenti. Tametſi autem eadem conſideratio fieri poſſe videatur de gratia etiam præexiſtenti, quatenus conſeruata pro eo inſtanti, pro quo ſuperadditur opus meritoriū impeditiuum peccati: Adeſt tamen ratio diſcriminis quoad hoc punctum inter gratiam, & gloriam. Nempe gratia, neque etiam vt conſeruata poteſt habere rationē præmij ſicut gloria: Quia conſeruatio gratiæ eſt deuincta phyſicè actioni meritoriæ, vt pote ortæ phyſicè ab ipſa gratia, & à ſuppoſito illam habente, vt habente cum tamen ſit de ratione præmij, vt ſolum

lum moraliter dependeat ab accipiente; phyſicè vero a ſola alterius remunerantis actione. Quod manifeſtum eſt conuenire gloriæ. Atque hæc ſufficiant circa meritum Angelorum, cum quæ ad maiorem eius intelligentiam deſiderari poſſunt, habeantur in loco indicato de act. hum.

Ad 1. D. Thomas in indicato art. 4. ad 1. Reſpondet opera bona elicita ab Angelis ſuperaſſe virtutem naturæ cum eſſent ſupernaturalia. Difficile autem eſſe opus, quod ſuperat virtutem operantis. Verùm quia illud difficultatis genus eſt commune beatis, quibus non eſt commune meritum, cum tamen adſint illis cætera ad meritum requiſita, vt ponderatum eſt quæſt. 31. de act. hum. & quia difficultas operis meritorij debet eſſe retractiua ab electione ipſius, poſitis etiam omnibus comprincipijs requiſitis ad operandum, neceſſe eſt pluſculum promouere eam reſponſionem. Dicendum itaque eſt, Angelos eo ipſo, quod potuerſit peccare, vti certiſſimè potuere, cum meruere, paſſos difficultatem in contraria operatione honeſta retrahentem ab eius electione, propter motiuum peccandi, vt pote vtile, aut iucundum. Quod abſque aliqua difficultate dimitti nõ poteſt ab indigente, id eſt non dum beato, ſimulque potente proximè illud habere libera ſua electione.

Ad 2. Patet ex nuper dictis a:t 4. Ad 3. Ratio illa paritatis inter modum conſequendi beatitudinem naturalem, & ſupernaturalem, non eſt apud me vſque adeo debilis, ac eſt apud plures alios, ſed cenſeo illam debere omnino retineri. Dicendum itaque eſt, Angelos, ſi relicti fuiſſent in ſtatu puræ naturæ, non fuiſſe conſecuturos vltimum complementum beatitudinis ſuæ naturalis independenter ab actibus ſuis liberis, ac proinde aliquatenus meritorijs eiuſdem vltimi complementi beatitudinis. Id quod apparebit diſtinctè ex dicendis quæſt. 25. circa peccabilitatem Angelis connaturalem independenter ab eleuatione ad finem ſupernaturalem. Si enim ſunt peccabiles ex ſua natura independenter ab eleuatione, potuiſſent vtique fieri verè miſeri, ac infelices peccando, tametſi relicti fuiſſent in ſtatu purè naturæ. Ergo vt euaderent completè fœlices naturaliter, habere non potuiſſent, niſi per actus bonos oppoſitos impeditiuos peccatorum, ac proinde meritorios aliqualiter beatitudinis naturalis vti exponetur magis in illa quæſtione. Dici denique poteſt, ordinem ſupernaturalem non aſſimilari quoad omnia ordini naturali, atque poſſibilitatem obtinendi beatitudinem ſupernaturalem coniunctam cum contingentia amittendi eamdem, & incidendi in pœnam æternam, eſſe æſtimabiliorem,

ma-

magiſque beneficam incomparabiliter; quam certitudinem omnino indefectibilem conſequendi beatitudinem purè naturalem, quæ magis eſt miſeria, quàm beatitudo, ſi comparetur cum viſione Dei immediata; maximè cum beatitudo purè naturalis non habeat ſibi deuinctam certitudinem metaphyſicam, ſed ſolum phyſicam abſolutè defectibilem permanentiæ ſuæ æternæ.

Ad 4. Quod attinet ad actum fidei ex quo deriuatur omnis difficultas obiectionis: Non deſunt quidem Deo modi, quibus inducat euidétiam myſteriorum omnium ſupernaturalium in intellectum, tũ Angelicum, tum etiam humanum. Sed neque deſunt eidem modi, quibus eadẽ myſteria reddantur certo, ac infallibiliter credibilia abſque euidentia credendorum, tam reſpectu Angelorum, quàm reſpectu noſtri. Quis enim audeat dicere virtuti omnipotenti deeſſe modum, quo intellectum quemlibet creatum obliget ad credendum firmiſſimè, quæ ipſe dicit, tametſi non cognoſcatur euidenter, ipſum dicere, ſed tantum euidenter cognoſcatur, eſſe credibile quod non alius loquatur, quam Deus ipſe. Sicut ergo placuit Deo iuſtiſſimis de cauſis, vt nos dirigeret ad beatitudinem lucerna lucente in caliginoſo loco, inſtrueretque intellectum noſtrum per argumentum nõ apparentium; ita etiam credendum eſt,

Angelos per eumdem proportionaliter fidei modum direxiſſe ſimiliter in ſuum finem. Siquidem enim placuit, vt Angeli non ſecus ac homines peruenirent ad gloriam per merita, credendum eſt vtriſque prouiſam eſſe vniformiter radicem omnium meritorum, quæ eſt fides, atque ad eo vtroſque indiſcriminatim eſſe vocatos ad cognitionem myſteriorum per argumenta euidentia credibilitatis eorum abſque euidentia credendorum, ſeu ipſorum myſteriorum ſecundum ſe. Quæ tamen euidentia deeſſe non potuiſſet, ſi adfuiſſet euidentia, quæ dicitur in atteſtante, ſeu quod manifeſtatio eorum myſteriorum eſſet à Deo ipſos alloquente, vt patet ex ijs, quæ dicta ſunt quæſt. 19. de virt. theol. præſertim ad 3. nec non quæſt 24. præſertim ad 5. quibus in locis hæc ipſa doctrina circa Angelos tradita eſt.

Art 2. Quod additur in obiectione de perſpicacia intellectus Angelici, valentis euidenter diſcernere locutionem Dei, ab omni locutione creata, & non valentis alteram cum altera confundere, quæ eſſet ſupinitas nimium ſtupida, ac craſſa, nihil eſt. Quia locutio Dei propriè talis, eſt intrinſecè ſupernaturalis ex ſuo conceptu, vt dictum eſt quæſt. 26. de virt. theol. Ad cognoſcenda autem, atque diſcernenda diſtinctè, & clarè obiecta intrinſece ſupernaturalia non

ſuffi-

ſufficit perſpicacia intellectus Angelici, vti probatum eſt ſuperius quæſt. 14. Illa igitur cognoſcit pro qualitate luminis ſupernaturalis ſibi à Deo gratioſè collati. Cùm igitur fieri potuerit, vt Deus daret lumen ſupernaturale ſufficiens ad cognoſcendam euidenter credibilitatem, quòd locutio eſſet Dei, quin eſſet ſufficiens ad cognoſcendum euidenter locutionem eſſe Dei; fieri vtique potuit, vt non diſcerneret euidenter locutionem Dei à locutione creata, licet euidenter diſcerneret eſſe credibilem, & debere credi eam differentiam; atque expediens fuit pro augmento meriti, & maiori laude, ac gloria fidei præſtitæ vt ita fieret. Ita igitur factum eſt. Accedit perſpicaciam in primis intellectus Angelici non dum infecti peccato non eſſe præciſè ex ſua natura maiorem, quàm perſpicaciam intellectus diabolici. Deinde dici non poteſt eſſe magis diſcernibilem ex ſua natura locutionem Dei ab omni locutione purè creata, quam ſit diſcernibilis ipſe Deus ab omni pura creatura. Cum igitur dæmon non potuerit euidenter diſcernere hominem Deum à puro homine, tametſi Chriſtus Deus & homo ſimul faceret opera, quæ nemo alius fecit, & vi quorum erat euidenter credibile, & debebat credi ipſum eſſe Deum; nimirum videri non debet ſi Angelus, ſeu idem dæmon, antequam peccaret, non

magis potuit ex perſpicacia ſui intellectus euidenter diſcernere loquutionem Dei ab omni loquutione purè creata. Neganda igitur eſt Angelis, dum eſſent in via, euidentia in atteſtante, ſolaque illis concedenda eſt fides, qua, & per quam, & formaliter, & cauſaliter mereri poſſent, ſicut nos meremur. Quo corruit omne, quod deinde additur in obiectione circa actus aliarum virtutum, quorum alioquin meritum redditur difficilioris intelligentiæ, ac diſpoſitionis, tametſi non euacuetur re ipſa neceſſariò, vt mihi quidem videtur.

QVAE-

QVAESTIO XXIV.

Vtrum Angeli conſequuti ſint gratiam, & gloriam inæquales iuxta inæqualitatem naturæ?

VIDENTVR non neceſſariò conſequutos eſſe vtramque, vel alterutram cum eiuſmodi proportione ad perfectionem naturæ 1. Quia homines cum ſint æquales in natura, inæquales nihilominùs gratiæ, & gloriæ gradus ſortiuntur, vt dictum eſt quæſt. 13. de Deo, & nonnulli euadunt ſuperiores Angelis quo ad vtramque, vti eſt certiſſimè ſuperior, & quidem incomparabiliter, ſaltem Beata Virgo. Quid ni igitur idem acciderit; accidere certè potuerit etiam Angelis, vt inferiores in natura præeminerent quoad gratiam, & gloriam ſuperioribus naturaliter, atque pares in natura fierent diſpares donis gratiæ, & gloriæ?

2. Naturæ Angelicæ nequidem de congruo debentur abſolutè vlla dona ſupernaturalia. Cui autem nihil debetur abſolutè, non poteſt deberi plus, vel minùs determinatè ex ſuppoſitione, quòd ali-

aliquid abſolute conferatur purè gratioſè. Eadem nempè proportionis ratio eſſe videtur quoad ſimpliciter, & quoad ſecundum quid.

3. Vt Angeli dicantur accepiſſe inæqualiter iuxta inæqualitatem naturæ quoad ea dona ſupernaturalia, quæ ipſis collata ſunt independenter à libera eorum diſpoſitione, & merito. Dici nihilominùs non poteſt eam proportionem ſeruatam eſſe neceſſariò ex natura rei quoad ea etiam, quæ conſequuti ſunt dependenter à propria libera diſpoſitione, & merito. Quia quæ liberè ab vnoquoque fiunt, poſſunt fieri cum maiori, vel minori conatu, vt placet. Neque fieri poteſt, vt cui eſt liberum abſolutè velle aliquod obiectum, vel nolle, ſit nihilominùs neceſſarium, vt velit illud ſummo conatu abſolutè ſibi poſſibili ex ſuppoſitione, quòd determinetur ad volendum. Quia obiectum non neceſſitans ad amorem ſui, non poteſt neceſſitare ad determinatam intenſionem amoris ex ſuppoſitione; quod amandum ſit. Cui enim poſſibile eſt reſiſtere totaliter, poſſibile etiam neceſſariò eſt reſiſtere, quantum placet.

4. Multi ex ſuperioribus Angelis inciderunt liberè in damnationem, multis inferiorum perſeuerantibus liberè in amore iuſtitiæ, ideòque prouectis ad gloriam. Sicut plures homines bonæ indolis

dolis damnantur, plures verò conſequuntur gloriam ſuperata per gratiam mala indole. Multo igitur facilius fieri potuit, vt aliqui ex ſuperioribus Angelis operarentur ſegniter, licet honeſte, & è conuerſo nonnulli ex inferioribus operarentur feruenter, ſummaque cum intenſione, ac proinde, vt inæquales in natura, conſequerentur inæqualem gloriæ gradum contraria inæqualitatis ratione, ſicut contingit pluribus bonæ, & malæ indolis hominibus.

5. Si ſupremus inter beatos Angelus præemineret neceſſariò quoad gloriæ gradum neceſſitate fundata in exceſſu naturæ, poſſet gloriari quoad ſuum gloriæ exceſſum, quaſi eum non accepiſſet. Poſſetque ſibi arrogare, tanquam propriam diſcretionem ſui ab habente minorem gloriam. Quod tamen eſt abſurdum, & contradicit Apoſtolo vniuerſaliter dicenti, dicenti profectò ratione vniuerſali. *Quis te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti. Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?*

Art. 1. Reſpondetur. Dona omnia ſupernaturalia, tam dependentia, quàm non dependentia ab vſu libertatis, & merito, diſtributa eſſe Angelis inæqualia, iuxta inæqualitatem naturalem ipſorum, & ſeruata iuſta proportione inter naturam, & gratiam, eſt ſententia Magiſtri diſt. 3. §. *Ille igitur*. & D. Thomæ queſt.

61. art. 6. aliorùmque ita communis vt dixerit Vaſquez, neminem ſe vidiſſe, qui oppoſitum aſſereret. Sed nec aſſeruere poſteriores neoterici, niſi quod Becanus, Franciſcus de Lugo, DerKennis, alijque nonnulli rem incertam pronunciant, prǽeunte Molina. Probat Magiſter. *Quia id pertinet ad ſapientiam Dei, a qua moderatione cuncta ordinantem.* Probat ſimiliter D.Thomas, *quia id videtur rationabile.* Confirmat exemplo artificis ordinantis ad honoratiorem partem domus lapides pulchrius, & decentius aptatos. Addit quoad ea, quę dependent ex libera cuiuſque diſpoſitione, & meritò, Angelos non impediri, ſicut impediuntur homines mutua pugna diuerſarum naturarum, quò minùs ſemper operentur iuxta omnem conatum ſibi abſolutè poſſibilem. Qui nempè perfectioribus Angelis prętantior proculdubio eſt poſſibilis.

Art. 2. Verùm quod ad primum illud attinet, Magiſtro, & D.Thomę commune de ęquitate ſapientię, ac prouidentię diuinę rationabilia ſemper ſectantis, non deſunt modernis illis auctoribus rationes congruentię ad oppoſitum. Quia, prętet rationes dubitandi iam pręmiſſas, plurimùm contuliſſet ad manifeſtationem gratię Dei ſuperantis dignitatem naturę, ſi ea conferretur vberior aliquibus inferioribus in natura. Deinde ea

ratio,

ratio, vt habeat aliquam vim perſuadendi quoad ea dona, quę proueniunt ex ſola libera electione diuina, quoad ea tamen, quę dependent etiam ex libera electione creata, vti dependet gloria, nihil ſuadere videtur. Quia electio creata poteſt exorbitare à dictamine ſapientię Dei, nec ſemper elicit, quod rationabilius eſt. Quod verò ſpecialiter addit D. Thomas de artifice creato, & de operatione Angeli difficultatis experte, difficultate non vacat. Quia paritas artificis creati, ſi quid ſuaderet, ſuaderet vtique non debuiſſe derelinqui à Deo in infimo inferorum loco quemquam ex Angelis naturaliter ſuperioribus, eleuatis in ſupremum glorię culmen pluribus Angelis ordinum inferiorum. Quod verò Angeli fuerint expertes difficultatis in operando, id verò videtur difficillimum. Primum abſolutè; tùm quia omne agens liberum, pręter Deum, patitur aliquam difficultatem in deſerenda altera parte contradictionis, propter motiuum proprię alicuius conuenientię impellentis ad illam, quod ſemper adſit neceſſe eſt; tùm quia conſtat Angelos ſtantes pugnaſſe cum cadentibus, atque per eorum victoriam, de cuius ratione eſt difficultas, obtinuiſſe coronam glorię, vt dicetur infra queſt. 28. Idem pręterea eſt difficile ad propoſitum. Quia etiam Deus, omnis licet expers difficultatis,

tatis poteſt obiecta in ſe ęqualia inęqualiter, immò & idem obiectum modò plùs, modò minùs amare pro libito, ex ſola libertatis prętogatiua, potentis ſe applicare operi, non ſolùm cui, & quando vult, ſed etiam pro vt vult, & quantùm vult. Deindè duo homines pari difficultate pręuenti poſſunt inęqualiter illi cedere, plus minùs, vt libet. Ergò Angeli pari facilitate prędıti poſſunt illa ſimiliter vti inęqualiter, vt placet. Apparet igitur oportere, vt eę rationes pluſculum promoueantur.

Art 3. Quoad ea dona, quę non dependent, neque formaliter, neque cauſaliter ex libera electione ſuſcipientis, qualiá certò ſunt auxilia actualia gratię præeuntia ad primum actum ſalutarem. Supponendum eſt in præſenti ex dictis quæſt. 21. & 22. de Sacram. Angelos, ſicut & alia quæuis agentia entitatiuè naturalia, ex ſuppoſitione eleuationis in ordinem ſupernaturalem, impendere, in actus ſupernaturales, eandem, quantùm eſt ex ſe, actiuitatem, quam impenderent non eleuati in actus naturales, ac ptoinde conferre poſſe actibus ſupernaturalibus tantam, quantùm eſt ex ſe, perfectionem, quantam conferre poſſent actibus naturalibus. Manifeſtum autem eſt. Primo Angelos inæqualem pro inæquali cuiuſque perfectione, actiuitatem impendere poſſe in actus naturales, &

inæ-

inæqualem ſimiliter perfectionem eiſdem conferre. Secundo; vnicuique cauſæ deberi ex natura rei, pro quouis ſtatu, comprincipia ſufficientia, vt poſſit impendere, atque reducere in actum ſecundum totam ſuam actiuitatem naturalem, vtque communicare poſſit effectibus totam eam perfectionem, quæ poteſt eiſdem ſimpliciter ab illa conferri, quantum eſt ex ſe. Tertio: comprincipia ſupernaturalia, quæ iuſtè ſufficiunt ad impendendam minorem cauſæ naturalis actiuitatem, conferendámque effectibus minorem, ex vi cauſæ naturalis, perfectionem, non ſufficere pro maiori & actiuitate in cauſa, & perfectione in effectu. Patet iſtud vltimum punctum. Quia actiuitas, & perfectio correſpondens cauſæ naturali eſt conſerta actiuitati, & perfectioni correſpondentibus comprincipio ſupernaturali, dum producitur effectus ſupernaturalis, nec fieri poteſt, vt perfectio correſpondens cauſæ entitatiuè naturali augeatur, quin ſimul augeatur perfectio formaliter correſpondens comprincipio ſupernaturali, reſpectu eiuſdem effectus indiuiſibilis à parte rei. Qui ſcilicet, ſecundùm omnia ſua prædicata ſimul creſcat, aut decreſcat neceſſe eſt. Ob hæc igitur omnia debentur ex natura rei comprincipia, & effectus ſupernaturales, ſaltem qui non ſunt electiones liberæ. Debentur inquam inæquali-

qualia pro inæqualitate naturali ſubſtantiæ, ex ſuppoſitione, quod hæc eleuetur ad finem ſupernaturalem.

Art. 4. Confirmatur hic diſcurſus. Quia ob eam præcisè rationem, quæ modo ponderata eſt, debentur homini ex natura rei ſuppoſita eleuatione, actus ſupernaturales intellectus, tum deliberati, tum indeliberati, dependentes intrinſecè à phantaſia compoſitionis, & diuiſionis participes, ſimiliterque debentur virtutes per ſe infuſæ comprimendis paſſionibus idoneæ, & ſic de cæteris proportionaliter. Angelis verò debentur ſpecies impreſſæ, actus intellectus, & habitus voluntatis, oppoſitæ per omnia conditionis. Ergo Angelis inuicem diſparibus ad eum fere modum, quo infimi Angeli ſunt diſpares reſpectu hominum, qui non niſi paulò minùs ab illis minorati ſűt debentur ſimiliter dona gratiæ inuicem diſparia proportionaliter, ſaltem, quæ, & quatenus conferuntur independenter à merito, & libera diſpoſitione, & ita, vt foret miraculoſum, ſi Angelo minùs perfecto conferrentur maiora dona gratiæ præuenientis omnem liberam electionem quam Angelo perfectiori; ſicut eſſet miraculoſum ſi homini conferrentur eius generis auxilia, & virtutes, cuius ſunt quæ conferuntur Angelo ex natura rei. Idemque dicitur de donis diſparibus Angelorum ſubſtantialiter æqualium, aut paribus inæqualium.

Cir-

Art. 5. Circa ea, quæ dependent à meritis, & libera diſpoſitione ſuſcipientis & circa ipſos actus liberos, obſeruandum eſt, ſæpe accidere, vt cauſa difficultatis auocantis animum ab aliqua electione impellentiſque ad eius omiſſioné, & illam difficilem, hanc verò reddentis facilem, nullam nihilominus ingerat ſpecialem difficultatem aduerſus intenſionem, & ſummum conatum actus, quo fit electio ex ſuppoſitione, quod hæc faciéda ſit. Qui enim dubitat ex. gr. de capeſſenda militia, aut ſcientijs comparandis, & motiua in vtramque partem perpendit anceps, aliquam eo ipſo difficultatem patitur in vtriuſuis partis electione; & nullam nihilominus neceſſe eſt, vt patiatur ſpecialem indidem difficultatẽ aduerſus ſummum conatum, eam in partem impendendum, quæ animo demùm inſederit. Quia videlicet quęlibet electio efficax vnius partis, vtcunque remiſſa, æquè priuat commodis oppoſitæ partis. Vnde illis æquè contradicit electio remiſſa, ac intenſa. Dicendum iam eſt, ita rem omninò habere in omnibus & quibuſuis electionibus liberis Angelorum. Quia quælibet electio efficax, ſiue intenſa, ſiue remiſſa ex. gr. perſiſtendi in obedientia Dei, ęque erat incompoſſibilis cum commodis, & motiuis omnibus impellentibus ad peccandum vt per ſe patet. Idemque dicitur de quibuſuis a-

lijs

lijs electionibus eorum inuicem incompoſſibilibus.

Art. 6. Sed neque ex defatigatione maiori in eliciendo actu intenſiori potuit in Angelis exurgere difficultas aliqua ſpecialis aduerſus ſummam vniuſcuiuſque actus intenſionem. Quia Angeli ſunt liberi à grauamine corporis, cuius defatigatione redditur nobis ſpecialiter difficilis ſumma intenſio, ſummuſque conatus operandi. Iſta autem ſublata difficultate ex defatigatione eo eſt delectabilior, ac proindè, & facilior vnuſquiſque actus ſiue intellectus, ſiue voluntatis, quò intenſior eſt. Neceſſe igitur fuit, vt Angeli incumberent operi meritorio ſummo conatu abſolutè poſſibili reſpectu vniuſcuiuſque. Impellebat nimirum ad ſummum conatum maior honeſtas, maiorque delectatio, deinde maiori intenſioni actus, nullaque ſpecialis difficultas pugnare potuit aduerſus magnitudinem conatus in opere, ſed ſolùm quoad electionem operis abſolutè. Impoſſibile porrò eſt, vt qui ſuperat difficultatem aliquam pro conſequutione alicuius ſui emolumenti, non velit augmentum eius maximum, ſi hoc obtineri poſſit, nulla alia ſpeciali difficultate ſuperata; ideſt, vt velit facere expenſas ſufficientes ad maius lucrum, ſimulque nolit exceſſum lucri, maioremque ex eodem exceſſu delectationem, ſed

ſed velit eſſe contentus minori, ſolaque ſua ſpontanea electione facere excluſionem maioris, nullo motiuo ſpecialiter alliciente ad hanc iacturam, ſeu quod magis exprimit abſurditatem, vt velit pugnare contra inclinationem, & incluſionem maioris boni, & maioris inde futuræ delectationis, atque difficultatem omnem, quæ ineſt vtriuſque deſertioni, ſuperare ſolum, vt habeat, quod minus eſt, nullo propterea ſpectato, aut quæſito commodo ſpeciali. Ratio euidens huius rei eſt. Quia nemo intendens ad malum operatur, vt dicit Philoſophus, atque minus bonum comparatione maioris intra idem genus, eiuſdemque prorſus rationis, eſt purum malum, vt oſtenſum eſt quæſt. 12. de act. hum. præſertim ad 1. & 3. Neceſſe igitur fuit, vt Angeli elicerent actus meritorios gratiæ, & gloriæ, & diſpoſitiuos ad gratiam, ſummo conatu, ſummaque cum intenſione abſolute poſſibili reſpectu vniuſcuiuſque ac proinde inæquales iuxta inæqualitaté ſubſtantialem eorum. Omnes itaque Angeli conſequuti omnia dona gratiæ, & gloriæ, tàm dependentia, quàm non dependentia ab actibus liberis, cum inæqualitate, & æqualitate iuſtè commenſurata inæqualitati, & æqualitati naturali ac ſubſtantiali cuiuſque.

Ad 1. Homines in ordine etiam naturæ ſortiuntur inæquales perfectiones acci-

accidentales, licet ſint in ſe omnes ſubſtantialiter æquales. At nihil eiuſmodi accidere poteſt in Angelis. Ratio eſt, quia homo ex ſua natura expoſitus eſt diuerſis, ac longè inter ſe diſparibus cauſarum occurſibus, potentium influere in ipſum, cuius oppoſitum conuenit naturę Angelicæ, vti ponderatum eſt ſupra q.5. Indè fit, vt homines numero diuerſi euadant in ordine naturali quaſi ſpecie diuerſi propter accidentium diſparitatem ipſis connaturalem; cum Angeli tales neceſſariò ſint accidentaliter quoad naturalia, quales ſunt quoad ſubſtantiam. Quia verò ordo gratiæ imitatur, quoad fieri poteſt, ordinem naturæ, mirum non eſt quod hominibus, licet æqualibus in natura, diſtribuantur inæqualia dona gratiæ; Angelis verò æqualibus æqualia, & inæqualibus inęqualia neceſſariò contingant Quid quod etiam hominibus iuxta prouidentiam ordinariam, diſtribuuntur inæqualiter dona ſupernaturalia independentia à meritis. Quoad ea verò, quæ dependent à meritis, patet clara ratio diſcriminis inter homines, & Angelos ex ijs quæ nuper dicta ſunt art.6.

Ad 2. Patet ſatis ex toto ſuperiori diſcurſu Et præterea inſtatur argumentum in perfectionibus naturalibus Angelorũ. Licet enim Angelis non deberetur abſolutè, vt eſſent, vtque haberent perfectiones aliquas naturales, nihilominus ex

ſup-

ſuppoſitione, quoad exiſtant, debentur ſingulis ex natura rei perfectiones naturales inæquales iuxta inæqualitatem naturæ, quidni ergò ſimilis inæqualitas debeatur quoad ſupernaturalia, ſuppoſita eleuatione? Ill d de ſimpliciter, & ſecundum quid tenet ſolum cæteris omnino paribus. Non ſunt autem paria; nullam factam eſſe, & aliquam factam eſſe ſuppoſitionem.

Ad 3. Fieri poteſt, vt adſint motiua nuicem oppoſita ratione quorum ſit abſolutè liberum idem velle, & nolle; & nihilominus nō adſint motiua ſimiliter oppoſita, quoad maiorem, & minorem intenſionem actus ratione, quorum reddatur libera maior, & minor applicatio virtutis ad agendum; atque ita neceſſario contingit in Angelis, vt dictum eſt ſupra. Vndè licet Angelis quoad plura ſit liberum velle, & nolle ſimpliciter, atque adeò omittere, vel non omittere maiorem ſimul cum minori intenſione cuiuſq; actus, non tamen eſt liberum, vt elicito aliquo actu, omittatur nihilominus libere aliqua eius intenſio abſolutè poſſibilis. Eodem prorſus modo reſpondetur ad 4.

Ad 5. Cum Angelo non inſit, iuxta dicta, ſpecialis libertas quoad ſummam applicationem virtutis, ſummamque intenſionem actus diuerſa ab ea, qua eſt liber ad operandum ſimpliciter, eodem

indiuiſim auxilio gratiæ confert Deus ex natura rei diſcrimen operantis benè ab operanti male, atque operantis cum ſumma bonitate ab operanti cum ſumma malitia. Non igitur habet Angelus, vt benè operetur, ex gratia, ex ſe verò, vt valdè bene operetur; ſed vtrumque indiuiſim eodemque modo habet ex gratia, ſolumque habet ex natura, vt ſiquidem Deus dignetur conferre alterum eo tum per ſuam gratiam conferat, & alterum per eamdem gratiam. Saluatur itàque vt ſonat intentio, & ſenſus legitimus Apoſtoli in verbis illis obiectionis, iuxta ſuperiorem noſtram doctrinam.

QVAE-

QVAESTIO XXV.

Vtrum Angeli ſint peccabiles.

VIDENTVR non eſſe peccabiles, Quia nullus poteſt eſſe defectus in voluntate, quin præexiſtat aliquis defectus in intellectu, à quo ea dirigitur in omni opere ſuo. At in intellectu Angelico nullus poteſt eſſe defectus vel circa finem, & media naturalia, vel circa finem, & media ſupernaturalia. Non quidem circa naturalia, quia ea cognoſcit comprehenſiuè. Neque circa ſupernaturalia, quia hæc cognoſcuntur per fidem, cuius certitudo, ac infallibilitas eſt maior, quàm quæ conuenit rationi naturali, vt dictum eſt quæſt. 22. de virt. theol. eademque fides eſt clarior ac luminoſior, quàm ratio naturalis, vt dictum eſt ibidem quæſt. 24. Ergò in voluntate Angeli neque eleuata, neque non eleuata poteſt eſſe ullus defectus, ac proindè nec peccatum poteſt eſſe vllum.

2. Peccatum conſiſtit in priuatione, vt dictũ eſt quæſt. 19. de act. hum. ideoque dari non poteſt, niſi in his, quæ ſunt in potentia, vt dicit Philoſ. 9. metaph. tex. 19. Angeli autem non ſunt entia in potentia, cum ſint formę ſimplices, &

incompoſitæ. Ergò in Anglis non poteſt dari peccatum.

3. Angeli ex vna parte comparantur cum ſubſtantia intellectuali corporea, ſicut comparantur corpora cæleſtia cum ſublunaribus. Ex alia vero parte, peccatum comparatur cum ſubſtantia intellectuali, ſicut comparatur corruptio defitio, & mors cum ſubſtantijs corporalibus. Ergo ſicut corpora cæleſtia ſunt expertia corruptionis, nec naturaliter corrumpi poſſunt; ita Angeli ſunt expertes peccati, nec peccare vllo pacto poſſunt. Nempè repugnat conceptui pecati, vt ſit ſupernaturaliter poſſibile, ideſt poſſibile auctore Deo ſpecialiter ipſum inducente ſupra facultatem naturæ.

4. Peccatum eſt incompoſſibile cum dilectione Dei, ac proinde cui neceſſariò, ac inſeparabiliter ineſt dilectio Dei, eſt impoſſibile, vt inſit peccatum aliquádo. At Angelis ineſt neceſſariò, ac inſeparabiliter dilectio Dei, vel formaliter, vel ſaltem virtualiter, vt dictum eſt ſupra quæſt. 20. ſub initium. Ergò Angelis nullum vnquam poteſt ineſſe peccatum.

5. Voluntas non poteſt appetere niſi bonum, vel apparens bonum, nec peccare poteſt appetendo verum bonum. Reſpectu autem Angelorum bonum apparens conuertitur cum vero bono, nec fieri poteſt, vt voluntati eorum proponatur

tur bonum purè apparens, Quia Angeli ſunt per ſe incapeces falſitatis, nec in eam incidere poſſunt independenter à peccato, vt dictum eſt ſupra quæſt. 15. verſus finem. Ergò Angeli peccare non poſſunt.

6. Non repugnat ex ſuo cóceptu ſubſtantia intellectualis creata intrinſecè impeccabilis. Ergò datur de facto. Ergò Angeli ſunt intrinſecè impeccabiles. Patet prior conſequentia. Quia datur de facto omne genus ſubſtantiarum poſſibilium, vt oſtenſum eſt ſupra quæſt 1. Manifeſtum autem eſt, ſubſtantiam intellectualem creatam intrinſecè impeccabilem conſtituere genus quodam peculiare diuerſum ab omni alio genere, iuxta notionem generis ſeu gradus, & claſſis peculiaris ſubſtantiarum traditam in eadem quæſt. 1. Patet ſimiliter poſterior conſequentia, Quia nulla datur de facto ſubſtantia ſuperior, ac nobilior Angelis, vt tradit Dionyſ cap. 4. de diu. nom. & alibi ſæpè. Probatur antecedens, quia impeccabilitas coniuncta cum intellectualitate non includit in ſuo conceptu infinitatem perfectionis, vt patet in ſubſtantia intellectuali beata, quæ quatenus beata, eſt eſſentialiter impeccabilis. & tamen non eſt perfectionis infinitæ.

7. Peccabilitas Angelorum neque à priori colligi à nobis poteſt, neque à poſteriori. Non quidem a priori. Quia na-

natura Angelica, & magnitudo perfectio-
nis eius eſt nobis valdè ignota, ideoque
vires eius, ac poteſtatem metiri iuſtè ne-
quaquam poſſumus. Sed neque à poſte-
riori. Quia quod dæmones de facto pec-
cauerint, non arguit Angelos etiam pec-
care potuiſſe. Quia dæmones ſunt ſpi-
ritus terreſtres vt dixere veteres nonnul-
li Philoſophi, & ex aliqua corporis com-
mixtione compacti, vt colligitur ex Dio-
nyſio dicente cap. 4. de diu. nom. par. 4.
in dæmonibus eſſe furorem irrationabilem, &
concupiſcentiam amentem. Quæ quidem
ſunt affectiones dependentes eſſentialiter
ab organo corporeo. At Angeli ſunt om-
ninò incorporei, vt dictum eſt quæſt. 1.
Patet autem, non valere conſequentiam
à peccabilitate ſpiritus terreſtris, & in-
fecti commixtione corporis, ad peccabi-
litatem puri, ac impermixti ſpiritus. Nul-
la igitur ratione dici poteſt, Angelos eſſe
peccabiles ex ſua natura.

8. Angelus non poteſt peccare venia-
liter. Ergò neque lethaliter, ac proin-
de nullo modo. Patet conſequentia.
Quia qui non poteſt minus, non poteſt
maius intrà idem genus. Antecedens,
quod eſt D. Thomę 1. 2. quæſt. 89 art. 4.
probatur. Quia peccatum veniale con-
ſiſtit in priuatione rectitudinis circa me-
dium abſque priuatione rectitudinis cir-
ca finem, in qua poſteriori priuatione
conſiſtit peccatum læthale. In volunta-
te

te autem Angeli non poteſt dari priuatio rectitudinis circa medium abſque priuatione rectitudinis circa finem. Quia intellectus Angeli, cum non ſit diſcurſiuus, vt dictum eſt ſupra quæſt. 15. nequit cognoſcere, ſicut nos poſſumus, diuerſis ſeorſim cognitionibus concluſiones, & principia concluſionum, ſed neceſſariò fertur indiuiſim ad vnamquamque concluſionem ſub ſuo principio. Ergò ſimiliter voluntas Angeli nequit verſari circa medium, quin ſimul ac indiuiſim verſetur circa finem, ac proindè nequit deuiare à rectitudine circa medium, quin ſimul, ac indiuiſim deuiet à rectitudine circa finem. Patet hæc conſequentia, quæ eſt D. Thomæ in eodem loco. Quia ſicut ſe habent principia, & concluſiones reſpectu intellectus, ita ſe habent media, & fines reſpectu voluntatis. Vndè non poteſt cuiuſquam voluntas aliter verſari circa hæc, quam verſetur intellectus eiuſdem circa illa.

Art. 1. Reſpondetur. Certum eſt ex fide aliquos ex Angelis peccaſſe de facto, vt liquet ex illo Iob. 4. *Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem. Quanto magis, qui habitant domos luteas &c.* & epiſt. 1. Ioann. 3. *Diabolus ab initio peccat*; & Ioan. 8. *Mendax eſt, & pater mendacij, ille homicida erat ab initio*, & epiſt. Cath. Iudæ Apoſtoli verſ. 6. *Angelos vero qui non ſeruauerunt ſuum prin-*

cipatum. ſed delinquerunt ſuum domicilium in iudicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit. Quia verò, qui peccauerunt, fuerunt eiuſdem naturæ cum ijs, qui permanſerunt in accepta iuſtitia, cócluditur, illos etiá peccare ſimiliter potuiſſe. Vndè Auguſt. lib. 3. contra Max. cap. 12. *Et omnes*, ait, *qui non peccauerunt, peccare potuerunt*. E conuerſo quia aliqui Angeli perſtiterunt ſemper immunes à peccato, vt infra dicetur colligitur ſimiliter eos, qui ceciderunt potuiſſe ſtare, & permanere innocentes, ac proindè non natura, ſed libera electione eſſe malos, vti contra Manichęos, & Priſcillianiſtas definitur in cap. firmiter de ſumma Trinit. ex Concil. Later. ſub Innocentio III. atque alibi non ſemel docetur que luculenter ab antiquis Sanctis PP. maximè verò ab Auguſt. in libris de natura boni contra Manichæos, præſertim cap. 32 & 33. atque alibi perſępè, fusè, & efficaciter, & colligitur, ex illo Geneſ. 1. fine: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. Vtramque partem de poteſtate bonorum ad iniquitatem, & malorum ad innocentiam ſtabilem complectitur inter alios Gelaſius Papa in diſput. contra Pelagium. *Vnde ergo beati Angeli de perceptis grati pia deuotionis officio, & non ſeipſos, ſed potius ipſum præferendo conuenienter auctorem ad eius perpetuitatem proficere, prouehique merentur in-*

dè

& isti, qui reprobi ſunt de perceptis ingrati à debitumque negantes retracti ſunt. Similiter Gregorius hom 7 in Ezech *Natura, ait, Angelica, quandò creata eſt, liberum accepit arbitrium, vtrum vellet in humilitate perſiſtere, & in Omnipotentis Dei conſpectu permanere; an ad ſuperbiam laberetur, & à beatitudine caderet. Sed quia cadentibus aliis Sancti Angeli in ſua beatitudine perſtiterunt, hoc acceperunt in munere, vt iam cadere omninò non poſſent.* Auguſtinus denique lib. 12. de Ciuit cap. 9. ante med. *Eoque, ait, ſunt iſti ab illorum ſocietate diſcreti quod hi in eadem voluntate bona manſerunt, illi ab ea deficiendo mutati ſunt, mala ſcilicet voluntate, hoc ipſo quod à bono defecerunt, à quo non defeciſſent ſi vtique voluiſſent.*

Art. 2. Superest videndum, an Angelis ex ſua natura ſecundum ſe præcisè conſiderata inſit peccabilitas proxima, vt peccare potuiſſent, tametſi in ſtatu puræ naturæ relicti fuiſſent; an verò ratione ſolius eleuationis in finem ſupernaturalem viſionis Dei immediatæ redditi ſint proximè peccabiles. Et quidem ex eleuatione ad finem ſupernaturalem ſubortas eſſe peculiares aliquas difficultates aduerſus perſeuerantiam in accepta iuſtitia, adeoque ſpeciales indè emanaſſe occaſiones peccandi, dubitari minimè poteſt. Quia ratione eius eleuationis debentur opera ſupernaturalia fidei, ſpei, & charitatis, aliarumque virtutum, quæ

ſunt ſpecialiter ardua, nec præſtari poſ-ſunt, niſi ſuperatis grauibus difficultatibus, quæ ab illis ſpecialiter retrahunt debilitatem naturæ, ægrè aſſurgentis ad tam ſublimem operandi modum, & vſque adeò diffidentem à modo connaturali operandi. Cæterùm adduci nullatenùs poſſum, vt aſſent à Ma., Sancto Thomæ dicenti cum nonnullis alijs ſui præſertim ordinis Theologis, Angelos potuiſſe quidem peccare de facto, quia eleuati ſunt in finem ſuper naturalem; ſi tamen in ſtatu puræ naturæ creati, ac deinde relicti fuiſſent, fore, vt peccare minimè vnquam potuiſſent. Multa nimirum ſunt, quę me vehementer retrahunt ab ea ſententia, atque efficaciter perſuadent, Angelos non minùs, ſi non & multò magis fore peccabiles, atque expoſitos periculo peccandi, ſi relicti fuiſſent in ſtatu purę naturę, quàm fuerint de facto in ſtatu eleuationis. Sed ſuffecerit pauca breuiter indicare.

Art. 3. Primum eſt, quia prouidentia Dei quatenùs ſupernaturalis non eſt minùs perfecta, minuſue benigna, ac liberalis, quàm foret, quatenùs purè naturalis. Quapropter non minùs ſufficientia, minùſue proportionata confert media, & auxilia in ordine ad finem ſupernaturalem, quàm exhibitura foret in ordine ad finem purè naturalem. Immò quia ordo ſupernaturalis eſt ordo gratiæ, &

pro-

profuſæ liberalitatis, exuberantis vltra limites naturæ: ordo verò naturalis eſt ordo iuſtitiæ commenſuratus dignitati, & viribus naturæ; videri meritò poteſt, ac debet profuſiùs ſubuentum de facto eſſe imbecillitati naturæ Angelicæ in ordine ad obedientiam præceptorum ſupernaturalium, quàm ſubuentum fuiſſet in ordine ad obſeruantiam ſolius legis naturalis, ſeruata de reliquo proportione qualitatis auxiliorum. Deinde eleuatio ad finem ſupernaturalem fuit maximum quoddam, & ſpecialiter gratioſum beneficium Dei. Quale tamen certiſſimè non foret, nec ab vllo prudenter eligibile, ſi poteſtas peccandi ita fuiſſet deuincta eleuationi, vt abſque eadem poteſtate; ac proinde abſque vllo amittendi periculo poſſidendus æternùm fuiſſet finis vltimus naturalis, bonum profectò minimè contemnendum abſolutè. Quod proindè conſideratione ſui reddit iſtam rationem ſatis ponderoſam; tametſi non omninò fortaſſis conuincat. Præterea opinio contraria non ſatis cohæret cum alia auctorum eius, aliorùmque Theologorum doctrina, deducta ex ſacris litteris, & PP. quæ ſtatuit, vt paulò poſt dicetur, quamlibet ſubſtantiam purè creatam, libertate præditam, eſſe peccabilem ex natura ſua, perque ſolam gratiam reddi poſſe impeccabilem, quę ſunt verba ipſius Sancto Thomæ diſp. 23. art.

 1, con-

2. concl. 1. Sequeretur nàmque è conuerſo poſſibilem eſſe, darique de facto ſubſtantiam libertate præditam, impeccabilem ex ſua naturæ, ſeu ſibi relictam, ſolùmque peccabilem ratione gratiæ ſupernaturalis ſibi diuinitùs conceſſæ, ita vt ea negata eo ipſo abeſſet proxima peccandi poteſtas, quidquid ſit de reliquo, ſeu de modo, quo gratia requiritur, vt Angelus peccare proximè poſſit. Id nimirùm vnicuique conuenit, & dicitur abſolutè conuenire ex ſua natura, quod conuenit neceſſariò in ſtatu puræ naturæ, id eſt in ſtatu nihil ſuperaddente vltra ea, quæ fert ex ſe natura vniuſcuiuſque. Quarto, omnes conſentiunt, Adamum de facto in ſtatu iuſtitiæ originalis faciliùs conſeruare potuiſſe innocentiam, quàm potuiſſet in ſtatu puræ naturæ. Quid ni idem exiſtimemus de Angelis, non minùs, ſed magis dilectis à Deo ante peccatum, & quibus nullum adeſſet bonum compenſatiuum proportionaliter eiuſdem defectus? Quinto, in ſtatu eleuationis non ſunt poſſibiles actus, niſi affines actibus poſſibilibus in ſtatu puræ naturæ, vti ſuppoſitum eſt iterum ex dictis quæſt. 20. & 21. de Sacram. Nihil autem eſt minùs affine alteri, quàm peccatum innocentiæ, & quàm peccabilitas impeccabilitati, Impoſſibile igitur eſt, vt per eleuationem ſubſtituatur peccabilitas impeccabilitati, & quod eodem

reci-

recidit poſſibilitas peccati neceſſitati innocentiæ.

Art. 4. Illud poſtremò eſt attenta dignum conſideratione, Sanctos PP. cómuniter docere omnem ſubſtantiam intellectualem creatam eſſe peccabilem, quia ex nihilo eſt, vt videre licet apud Suarez lib. 7. cap. 3. & apparet inter alios ex Auguſt. lib. 2. de ciuit. cap. 6. fine vbi ſic habet. *Qui ergò dicit eum, qui conſenſit tentanti, &c. quarat, cur eam* (malam voluntatem) *fecerit. vtrùm quia natura eſt, an quia ex nihilo facta eſt: & inueniet voluntatem malam non ex eo eſſe incipere, quia natura eſt, ſed ex eo, quod de nihilo natura facta eſt*. Et iterùm cap 7. fine, poſt illud Pſal. 18. *Delicta quis intelligit? Hoc ſcio, naturam diuinam nunquam, nuſquam, nulla ex parte poſſe deficere: & ea poſſe deficere, quæ ex nihilo facta ſunt*. Natura autem pura tam eſt ex nihilo, quam eleuata, immò magis recedit à nihilo per eleuationem, quàm per purum eſſe naturale. Impoſſibile igitur eſt, vt natura, quæ ſibi relicta in ſtatu præcisè naturali non eſt proximè peccabilis, reddatur nihilominus peccabilis proximè ratione eleuationis, ſeu dum eleuata eſt; immò eſt impoſſibile, vt non ſit minùs peccabilis, dum eleuata eſt, quàm foret abſque eleuatione. Quam in rem expedit audire verba Auguſtini, quæ annectit immediatè verbis poſtremò relatis ex eodem

Quæ

Quæ tamen quanto magis ſunt, & bona faciunt. Tunc enim aliquid faciunt cùm cauſas habent efficientes. In quantum autem deficiunt, & ex hoc mala faciunt, quid enim tunc faciunt, niſi vana? cauſas habent deficientes. Cùm ergo natura eleuata, ex hoc ipſo magis fit, quàm natura non eleuata, ſiquidem eleuatio fit ſuperaddita actualitate donorum ſupernaturalium. Quorum ſolum defectum ſuperaddit ſibi natura, quatenus pura; conſequens planè eſt ex mente Auguſtini, quæ aliorum quoque PP. communis, naturam eleuatam hoc ipſo eſſe magis idoneam ad faciendum bonum, & ad non deficiendum; naturam verò puram è conuerſo. Quæ quidem omnia talia ſunt, quibus præſtaret aſſentiri, tametſi occurreret in contrarium aliquid minoris ſoliditatis, & maiorum tamen tricarum, quæ expedire, aut omninò ab aliquo non poſſent, aut non vſque adeò dilucidè poſſent. Quid ni quando nihil tale occurrit, vt apparebit ex ſolutione argumentorum?

Art. 5. Dicendum itaque eſt abſolutè, omnem ſubſtantiam purè creatam ratione, aut intellectu præditam, eſſe peccabilem, ſiue ſit, ſiue non ſit eleuata à Deo in finem ſupernaturalem. Vnde & natura Angelica talis dicenda eſt. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 28. diſcreuit cauſam Angelorum quo ad hoc punctum à cauſa communi ſubſtantiarũ

om-

omnium poſſibilium. Cùm enim præmiſiſſet: *Si nihil delectaret illicitum nemo peccaret*, ſubiungit: *Vtrum autem ſit aliqua rationalis creatura quam nihil illicitum poſſit delectare, magna quæſtio eſt.* Ac demum concludit: *Quòd ſi eſt, non in eo genere factus eſt homo, nec illa natura Angelica quæ in veritate non ſtetit; ſed in eo genere iſta rationalia facta ſunt, vt ineſſet eis poſſibilitas frænandi delectationem ab illicito, quam non frænando peccauerunt.* Placuit nihilominus vniuerſaliter complecti omnem ſubſtantiam creatam, & creabilem; tum quia hic locus eſt opportunus dirimendæ eius vniuerſalis quæſtionis, tum maximè, quia nulla occurrit ratio circa Angelos, quæ non ſit communis omni ſubſtantiæ creabili, atque oportet adiungere rationem auctoritati, qua ſola vti voluit eo in loco Auguſtinus. Sed neque deſunt auctoritates, quæ eidem vniuerſalitati ſuffragentur. Primùm enim illud Apoſtoli. 1. ad Timoth. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem*, accipitur communiter de immortalitate prout opponitur, non ſolum morti naturali, ſed etiam morti peccati, vt liquet inter alios ex iſta illatione Amb. lib. 2. de Fide cap. 3. vbi præmiſſis iis verbis Apoſtoli concludit *Ergo corruptionis, & mortis, etiam ſi non moriatur aut peccet, capax eſt omnis creatura.* Eadem interpretatio habetur apud Auguſt. lib. 3. contra Max.
cap.

cap. 1 . *Et cuicunque* ait . *creaturæ rationali præſtatur, vt peccare non poſſit non eſt hoc naturæ propria, ſed Dei gratia*. Eodem pertinet ex mente Hieronymi epiſt. 146. & Auguſt. in prædicto libro cap. 23. illud Pſalmi 142. *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*, & illud Lucæ 18. *Nemo bonus niſi ſolus Deus*. Præterea D. Gregorius lib. 5. moral. cap. 27. rationem peccabilitatis Angelorum reducit in conceptum communem creaturæ, dicens: *Natura Angelica etiam ſi contemplationi autoris ſui inhærendo, in ſtatu immutabiliter permanet, eo tamen ipſo quo creatura eſt in ſemetipſa viciſſitudinem mutabilitatis habet*. Cuiuſmodi quamplura frequenter occurrunt apud alios etiam Sanctos PP. Accedit D. Thomam tum in hac quæſt. 63. ar. 1. tum 3. contra gent. cap. 108. atque alibi ſæpe ſolam adhibere tanquam præcipuam rationem peccabilitatis Angelorum, quæ æquè conuincit de qualibet alia ſubſtantia creabili, nempe quia nulla alia voluntas præter diuinam eſt regula ſui actus. Idemque apparet in omnibus alijs rationibus, quibus vtuntur in eum ſcopum cæteri Theologi, vt videre licet apud Suarez lib. 3. cap. 7. lib. 5 cap. 1 & 2. & lib. 7 cap 3. vbi congerit. & promouet accuratè omnium aliorum argumenta.

Art. 6. Ratio autem legitima eſt: Quia ſola viſio immediata Dei, eiuſdemque

que ſummi, ac puri boni, vt eſt in ſe, poteſt inflexibiliter ſtabilire voluntatem in amore prælatiuo Dei reſpectu rerum omnium creatarum, inque earumdem contemptu comparatione Dei. Omnis namque alia cognitio Dei, ſiue ſupernaturalis per fidem, ſiue naturalis per ſpecies ſolas rerum creatarum, eſt ænigmatica, & repræſentat Deum ad modum rei creatæ, ac proinde Deus quatenus propoſitus voluntati per eiuſmodi cognitionem, mouet eamdem voluntatem ad inſtar rei creatæ, atque voluntas comparatur cum Deo, quatenus ſic propoſito ſibi, ad eum modum, quo comparatur cum bonitate creata. Quia modus amoris, & modus mouendi conueniens vnicuique bonitati ſequitur modum cognitionis, qua proponitur voluntati, vtpote eſſentialiter ſubordinatę in ſua operatione operationi præuiæ intellectus. Pronum autem eſt confundere illa, quorum alterum ad modum alterius, & cognoſcitur, & amatur, atque vtrumlibet alteri, & præponi, & poſtponi pro libito poteſt, quandocunque contigerit vtraque eſſe, vel apparere inuicem incompoſſibilia, & quatenns vel quoad ſubſtantiam, vel quoad modum contigerit apparere incompoſſibilia mutuò. Cùm ergo, nec Angelis, nec vlli alij ſubſtantiæ creatæ ſit connaturalis viſio Dei, vti ſuppoſitum eſt ſæpius ex quæſt. 10. de Deo, atque

cuiſ-

cuilibet ſubſtantiæ creatæ ſint connaturalia bona aliqua creata diligibilia, quantum eſt ex ſe, & moderatè, & immoderatè, ſeu cum ſubordinatione, & abſque ſubordinatione ad Deum, quæ quatenus diligibilia immoderatè, & abſque ſubordinatione ad Deum ſunt incompoſſibilia cum amore debito ipſi Deo; concluditur neque Angelos, neque vllam aliam ſubſtantiam creatam, aut creabilem impeccabilem eſſe poſſe ex ſua natura, neque ad impeccabilitatem totalem, & omnino perfectam peruenire poſſe quouſque peruenerit ad viſionem Dei immediatam. Quæ ratio vrgebitur ampliùs in quæſtione proximè ſequenti, vbi etiam apparebit, vnde, & quouſque conueniat Angelis poſſibilitas peccandi, tum phyſica tantùm, tum etiam moralis, ſeu facile reducibilis in actum.

Art. 7. Interim ex hoc diſcurſu deprehenditur quo pacto modificandę ſint communes Sanctorum PP. ac D. Thomæ probationes de peccabilitate Angelorum, aliarumque quarumlibet ſubſtantiarum creabilium, præditarum intellectu, & voluntate; nempe quod ſint ex nihilo, & quod earum voluntas non ſit regula ſui actus. Et quidem perſpicuum eſt, rationes iſtas indigere modificatione, ac limitatione aliqua. Quia beati, ex quo beati ſunt, impeccabiles omnino ſunt, & tamen ſunt ex nihilo etiam in ſenſu compoſito

poſito beatitudinis, ipſa quin etiam beatitudo illis intrinſece inhærens eſt ſimiliter ex nihilo, nec voluntas beatificata, propterea eſt prima regula ſui actus. Modificatio igitur earum probationũ, quam vtique ſubintelligunt pręfati profundiſſimi ipſarum auctores, in hoc conſiſtit, quòd voluntas, quę eſt ex nihilo, ideoque non eſt regula ſui actus, eſt peccabilis ex ſua natura, & eo vſque peccabilis perſeuerat, quouſque non traducitur, donante Deo per gratiam ſuam, ad perfectam coniunctionem cum ipſo Deo, qui eſt purus actus ſummè ac infinitè oppoſitus nihilo, ſimulque eſt regula omnis voluntatis, id eoque impedit omnes effectus nociuos nihilitatis, omnemque remouet operandi obliquitatem ab eo, cui perfectè coniungitur, vt eſt in ſe ipſo, eumdemque propterea reddit ſimillimum ſibi in modo eſſendi, ac operandi iuxta illud: *cum apparuerit ſimiles illi erimus*. Patet itaque, tam Angelos, quàm alios quaſlibet ſubſtantias creabiles rationis, ſeu intellectus participes eſſe peccabiles ex ſua natura, nec à peccandi poſſibilitate, & contingentia liberari perfectè, ac totaliter poſſe, dum peregrinantur à Domino, ſeu nondum potiuntur viſione eius immediata.

Ad 1. Duplex eſt conſiderandus defectus in intellectu, alius erroris, ſeu falſitatis, quo attribuit obiecto aliquid, quod

reipſa

rei pſa illi non conuenit, vel ab eo remouet, quod conuenit re ipſa. Alius defectus eſt ſolius ignorantiæ, ſeu inadæquatæ. & inſuper alienæ, ac impropriæ cognitionis; ratione cuius obiectum repręſentatur aliter, ac eſt in ſe, & ad modum alterius, atque cum quodam confuſionis genere reſpectu aliorum. Vtrslibet ex his defectibus ſufficit ad peccandũ. Quia ſub vtrolibet cognitionis genere bonitas obiecti mouet voluntatem, non vt eſt in ſe, & ſecundum totam vim motiuam conuenientem ſibi abſolutè, ſed ad modum alterius à ſe diſtincti, atque ab ipſo plurimum diſſidentis re ipſa. Quapropter voluntas ſub vtrolibet cognitionis genere poteſt aberrare à legitimo, ac debito abſolutè amoris modo circa obiectum cognitum imperfectè ac defectuosè vtrolibet ex prædictis deficiendi modis. Cum igitur Angelus, tam per fidem, quam per cognitionem naturalem cognoſcat Deum defectuosè poſteriori deficiendi modo, quatenus per vtramque ipſum cognoſcit ad modum creaturarũ, patet Angelum peccare poſſe per actum voluntatis comparatiuum Dei cum creaturis, tametſi motiua omnia creata cognoſcat comprehenſiuè. Nempe, vt deficiat voluntas in amore comparatiuo duorum obiectorum inter ſe non neceſſe eſt, vt cognitio præuia ſit defectuoſa circa vtrumque comparationis extremum, ſed

ſuf-

ſufficit eſſe defectuoſam modo explicato circa alterutrum. Hæc reſponſio colligitur ex D. Thoma quæſt. 16. de malo art. 2 ad 5. vbi ſic de peccabilitate dæmonis pronunciat: *In his, quæ ad naturalem cognitionem pertinent, non errat vt exiſtimet, aliquid falſum eſſe verum, ſed cum Deũ propter infirmitatem eius apprehendere non poſſit, nihil prohibet, quod intellectus eius defecerit in aprehendendo ſufficienter ordinem diuini regiminis, & ex hoc conſequutum eſt peccatum in eius voluntate* Cuius doctrinę ſubſtructionem, quæ habetur fuſius ibidem in c. exponemus diſtinctius quęſt. 27. vbi etiam apparebit D. Thomam nunquã reſtrinxiſſe peccabilitatem Angelorum ad ſtatum eleuationis, licet de eo maiori cum expreſſione loquatur in hac quæſt. 63. art. . atque alibi non ſemel, quatenus hic ſolus ſtatus datus de facto eſt; ideoque expediebat ipſum expreſſius conſiderare. Cetè rationes, quibus probat & modi, quibus exponit potentiam Angelicam peccandi, ſunt communes ſtatui puræ naturæ, & eleuationis vt innotuit ſupra art. . fine, innoteſcit magis in dicta quæſt. 27.

Ad 2. Licet Angelus non ſit in potentia quoad ſuum eſſe naturale, ideoque pati non poſſit priuationem formæ per quam natura eius eſt, ac ſubſiſtit; eſt tamen in potentia quoad actus intentionales, per quos poteſt ferri in hæc vel illa

obie-

obiecta, & hoc vel illo modo, prout eligere libet, & ſecundum hoc poteſt pati priuationem, tum aliorum actuum, tum etiam actus, & rectitudinis debitæ.

Ad 3. Iam iterum notatum eſt ſupra, non eſſe omninò certum, corpora cæleſtia non poſſe pati corruptionem ſecundum partes. Vnde obiectio laborat falſa ſuppoſitione, quatenus ſupponit tanquam indubitatam oppoſitam incorruptibilitatem. Deinde corpora cæleſtia, ſicut, & alia agentia pure naturalia non habent actionem præterquam purè naturalem, quæ procedit ex ſolo appetitu innato, id eſt, vti alibi expoſitum eſt cum D. Thom. ex ſola directione ſapientię diuinæ, ideoque pati non poſſunt malum inordinationis in vlla ſua operatione. At ſubſtantiæ intellectuales, preter operationem naturalem, ac neceſſariam; ſecundum quam ſimiliter ſunt incapaces deordinationis, habent operationes electiuas, & liberas, quæ procedũt ex directione propriæ cognitionis, quæ eſt imperfecta, ac defectuoſa circa Deum, vt dictum eſt. Propterea in eiuſmodi operationibus poteſt accidere malum deordinationis relatè ad Deum voluntatemque diuinam, atque in hac deordinatione conſiſtit mors ſpiritualis. Patet itaque comparationem obiectionis non eſſe adęquatã ſed deficere ex parte alterius extremi, nempe ex parte ſubſtantiarum intellectualium, quate-

tenus in eis ſolas conſiderat operationes naturales, ſeu neceſſarias ratione quarum conueniunt cum corporibus cæleſtibus, omittit vero electiones liberas, ratione quarum differunt ab eiſdem. Non igitur tenet ſimilitudo quoad omnia, & præſertim quoad punctum de quo agitur.

Ad 4. Dilectio Dei, quæ Angelo neceſſario ineſt non eſt amicabilis, volens conformitatem ſui cum eius voluntate, ſed ſolum concupiſcentialiter tendit ad ipſum præcisè, vt ad principium dans ſibi eſſe. Quę dilectio non eſt incompoſſibilis cum peccato.

Ad 5. Voluntas poteſt appetere bonũ tum perfectè, & adæquatè, tum etiam imperfectè, & inadæquatè apparens, vt patet in appetitione quauis creata circa Deum, & circa alia quatenus referuntur ad Deum, & ad diuinam voluntatem, atque ordinem ſapientię eius. Sufficit autẽ ad peccandum imperfectio, & inadæquatio cognitionis, nec præcisè requiritur falſitas, per quam putetur, verum eſſe, quod falſum eſt, vt dictum eſt ſupra. Tranſmiſſo igitur Angelos ante peccatũ falli in nulla re poſſe, ſiue naturali, ſiue etiam ſupernaturali, negatur conſequentia de impeccabilitate eorum. Quia nihilominus poſſunt habere cognitionem imperfectam, & defectuoſam ex inadæquatione, ratione cuius non correſpondeat totaliter obiecto, vt eſt in ſe, ideoq;

que

que fieri deinde poteſt, vt voluntas feratur in obiectum modo, qui ipſi non congruit, quo modo tendendi contingit peccare.

Ad 6. Vtraque conſequentia probatur ſufficienter in obiectione. Sed antecedens eſt falſum, vt patet ex dictis. Ad probationem, negatur rurſus impeccabilitatem ſubſtantialem, ac eſſentialem coniunctam cum intellectualitate non includere in ſuo conceptu infinitatem perfectionis. Quia includit in ſuo conceptu potentiam connaturalem comprehendendi Deum, vel ſaltem videndi ipſum immediatè, vt eſt in ſe Huiuſmodi autem potentia connaturalis includit in ſuo conceptu infinitatem perfectionis, vt oſtenſum eſt in loco ſuperius indicato. Iam vero ſubſtantia creata quæ de facto eſt beata quatenus talis, vltra omnia ſibi connaturalia includit lumen glorię ſupernaturale reſpectu ſui. Quod licet nec ipſum ſit infinitè perfectum, eſſet tamen infinitę perfectionis identitas, tum eiuſdem luminis, tum exigentię innatę, ratione cuius ipſum connaturaliter deberetur, cum aliqua ſubſtantia; ſicut intellectio ex ſuo conceptu vniuerſali non eſt infinita perfectio, & tamen identitas eius cum intelligente, ex ſuo conceptu, eſt infinita perfectio. Vnde in huiuſmodi paritatibus ex collectione diſtinctorum ad identitatem earumdem arguitur,

tut, ſicut ex diſtributiuo ad collectiuum; ideoque ratio paritatis, & conſequentiæ euadit nulla.

Ad 7. Peccabilitas Angelorum innotuit iam ſupra, & à priori, & à poſteriori. Ad rationes in contrarium, quod ad primam attinet de ratione à priori. Quæ ſunt Angelis communia cum omni ente creato, eiſdemque conueniunt ratione limitationis, & imperfectionis, atque productionis ex nihilo, poſſunt cognoſci à priori. Quia eatenus non tranſcendunt capacitaté noſtri intellectus, nec naturas alias, quarum proprietates poſſumus cognoſcere à priori. Innotuit autem ſupra, peccabilitatem Angelorum eſſe prædicatum eius generis, nec eſſe formaliter perfectionem capacitate noſtra ſuperiorē, ſed eſſe puram formaliter imperfectionem fundatam in alia notiſſima, & pluribus rationibus manifeſta imperfectione. Quoad alteram rationem de probatione à poſteriori, oſtenſum iam eſt ſuperius, & dicetur iterum infra, Angelos, qui peccauerunt, ſeu dæmones eſſe eiuſdem naturæ cum Angelis ſanctis. Vnde quod dicitur ex Philoſophis de terreſtritate eorum, & commixtione corporis eſt fabuloſum, & ſubortum ex deluſione phantaſiæ obſeruata ſupra quæſt. 1. initio. Iam Dionyſius adſcribit dæmonibus furorem, & concupiſcentiam per metaphoram, vt dicit D. Thomas quæſt. 59. art. 4. ad 1. ad

eum modum quo in ſacris litteris tribuũtur Deo ira, aliæque affectiones humanæ, & corporales.

Art. 1. Ad 8. Tranſmiſſo in primis antecedenti, quod præterquam eſt Diui Thomæ, redditur valde probabile ratione eius, quæ ibi propoſita eſt; negatur conſequentia, quam Der-Kennis,& nonnulli alij perperam putant eſſe euidentiſſimam. Ad eius probationem. Qui non poteſt minus, nec poteſt maius intra idẽ genus, ſi reſpectu ipſius ſit ſeparabile, minus à maiori; ſecus verò ſi ſit inſeparabile. Hac ratione Deus poteſt iudicare certò, & tamen non poteſt iudicare probabiliter, nec poteſt puram aliquam ſimplicem apprehenſionem habere. Similiter agens liberum poteſt peccare offendendo Deum ſimul, & proximum,& tamen non poteſt peccare offendendo ſolũ proximum, & ſic de ſimilibus. Ratio autem obiectionis contendit, reſpectu Angeli eſſe inſeparabilem deordinationem circa medium,in qua conſiſtit ratio peccati venialis,à deordinatione circa finem in qua conſiſtit ratio peccati lethalis.Cõtendit verò argumento maximæ apparẽtiæ, quod vſque adeò dilucidè propoſitum à D.Thoma, mirum eſt, aliquos auctores, nec legitimè adæquatè referre, aut ſatis ad ipſum aduertere potuiſſe.

Art. 2. Videtur deinde negari nihilominus poſſe antecedens, cum Suarez lib. 3.cap.8.

3. cap. 8. & alijs pluribus, nec eius probationem eſſe omnino conuincentem. Veriſſimum namque eſt, finem ita ſe habere in appetibilibus, & operatiuis, ſicut ſe habet principium in demonſtrabilibus, atque voluntatem ſubordinari intellectui in actu ſuo, ſed falſum eſt, voluntatem ita comparari quoad omnia reſpectu mediorum, & finis, ſicut ſe habet intellectus reſpectu concluſionum, & principij indemonſtrabilis, atque voluntatem ita ferri ad ſuum obiectum, ſicut intellectus fertur ad idem obiectum per actum, quo ipſum proponit voluntati. Intellectus enim cum ſit potentia neceſſaria neceſſe eſt, vt dum cognoſcit aliquid, cognoſcat illud relatè ad omnia, ad quæ referibile eſt, ſeu cum quibus intrinſecè connectitur ratione ſuæ perfectionis peculiaris, ſiquidem perfectè, & comprehenſiuè cognoſcat, vti cognoſcit Angelus motiua peccandi, quæ ſunt naturalia. At voluntas è conuerſo, quia eſt potentia libera, poteſt ferri ad eligibilia, quin ea referat ad omnes fines, ad quos ſunt referibilia ex ſua natura, tametſi præcognoſcantur eſſe taliter referibilia. Quia videlicet poteſt repræſentari aliqua ratio bonitatis in eligibili ſecundùm ſe, aut relatè ad aliquem finem determinatum, quin ſimul repræſentetur ſimilis ratio bonitatis in relatione ad alium finem, immo etiam repræſentata ſimul aliqua ratione

peculiaris malitiæ in eadem ad alium finem relatione. Vnde fit, voluntatẽ ſæpe aliter ferri ad ſuum obiectum, quàm feratur ad ipſum actus intellectus, quo proponitur eidem voluntati. Hac de cauſa omnes concedunt poſſe à voluntate amari ratione ſui, quod intellectus cognoſcit ratione alterius. Nec enim dubitatur, vt non diffundar in alia plura, Deum diligi immediatè, & ratione ſui per charitatem etiam in via, tametſi præcognoſcatur mediatè, & ratione alterius per ænigmata creaturarum, dum ſumus in via.

Art. 3. Hoc igitur prænotato diſcrimine inter voluntatem, & intellectum, atque manifeſtato voluntatem nó neceſſariò ferri ad obiectum, ſicut fertur intellectus, ſed ſolum ſicut intellectus repræſentat, illud eſſe appetibile, & deberi, aut poſſe appeti, non videtur difficile ſatisfacere ponderationi obiectionis. Fatemur enim Angelum cognoſcere indiuiſim vnamquamque concluſionem ſimul cum ſuo principio, & prout ſubeſt eidem. At negamus voluntatem ſimili neceſſitate ferri itidem indiuiſim ad vnũquodque eligibile, & ad omnem finem, ad quem illud eſt referibile cum ſubordinatione actuali, ac voluntaria ad ipſum. Itaque licet mendacium exemp. gratia, aut iocus poſſint referri ad contemptum Dei, atque ad hominis damnationem

ætern

æternam, atque hoc modo velit dæmon de facto quæcunque obiecta mala de ſe leuia, ideoque circa eiuſmodi obiecta ſemper lethaliter peccet, vt obſeruat D. Thomas in dicta quæſt, 89, art. 4. ad 3. nec non quæſt. 7. de malo art 9. ad 4. Id tamen non prouenit neceſſario ex natura eius ſecundum ſe, ſed ex præuia obſtinatione in auerſione à Deo. Nempe ex natura rei non repugnat, vt Angelus velit aliquid de ſe leuiter, ac venialiter malum, hac coniunctim duplici de cauſa. Quia ſcilicet eſt delectabile, aut vtile aliqualiter reſpectu ſui, ſimulquè tale eſt, vt non auertat totaliter à Deo, nec inducat amiſſionem veri vltimi finis. Hæc enim duo, cùm ſibi inuicem nullatenus repugnent, ſed ſint omnino compoſſibilia, atque vt talia poſſint ab Angelo præcognoſci, ſicut cognoſcuntur à nobis; poſſunt vtique ſimultaneè terminare actū electionis Angelicę.

Art. 4. Eo autem ipſo datus erit defectus, & priuatio rectitudinis circa medium abſque defectu, & priuatione rectitudinis circa verum vltimum finem. Datum igitur erit peccatum ſtantummodo veniale, non quidem ex ſurreptione, quam conſtat repugnare Angelo, idque probatur concludenter in obiectione, ſed ex paruitate materiæ non vitiata grauiter ex fine lethaliter peccaminoſo; aut ex contemptu veri vltimi finis. Quod

nullatenus ibidem conuincitur repugnare Angelo. Poteſt igitur Angelus, quantum eſt ex ſua natura peccare venialiter, & ita fortaſſe de facto peccauit, quicunque peccauit lethaliter, pro priori naturę antequam lethaliter peccaret; nempe ratione diuerſionis ad obiecta, quorum conſiderationi, & omiſſioni conſiderationis aliorum obiectorum ſuberat periculum ſpeciale peccandi; deinde lethaliter, iuxta ea, quæ dicentur in quæſtione ſequenti inter exponendum potentiam moralem Angelorum ad peccandum pro ſecundo inſtanti, eiuſdemque potentię defectum pro primo inſtanti.

QVAESTIO XXVI.

Vtrum Angeli potuerint peccare pro primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti?

VIDENTVR potuiſſe peccare 1. Quia potuerunt peccare poſt primum inſtans. Ergo potuerunt etiam peccare pro primo inſtanti. Patet conſequentia, quia Angeli non proficiunt, aut deficiunt temporis progreſſu, ſicut homines, ſed cùm primum exiſtunt, conſequuntur plenitudinem totius ſuæ perfectionis, & actiuitatis tum ſubſtantialis, tum accidentalis. Ergo in primo, & in reliquis inſtantibus habent ex natura rei æqualem ad omnia habilitatem, & & potentiam.

2. Angeli potuerunt bene, & laudabiliter, atque meritoriè operari pro primo inſtanti; ſiquidem acceperunt gratiā ſanctificantem pro primo inſtanti dependenter à propria cuiuſque diſpoſitione libera, ac morali, vt dictum eſt ſupra. Ergo potuerunt etiam peccare pro eodem inſtanti. Patet conſequentia, quia actus bonus, & meritorius eſt maius opus, magiſque arduum, quam peccatum; & qui poteſt plus, & quando poteſt, poteſt, & & minus.

3. Si Angeli peccarent in primo inſtanti, non propterea peccatum eorum tribueretur Deo, tanquam auctori potius, quam peccatum ſecundi inſtantis. Quia pro vtrouis inſtanti æque proueniret peccatum ex defectu cſa Angeli volũtate libere deflectente a Deo ad creaturam, & non ex determinatione Dei; ſicut claudicatio tribuitur çuruitati tibię, & nõ virtuti eius ambulatiuæ, ſiue claudicet pro primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti, ſiue claudicet deinceps. Nullum igitur eſt inconueniens, quod reddat ſpecialiter impoſſibile peccatum Angelorum pro primo inſtanti.

4. Immo videtur, dæmones de facto peccaſſe pro primo inſtanti, vt apparet ex 1. Ioannis 3. *Ab initio diabolus peccat*, & ex verbis Chriſti Domini Ioan. 8. *Ille homicida erat ab initio*. Confirmatur ex Auguſtino dicente lib. 11. ſuper Geneſ. ad litt. cap. 23. Angelum cecidiſſe, non ab his bonis, quæ acceperat, ſed quę acciperet, ſi peccando non obſtitiſſet. Eodem pertinet, quod longiori diſcurſu tradit lib. 1. eiuſdem operis cap. 5. & 15. informitatem creaturæ non præceſſiſſe formationem tempore, ſed origine tantum, atque formationem Angelorum bonorũ intelligi per lucem, quę ſimul ac facta eſt, diſtincta eſt à tenebris, per quas intelligitur peccatum dæmonum. Ergo pro primo inſtanti data eſt diſcretio Angelo-

rum bonorum, & malorum per gratiã, & per peccatum. Confirmatur rurſus. Quia ſi dæmones non peccaſſent pro primo inſtanti, pro eodem conuerſi eſſent ad Deum per dilectionem perfectam, ac proinde nunquam deinceps peccare potuiſſent; propter immutabilitatem naturæ Angelicę in propoſito ſemel concepto, de qua dicetur infra quęſt. 28.

Sed contra eſt 1. Quia operatio primi inſtantis tribuitur cauſæ, à qua procedit operans, vt aſſumit D. Th. q. 63. art. 5. & proſequitur fuſius Anſelm. de caſu diaboli cap. 12. 13 & 14. poteſtque confirmari ex vulgari axiomate: Qui dat formam, dat conſequentia ad formam. Cauſa autem, à qua procedit Angelus, & quę dat ipſi formam eſſendi, eſt Deus, cui repugnat, vt tribuatur peccatum, tanquam auctori, ad eum modum, quo claudicatio tibiæ, quod eſt exemplum D. Thomæ tribueretur debilitati ſeminis, ex quo naſcitur, ſi à primo inſtanti claudicaret; & quo tribuitur artifici defectus artefacti pro primo inſtanti qua paritate vtitur Granados.

2. Omnis operatio libera fundatur in aliqua operatione neceſſaria prius exiſtente Quia ex doctrina Philoſophi electio libera procedit ex præexiſtente intentione neceſſaria finis. Peccatum autem cõmittitur per electionem liberam. Ergo præſupponit operationem aliam neceſſa-

rio exiſtentem prius. Repugnat igitur, vt peccatum inſit alicui pro primo inſtanti, ſitque prima eius operatio.

3. Si omnes Angeli habuiſſent poteſtatem peccandi pro primo inſtanti, aliqui eorum de facto peccauiſſent pro eodem inſtanti. Impoſſibile namque eſt totam aliquam magnam multitudinem indifferentium ad aliquid vniformiter, nulloque excepto, vitare illud, aut amplecti, vt oſtenſum quæſt. 5. de gratia. Nullus autem Angelorum peccauit de facto primo inſtanti, vt eſt in confeſſo apud omnes. Non habuere igitur Angeli potentiam peccandi pro tunc.

4. Beneficia recens accepta poſſent vi maxima inducêdi gratitudinem, & remouendi ingratitudinem quam in ſe continet, erga Deum omne peccatum, eaque vis eò eſt maior, quo maiora ſunt beneficia, magiſque recentia, & melius cognita. Cum ergo Angeli acceperint à Deo ſumma, & incomparabilia beneficia, eaque pro primo inſtanti eſſent ſummè recentia, nec deeſſet perfecta, ac comprehenſiua eorum cognitio, ſumma vtique vi, atque omnino inſuperabili induxerunt affectum gratitudinis ipſorum erga Deũ, atque remouerunt contrariam incluſam in peccato ingratitudinem, ac proinde abſtulerunt omnem prorſus poteſtatem peccandi. Quæ tamen ipſa obrepere poſtea potuit, languentibus temporis decurſu

curſu ſtimulis gratitudinis, atque amore benefactoris in odium conuerſo propter odium operum, quæ debentur ex gratitudine, vti plerumque contingere ſolet, & experientia quotidiana ſatis ſuperque demonſtrat.

5 Nullus poteſt eſſe defectus in voluntate nullo precunte defectu in intellectu, iuxta illud: Omnis peccans eſt ignorans. Nullus autem defectus potuit eſſe in intellectu Angelico pro primo inſtanti. Quia cognitio primi inſtantis non potuit prouenire, vel ex libera electione ipſorum Angelorum, vel ex alijs cauſis ſecundis. Quia electio libera præſupponit neceſſario aliquam cognitionem, ac proinde repugnat, vt prima cognitio inſit alicui ex propria electione. Sed neque aliæ cauſæ ſecundæ potuerunt inducere in Angelos eandem cognitionem; tum quia nulla cauſa ſecunda præextitit primo inſtanti exiſtentiæ Angelorum; tum quia Angeli non dependent à cauſis ſecundis quo ad vllam ſuam perfectionem, vt ſuperius dictum eſt. Ergo cognitio primi inſtantis inducta eſt in Angelos à Deo, *cuius perfecta ſunt opera*, omniſque defectus expertia. Nullus igitur defectus eſſe potuit in Angelica primi inſtantis cognitione.

Art. 1. Reſpondetur Certum eſt, nullum Angelorum peccauiſſe de facto pro primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti. Eſt vero

hoc vſque adeo certum, vt D. Thomas quæſt.63.ar.5. recte dixerit oppoſitam ſententiam tanquam erroneam rationabiliter à Magiſtris reprobatam eſſe, alijque auctores communiter grauibus cenſuris illam inſequuntur. Conſtat ſatis de eius falſitate ex his teſtimonijs, quibus oſtenſum eſt ſupra quæſt. 22. omnes Angelos creatos fuiſſe in gratia, quæ certo eſt incompoſſibilis cum peccato, vt liquet ex quæſt.9. de iuſtif. Conſtat vero ea de re præcipuè ex teſtimonio Iudæ Apoſtoli ibidem producto: *Angelos vero qui non ſeruauerunt ſuum principatum ſed dereliquerunt suũ domicilium &c.* Habuerũt igitur ſaltem per vnum inſtans, & principatum iam ſuum, quem non ſeruauerunt, & domicilium iam itidem ſuum, quod dereliquerunt. Eodem pertinent, ſaltem per accõmodationem ex communi ſenſu Patrũ illud Iſaiæ 14. ſub figura Principis Babylonis: *Quomodo cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris* & illud Ezech.28. ſub perſona Regis Tyri: *In delicijs Paradiſi Dei fuiſti.* Eadem veritas videtur manifeſtè, licet obiter tantum definiri in Concilio Brachar. Can.7. qui eſt ſextus epiſtolæ 91. Leonis Magni contra Priſcillianiſtas: *Si quis dicit diabolum non fuiſſe prius Angelum bonum à Deo factum, nec Dei opificium &c. anathema ſit.* Supereſt igitur videndum de poſſibili; an videlicet ſicut Angeli nonnulli peccauerunt in ſecundo inſtanti, ita ijdem, &

reliqui omnes peccare potuerint in primo inſtanti.

Art. 2. Negant communiter Thomiſtę & nonnulli ex noſtris, vt Arrubal, Granados, cum antiquis theologis non paucis. Affirmant è contra Scotiſtę, & Nominales, & plerique ex noſtris, vt Molina, Valentia, Vaſquez, Alarcon, Meracius Martinon DerKennis. Diſtinguunt Suarez, & Tannerus, & ex parte Arrubal, atque conceſſa potentia phyſica peccandi, negant moralem. Quod ipſum mihi etiam probabilius eſſe videtur. Ante probationem ſuppono quod eſt certũ, Angelos peccare nullatenus potuiſſe in ſenſu compoſito gratię habitualis, aut diſpoſitionis ad illam per dilectionem Dei ſupernaturalem, quas dictum eſt omnibus fuiſſe communes pro primo inſtanti. Certum rurſus videtur, eſtque ſaltem vi conſequentię innegabile ab omnibus auctoribus memoratis, Angelos de facto habuiſſe impotentiam antecedentem, vt minimum moralem peccãdi pro primo inſtanti. Quia omnes de facto conuenere in non peccando pro eo inſtanti ex communi, ac indubitato conſenſu PP & theologorum. Impoſſibile autem eſt, vt minimum moraliter, omnes ex aliqua maxima multitudine conuenire, quoad amplectendam vnam partem contradictionis, abſque impotentia ſaltem morali ſingulorum ad oppoſitam partem, & quidem

impotentia ita reddenti impoſſibilem eamdem partem, vt nunquam accidat de facto, vt oſtenſum eſt in præindicata quæſt. 5. de Gratia. Conſequens porro ex his eſt, deberi Angelis ex natura rei impotentiam ſaltem moralem peccandi pro primo inſtanti. Quia quod non eſt debitum ex natura rei, non reperitur vniformiter in omnibus, & ſingulis indiuiduis ex multitudine propè infinita, nec intra ordinem naturalem, nec intra ordinem ſupernaturalem, ſuppoſita vtriuſque, aut vtriuſuis ordinis inſtitutione. Qua de cauſa, quod omnibus, & ſingulis hominibus ineſt, nulla facta exceptione, eo ipſo ab omnibus indubitanter creditur, eſſe proprietatem connaturaliter debitam homini, & ſic de ſimilibus quoad ea quæ antecedũt vſum libertatis creatę. Eadem etiam de cauſa fuit neceſſarium ex natura rei, quod iterum obſeruatum eſt ſupra, vt ex ſuppoſitione, quod eleuaretur aliquis Angelus in ordinem ſupernaturalem, ſimul ad eumdem reliqui omnes eleuarentur.

Art. 3. Impotentia iſtiuſmodi moralis Angelorum ad peccandum pro primo inſtanti, atque neceſſitas ex natura rei, vt eis ineſſet pro tunc talis impotentia ſuadetur efficaciter ex duobus principijs. Alterum eſt, inter cognitiones tam naturales, quam ſupernaturales contentas in virtute actiua naturali Angeli, & in au-

xi-

xilijs gratiæ ipſis conceſſis, debetur eidē ex natura rei pro primo inſtanti omnium perfectiſsima, & perfectiſſimè omnium dirigens in vltimum finem, & circa ea, quę conferunt ad eūdem finem. Quia cuilibet cauſæ quatenus neceſſario agenti debetur ex natura rei effectus, præſertim immanens perfectiſſimus omnium, qui ab ea fieri poſſunt, dum non adeſt vllum impedimentum ex aliqua cauſa ſecunda. Quod ab inductione facilè, & efficaciter ſuaderi poteſt. Et probatur a priori. Quia ſi cauſa determinetur ad agendum ex innata ſua propenſione, cum hæc ſit maior in effectum meliorem, prę ſertim ſibi intrinſecum, in hunc erumpet neceſſario. Si vero determinanda ſit a cauſa prima, hæc etiam tenetur ex natura rei ad explendam omnem boni capacitatem naturalem, conuenientem cauſis ſecundis, dum nullum adeſt impedimentum creatum. Quia omnes cauſas, omneſq; res creatas neceſſariò proſequitur, ac producit, & fouet omni eo amore, cuius ſunt naturaliter capaces, vt dictum eſt ſæpe in qq. de Deo, maximè vero q. 25. Angelis autem nullum potuit obeſſe impedimentum optimæ, & perfectiſſimæ cognitionis pro primo inſtanti. Quia ſunt cauſæ, nullam habentes cauſam contrariam, atque prima primi inſtantis cognitio anteceſſit omnem vſum propriæ libertatis, vt per ſe patet. Neceſſe igitur

fuit

fuit ex natura rei, vt Angeli pro primo inſtanti præuenirentur, ac præmunirentur cognitione perfectiſſima inter omnes ſibi abſolutè poſſibiles.

Art. 4. Alterum principium eſt, cognitionem perfectiſſimam inter omnes abſolutè poſſibiles reſpectu vniuſcuiuſque ſubſtantiæ intellectualis, dum eſt in via, continere in ſe impotentiam moralem ad peccandum, vel certe eſſe inſeparabilem ex ſe ab eadem impotentia. Quia rationes auertentes à peccato ſunt infiniti propemodum ponderis, & efficaciæ re ipſa. Nituntur enim infinita Dei bonitate, cui diſplicet, & opponitur peccatum; æterna beatitudine, quam excludit, & æterna damnatione, quam inducit; ſummaque operantis perfectione, quam includit in ſe innocentia. Motiua è conuerſo peccandi ſunt nullius ferè momenti re ipſa, vt pote innixa exigua, & breuiſſimæ aut delectatione aut vtilitate. Hæc autem perfectiſſimè conſiderata, atque inuicem compoſita reddunt proculdubio peccatū moraliter impoſſibile. Profecto in omni vniuerſim deliberatione, ſi occurrant extrema valde inter ſe diſparia, & quorum alterum alteri præemineat quaſi incomparabiliter, redditur moraliter impoſſibilis electio extremi inferioris, dummodo vtrumque perfectiſſimè præcognoſcatur, atque intime, quantum abſolutè fieri poteſt conſideretur. Et tamen

men nulla alia duo extrema tam poſſunt eſſe inter ſe diſparia, ac ſunt, quæ retrahunt à peccato, & impellunt ad peccandum.

Art. 5. Confirmatur, quia perfectiſſima nouiſſimorum conſideratio affert ſecum moralem impotentiā peccandi, iuxta illud Eccl. 7. 40. *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*. Nec enim ea memoria poſſet eſſe certiſſimum, quale in his verbis ſignificatur, innocentiæ pignus reſpectu omnium, & pro omni opportunitate operandi, ſi moralis impotentia peccandi non eſſet ab ea prorſus inſeparabilis. Expedierit videre, apud Cornelium à Lapide ibi, communem conſenſum Patrum in hunc ſcopum. Dici autem non poteſt cognitionem, quæ eſt perfectiſſima omnium reſpectu Angeli, non habere tantundem virium ad continendum ipſum in officio, eumdemque determinandum ad amorem caſtum Dei, quantum valet reſpectu hominis cognitio nouiſſimorum, vtcūq; perfecta. Eò vel maxime, quia labilitas hominis eſt maior, quā labilitas Angeli. Accedit Deo ineſſe potentiā eſſentialiter inimpedibilem conuertendi ad ſe, & uertendi à peccato quamcumque voluntatem creatam; ita vt ſit metaphyſicè impoſſibile, vt Deo deſit aliquod auxilium, quo infallibiliter conuertat, ſi velit, quamlibet ſubſtantiam intellectualem,

vt

vt oſtenſum eſt quæſt. 34. de Deo art. 1 & 2. Quod tamen verificari non poſſet, niſi daretur auxilium inductiuum impoſſibilitatis moralis peccandi reſpectu cuiuſuis voluntatis creatæ. Sed neque neceſſe eſſet, vt ſemper ſuppeteret Deo aliquod eiuſmodi auxilium, ſi tale non eſſet cognitio omnium perfectiſſima reſpectu cuiuſque. Continet igitur in ſe impotentiā moralem peccandi eiuſmodi cognitio. Ex his itaque apparet, neceſſe fuiſſe ex natura rei, vt Angelis ineſſet pro primo inſtanti impotentia moralis peccandi.

Art. 6. De iſtiuſmodi porro impotētia accipiendum eſſe puto D. Thomam in dicta quæſt. 63. art 5. de malo quæſt. 16. art. 4. & alibi, dum negat Angelos potuiſſe peccare in primo inſtanti. Frequēs nimirum eſt apud D. Thomam, vt impotentiam moralem ſignificet nomine impotentiæ abſolutè prolatæ, quatenus potens phyſicè, ſimulque impotens moraliter ad aliquid, plus habet ad id de impotentia, quam de potentia. Sic dicere ſolet non poſſe vitari omnia peccata venialia cum auxilijs ordinarijs gratiæ; exiſtentem in peccato habitualiter non poſſe perſeuerare diu ſine nouo peccato, & ſic de ſimilibus. In quibus nihilominus ſubintelligitur impotentia tantum moralis. Nec mouere quemquam debet, quod in re præſenti eam impoſſibilitatem, quā aſſerit, fundet in eo, quod prima cuiuſq;

ope-

operatio eſt ei ab agente, à quo habet eſſe. Quia hoc ipſum principium aſſumptum à nobis eſt in diſcurſu ſuperiori pro impotentia morali. Nempe prima operatio Angeli pro primo inſtanti non eſt actus voluntatis, ſed cognitio directiua eius actus. Hæc proinde cognitio tribuitur Deo, ideoque defectuoſa eſſe non poteſt, ſed neceſſario eſt perfectiſſima. Argueretur vero, non eſſe perfectiſſimam ac proinde nō eſſe à Deo, ſi daretur peccatum in primo inſtanti. Quia peccatum non componitur cum cognitione perfectiſſima. Vnde ſi daretur peccatum in Angelo pró primo inſtanti, illud reduceretur aliquomodo in Deum, quatenus ex ipſo argueretur defectus aliquis in cognitione præuia, quæ eſt à Deo, ſeu ex determinatione inducta à Deo. Nec D. Thomas inſtituit quæſtionem ex profeſſo de potentia, ſed de facto. Quia titulus articuli eſt, non vtrum diabolus potuerit eſſe, ſed *vtrum fuerit malus in primo inſtanti*. Vnde ad hoc punctum principaliter reſpicit intentio D. Thomæ in illa ſua probatione, nec diuertit ad potentiam peccandi, niſi quantum neceſſe omnino erat ad ſcopum præfixum, quæ eſt formalitas vbique inuariabilis Angelici Doctoris. Neceſſe autem non erat agere de impotentia phyſica. Quia impotentia moralis perinde concludit quoad quæſtionem de facto.

Art. 3

Art. 7. Iam vero adfuiſſe nihilominus Angelis potentiam phyſicam peccādi pro primo inſtanti efficaciter ſuaderi poteſt tum ad hominem, tum etiam à priori. Ad hominem quidem. Primo quia Angeli pro primo inſtanti habuerunt poteſtatem phyſicam omittendi diſpoſitionē ad gratiam habitualem, & conſequenter carendi eadem gratia. Habuerunt igitur poteſtatem phyſicam peccandi. Patet conſequentia. Quia nemo proximè potens, ac liber ad habendam gratiam habitualem, ea caret abſque culpa, ac proinde nec carere poteſt abſque culpæ poſſibilitate. Tum quia peccatum conſtituitur per liberam gratiæ habitualis priuationem, vel certè hæc illud præſupponit ex ſua natura, vt alibi oſtenſum eſt conſentientibus quoad hoc aduerſarijs noſtris. Tum quia, vt ijdem aduerſarij merito docent, omnes iure naturæ tenentur habere gratiam habitualem, cùm primum poſſunt, ſaltem, niſi præſupponantur illam demeruiſſe antecedēter per aliud peccatum. Tum denique, quia cum Angelorum via fuerit breuiſſima, & deliberatio pro primo inſtanti pleniſſima eadem eſt ratio obligandi illos ad eam diſpoſitionem pro eo inſtanti, atque homines pro longo tempore, aut pro eo, quod apparet propinquiſſimum morti. Probatur iam antecedens. Quia ex confeſſione aduerſariorum Angeli acceperūt

pro

pro primo inſtanti gratiam habitualem dependenter à propria diſpoſitione morali, & merito de congruo. Libertas autem ad diſpoſitionem moralem, & meritum, eſt poteſtas ſaltem phyſica ad eius omiſſionem, & conſequenter ad priuationem etiam formæ dependentis à tali diſpoſitione. Neque vero ſufficit, ſi dicatur cum Bannes quæſt. 63 art. 6. dub. 2. præſertim ad primũ actum illum diſpoſitiuum fuiſſe liberum tantum quoad exercitium, neceſſarium verum quoad ſpecificationem. Non inquam hoc ſufficit. Quia inde ſequitur potuiſſe omitti eum actum, licet non potuerit elici actus poſitiuus contrarius. Argumentum autem noſtrum contendit, poteſtatem omittendi illum actum, ex eo præcisè fuiſſe poteſtatem peccandi ſiquidem ab eo actu pendebat receptio gratiæ.

Art. 8. Arguitur rurſus ad hominem. Angeli habuerunt actum fidei pro primo inſtanti, Quod non negant aduerſarij. Quicumque autem habet actum fidei pro aliquo inſtanti, poteſt illum omittere pro eodem inſtanti, & omittendo peccare. Quia cùm obiectum fidei proponatur obſcurè, non poteſt, ſicut quod eſt euidenter cognoſcibile, neceſſitare phyſicè intellectum, aut voluntatem ad ſui aſſenſum, maximè cum circa præcipua myſteria ſit difficillimus ratione naturali. Neque vero licet recurrere ad euidentiã

in

in attellante. Quia negata illa eſt Angelis a nobis ſuperius, eamdemque negant ijſdem Thomiſtæ, vt videre licet inter alios apud Bannes quæſt, 32. huius partis art.1,dub,2. Omiſſionem autem fidei, ſeu nolitionem credendi Deo cum primum credenda ſufficienter proponit, & vocat ad agnitionem ſui, atque ad ſuam gratiã eſſe peccatum, non indiget probatione apud Theologos.

Art, 9. Poſtremum argumentum ad hominem eſt huiuſmodi. Omnes Angeli habuerunt pro ſecundo inſtanti poteſtatem proximam peccandi, nec liberum illis fuit, vt eam tunc non haberent. Quod ſponte datur ab aduerſarijs, & communiter ſupponitur vt certum. Liberum autem fuiſſet Angelis, vt non haberẽt pro ſecundo inſtanti poteſtatem proximam peccandi, ſi pro primo inſtanti nullam, ne quidem phyſicam habuiſſent poteſtatem proximam peccandi. Liberum namque fuit Angelis, vt retinerent pro ſecundo inſtanti eadem omnia comprincipia, & requiſita operandi, præcipuè vero idẽ dictamen rationis, omnemque, & ſolam cognitionem, quæ adfuere pro primo inſtanti. Quia nihil cogere ipſos potuit, quo minus nollent ad nullam aliam cognitionem digredi, ſed vellent adhærere primæ illi cognitioni, & dictamini, quæ extitere perfectiſſima pro primo inſtanti, neque impedire exiſtentiam cæ-

iterum, quo minus tranſiret ad ſecundum inſtans, & continuaretur, ſicut prius. Manifeſtum autem eſt, eadem omnia, & ſola eamdem omnino potentiam, aut impotentiam apta eſſe conſtituere pro vtroque inſtanti. Nec dici poteſt, ipſam liberam facultatem diuertendi ad alias cognitiones, & conſiderationes, iiſque impediendi perſeuerantiam primæ perfectiſſimæ cognitionis, & dictaminis, fuiſſe poteſtatem proximam peccandi. Quia tranſitus ad alias cognitiones, & conſiderationes non erat prohibitus ſaltem ſub lethali. Quod ſi præterea dicatur, vt videtur omnino dicendum, voluntatem liberam tranſeundi ad alias cognitiones pro ſecundo inſtanti directam fuiſſe per aliquam primi inſtantis cognitionem, nec aliter eum tranſitum accidere potuiſſe; ſequitur poteſtatem diuertendi ad alias cognitiones ad ſummum fuiſſe poteſtatem tantum remotam, & mediatam peccandi.

Art. 10. Addo iam rationem à priori. Pro qua legitimè inſtruenda reuocandum eſt in memoriam documentum Auguſtini iterum productum ſuperius ex lib. 22. contra Fauſtum cap. 28. *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret.* Et quod deinde ſubiungit: *Non in eo genere* (nempe non delectabilis per aliquid illicitum) *factus eſt homo, nec illa natura Angelica, quæ in veritate non ſtetit, ſed in eo genere iſta ratio,*

Bonalia facta ſunt, vt ineſſet eis poſſibilitas frænandi delectationem ab illicito, quam non frænando peccauerunt. Subinfero: Ergo ex quo Angeli fuerũt proximè capaces quod ipſos delectaret aliquid illicitum, fuerunt etiam proximè capaces ad peccandum. Quia ſicut ſe habet altera capacitas ad alteram abſolute, ita ſe habeat neceſſe eſt pro quouis inſtanti determinato. Angeli autem pro primo inſtanti fuerunt proximè capaces, quos delectaret aliquid illicitum, Eadem namque in primis fuit natura Angelorum, & rerum delectabilium pro primo, & pro reliquis inſtantibus. Deinde non defuit pro primo inſtanti cognitio earumdem rerũ delectabilium ſeu potentium, quantùm eſt ex ſe ad delectandum illicitè. Quia cum huiuſmodi delectabilia ſint Angelis connaturalia, ea certiſſimè cognouerunt à primo inſtanti per comprehenſionem ſui. Nec enim comprehendere ſe potuere, vti certiſſimè comprehenderunt à primo inſtanti, quin cognoſcerent per quęnam obiecta delectari connaturaliter poſſent, tum licitè, tùm illicitè. Demum non adfuit pro eodem primo inſtãti poſſeſſio boni honeſti, quę plenè, & perfectè ſatiaret totum appetitum Angelicum. Quia huiuſmodi plena, & perfecta ſatietas ſolum prouenire poteſt ex plena, & perfecta poſſeſſione ſummi boni, quæ per ſolam viſionem immediatã

ha-

haberi poteſt. Nullum namque aliud bonum, nullaque alia ſummi boni poſſeſſio pellere omninò poteſt, atque extinguere indigentiam, miſeriã, atque adeò, & capacitatem quærendi vndequaque ſubſidia quorumlibet delectabilium ſiue licita ea ſint, ſiue illicita, eſto minuere eam poſſit perfectio cognitionis ænigmaticæ circa ſummum bonum, & eo magis, quo ea maior fuerit. Adfuere igitur Angelis pro primo inſtanti, quę pertinent poſitiuè ad peccabilitatem ipſorum, nihilque adfuit pro eodem inſtanti, quod ad illam phyſicè impediendam, penituſque tollendam omninò ſufficeret. Habuerunt igitur pro primo inſtanti potentiam ſaltem phyſicam peccandi. Hæc ratio reddetur illuſtrior in queſtione ſequenti, expoſitis ijs obiectis, quæ Angelos delectare poſſunt illicitè. Ibi enim apparebit eiuſmodi delectabilia, & facultatẽ illis adhęrẽdi adfuiſſe aliquatenus pro primo inſtanti. Interim quiuis facilè conijcit, applicari facilè poſſe ad ſcopum propoſitũ omnia argumenta, quibus communiter probatur viatores, dum ſunt in eo ſtatu, eſſe proximè capaces peccandi, loquendo per ſe, nullamque cognitionem diſtinctam à viſione beata eſſe ſanctificantem, aut incompoſſibilem phyſicè cum peccato propter magnitudinem ſuæ qualiſcumque perfectionis, atque Deum cognitum non vt eſt in ſe, ſed ad modum

creaturarum, mouere ad modum earumdem, nec ſatiare omninò appetitum creatum, aut ei conferre poſſe phyſicam reſpectu ſui immobilitatem, tametſi aliqua cognitio abſtractiua Dei propter eximiam beatitudinis participationem peculiarem poſſit, vt dictum eſt, conferre impotentiam moralem peccandi accedentem proximè ad phyſicam, & felicem illam beatorum impotentiam. Itaque Angeli habuerunt pro primo inſtanti impotentiam moralem peccandi coniunctã cum phyſica peccandi potentia. Oportet proindè reſpondere ad rationes dubitandi pro vtraque parte, quatenus obeſſe poſſunt alterutri parti ſententiæ noſtræ.

Ad 1. Sententię affirmantis. Non valet paritas. Quia licet Angeli nec proficiant, nec deteriorentur vnquam quoad ſubſtantiam, & proprietates naturales sũt nihilominùs capaces varietatis quoad actus intellectus, & voluntatis. Vndè depoſita cognitione, quam pro primo inſtanti habuerunt perfectiſsimam ex determinatione, & cauſalitate Dei, potuerunt pro ſecundo inſtanti ex propria electione demitti ad cognitionem minus perfectam circa eligibilia, & circa ipsũ finem vltimum. Et quia poſſibilitas peccandi maior, vel minor dependet ex precognitione magis, vel minus perfecta, fieri omninò potuit, vt deeſſet pro primo

mo inſtanti, adeſſet vero pro ſecundo inſtanti potentia moralis peccandi.

¶ Ad 2. Poteſtas diſponendi ſe moraliter, ac meritorie ad gratiam pro primo inſtanti, ſolam probat potentiam phyſicam peccandi pro tunc. Quia vt operatio ſit moralis, & meritoria ſufficit potétia phyſica illam omittendi, tametſi deſit potentia moralis, vt patet in Chriſto Domino meréte per actus optimos quos erat moraliter impoſſibile, vt omitteret. Quod dicitur de poſſe plus, & poſſe minus, non habet locum, quando adeſt aliquid ſpecialiter adiuuans, ac determinans ad plus, & maius. Dictum autem eſt, Deum ſpecialiter iuuiſſe, ac determinaſſe Angelos pro primo inſtanti ad non peccandum.

Ad 3. Si Angelus peccaret pro primo inſtanti, recté argueretur per illationem moraliter infallibilem defuiſſe illi pro priori naturæ cognitionem perfectiſſimá inter omnes ſibi abſolutè poſſibiles ex natura rei. Quia huiuſmodi cognitio eſt moraliter incompoſſibilis cum peccato in ſummo gradu impoſſibilitatis moralis atque quod ita eſt impoſſibile numquam contingit. Defectus autem eiuſdem perfectiſſimæ cognitionis, ſeu quod ea non daretur, tribueretur Deo. Ad quem nimirùm pertinet determinatio ad primam cognitionem. Igitur peccatum primi inſtantis tribueretur Deo tanquam

remouenti prohibens, cũ deberet ex natura rei inducere idem prohibens. Quod eſt inconueniens. Quia Dei perfecta ſunt opera, & quæ ad ipſum pertinent, omnia ſemper præſtat perfectiſſimè, & cumulatiſſimè. Obiectio autem ſolum probat, Angelo peccante pro primo inſtanti, non propterea peccatum attributum iri Deo, tanquam auctori. Quod conceditur metaphyſicè repugnare, nec ſequi ex ea hypotheſi. Verùm hinc ſola concluditur in Angelo potentia phyſica peccandi pro primo inſtanti, & quod peccatum primi inſtantis ſi daretur, ipſi ſoli tribueretur tanquam auctori, ſicut tribuitur claudicatio curuitati tibię, quãdocunque ea datur.

Ad 4. In illis duobus teſtimonijs non ſumitur metaphyſicè, ſed moraliter, & iuxta communem loquendi modum particula, *ab initio*, nec ſignificat primum inſtans creationis mundi, vel Angelorum, ſed primum tempus complectens diſtributiuè idem inſtans, & alia inſtantia illi propinqua, ſicut cum dicitur in eadem illa epiſtola Ioanni cap 3 *Hæc eſt annunciatio, quam audiſtis ab initio* ideſt propè primum inſtans prædicationis. Deindè quod diabolus dicitur peccare ab initio, pertinet magis ad ſignificandam pertinaciam eius nunquam ceſſantem à peccando, ex quo cæpit peccare. Et ſimiliter quod dicitur homicida ab initio refertur potiùs

ad

ad tentationem, qua induxit Adamum ad peccatum, vel Cain ad homicidium.
Ad priorem confirmationem: Auguſtinus in priori loco loquitur de bono beatitudinis, à quo cecidit nondum accepto, & accepturus ſi non peccaſſet. In poſteriori verò loco diſtinguit informitatem à formatione, & vtriuſque, atque lucis, & tenebrarum ordinem exponit tropologicè, non de rebus, vt ſunt, ſeu fuerunt in ſe ipſis, ſed ſolum in mente, & præſcientia Dei, vt liquet ex contextu, & ex illo eiuſdem lib. 11. de Ciuit. cap. 19. *Solus lucem, ac tenebras diſcernere potuit, qui potuit etiam priuſquam caderent, præſcire caſuros.*
Ad alteram confirmationem Angelus eſt immutabilis in propoſito ſemel concepto, dum non ſuperuenit noua cognitio; Superuenit autem pro ſecundo inſtanti, vt dicetur in duplici quæſtione ſequenti.

Ad 1. Sententiæ negantis. Operatio primi inſtantis tribuitur, tanquã auctori, cauſæ, à qua procedit operans, ſi operatio ſit naturalis, ac neceſſaria, non verò ſi ſit libera, & electiua, ſimulque mala, atque axioma vulgare de datore formæ dante conſequentia ad formam, verificatur de priori operationum genere, ſiue exiſtant pro primo inſtanti, ſiue pro quolibet alio; non vero de poſteriori operationum genere. Vnde apparet paritates ex cauſis neceſſarijs non tenere in re propoſita, nempe circa peccatum, de cuius

conceptu eſt libertas, & electio moralis. Hæc enim tribuitur ipſi eligenti, tanquā auctori, tam pro primo, quam pro quouis alio inſtanti. Recognoſcatur reſponſio nuper data ad tertium partis oppoſitę. Nec enim variatio inſtantium, ſeu priorum, ſeu poſteriorum quidquam confert ad attributionem operationis reſpectu cauſæ mediatæ potius quam immediatæ, vel è conuerſo, ſi nihil intercedat aliud, quod ſufficiat ex ſua natura, quandocunque interuenerit, ad variandam prædictam attributionem.

Ad 2. Inſtantia Angelica non multiplicantur iuxta multiplicitatem quarumlibet operationum inuicem ſubordinatarum, nec ſeries durationis realis ſequitur ſerié cauſalitatis realis, & dependentiæ inter aliam, atque aliam operationem. Alioquin cognitio dirigens ad volendum, & volitio, ab ea procedens non poſſent exiſtere in vno, eodemque inſtanti reali. Quod eſt abſurdum. Multiplicatio igitur realis inſtantium, & durationum ſequitur ad ſolam multiplicitatem, & coordinationem operationum inuicem incompoſſibilium, quarum altera alteri ſuccedit. Non ſunt autem huius poſterioris generis intentio finis, & electio libera. Nec enim intentio eſt imcompoſſibilis cum electione medij neceſſarij ad finem intentum, ſed potius eſt connexa cum eadem; atque inducit ex ſua natura

coe-

coexiſtentiam eius reſpectu ſui. De reliquo dubitari minimè poteſt, quin omnis electio libera fundetur in aliqua neceſſaria finis intentione, eamque neceſſariò præſupponat ordine cauſalitatis, vti docent Philoſophus D. Thomas, & alij frequenter, vt dictum eſt quæſt. 53. de act. hum. art. 3 & quæſt. 15. art. 3. Qua de cauſa inutilis, & abſonus omninò eſt conatus eorum, qui gratiam Angelorum à gratia nos adiuuante per hoc diſtinguere intendunt, quod Angeli ſola ſupernaturali illuſtratione intellectus adiuti fuerint, nos verò inſpiratione, & ſancta delectatione inſuper adiuuemur. Quia manifeſtiſſimum eſt, vtriſque vtrumque auxiliorũ genus eſſe omninò neceſſarium, atque vtrumuis ab altero eſſe inſeparabile ex ſua natura, qualecunque ſit ſubiecti gratiæ, vt apparet ex dictis quæſt. 18. Solet nihilominus Auguſtinus gratiam neceſſariam reſpectu noſtri ſignificare cum maiori, & nonnunquam cum ſola expreſſione victricis delectationis, gratiam vero Angelorum expreſſione ſolius illuſtrationis, ſubintellecta tamen vtrobique altera parte, quæ non exprimitur. Ratio autem diſparis eiuſmodi conatus in exprimenda altera potius parte, quam altera, fundatur in corruptione, ac diſſolutione concupiſcentiæ quæ in nos redundauit ex peccato originali, & ratione cuius peculiariter indigemus auxilio victricis de-

lectationis diuinitus conceſſo. Quæ peculiaris indigentia ſupernaturalis delectationis nulla dabatur in Angelis, ideoque eorum gratia congruentius ſignificatur per illuſtrationem intellectus, quàm ſpontè, ac facilè ſequeretur affectus ſalutaris.

Ad 3. Collectio vtcunque magna indifferentium ad aliquid non infert neceſſariò diſpares, & oppoſitas electiones inter illos; ſi adſit ſimul cum indifferentia phyſica neceſſitas moralis ſingulorum ad vnam partem, ſed potius infert vniformitatem omnium in operando, vt liquet ex eadem illa quæſt. 5. Dictum autem eſt, Angelorum libertatem ad peccandum pro primo inſtanti fuiſſe coniunctam cum neceſſitate morali non peccandi.

Ad 4. Differentia illa recentis, & veteris beneficij nullum habet locum in beneficijs, quæ non ſemel tantùm conferuntur, & quorum donatio non perſeuerat in ſola memoria, & fieri poteſt vt neque in memoria perſeuerent, qualia ſunt humana beneficia; ſed ſingulis momentis noua donantis libertate inſtaurantur cum auctario perſeuerantiæ, obijciturque donatio aſſiduè præſens intuitiuæ donatarij cognitioni, & per ipſum prorſus ineuitabili, qualia fuere beneficia Dei in Angelos. Vndè ex hoc capite tàm facile peccare potuerunt, immò

&

& facilius pro primo inſtanti, quàm pro reliquis, ſi nihil obſtitiſſet aliud.

Ad 5. Duplex poteſt conſiderari defectus in cognitione directiua voluntatis. Alius eſt priuatiuus, excludens perfectionem debitam ineſſe cognoſcenti, alius eſt negatiuus excludens perfectioné, poſſibilem quidem, ſed indebitam. Prima Angelorum cognitio, quia extitit auctore Deo exque ipſius determinatione totali, non potuit pati vllum defectum priuatiuum perfectionis debitæ. Cæterum paſſa eſt defectum perfectionis abſolutè poſſibilis. Quia non habuit perfectionem viſionis beatæ. Ad poteſtatem autem phyſicam peccandi ſufficit poſterior iſte defectus, vt liquet ex dictis ſupra ab art. 7. Nempè quod communiter dicitur ex 3. Ethic. cap. 5. *Omnis malus eſt ignorans*. Prou. 14. *Errant, qui operantur malum*, non pertinent ad potentiam purè phyſicam peccandi coniunctam cum impotentia morali, ſed ad potentiam moralem peccandi coniunctam cum ipſo opere malo. & quod ad contextus attinet cũ frequentia etiam habituali peccãdi, vt patet illos conſideranti. Nec enim ad poſſibilitatem, qualécumque peccandi requiritur præcisè ignorãtia propriè talis, aut error poſitiuus, vt ſępè dictum eſt in qq de act. hum & colligitur ex illo Iacobi 4. *Scienti bonum, & non facienti peccatum eſt illi*, & ex Lucæ

17. *Seruus, qui cognouit voluntatem domini ſui, & non facit, vapulabit multis.* Vndè Auguſt. ſerm. 8. in pſal. 118. *Sapè*, ait, *quid agendum ſit videmus, nec agimus*. Verùm de his alibi dicetur iterum ex profeſſo. Hæc nimirùm ſufficiunt ad concludendum ſolam impotentiam moralē peccandi redundaſſe in Angelos pro primo inſtanti ex perfectione cognitionis inditæ à Deo, iuxta capacitatem eorum pro ſtatu viæ.

QVAE.

QVAESTIO XXVII.

Vtrùm primum peccatum Dæmonum fuerit ſuperbia?

VIDETVR non fuiſſe. 1. Quia nemo peccat amore eius rei, quam deſtruit eo ipſo actu. Peccatum autem ſuperbiæ conſiſtit in nimio amore excellentiæ propriæ. Angeli autem peccando deſtruxerunt excellentiã propriam. Quia peccando deciderunt à culmine dignitatis, in qua conditi fuerẽ, & inciderunt in ſummam viliſſimæ conditionis miſeriam, iuxta illud ſuperius memoratum ex 14. Iſaiæ. *Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris?* Ergò Angeli non peccauerunt amore nimio excellentiæ propriæ.

2. Dæmones nunquam ceſſant à peccato, quod primitus commiſerunt, vt apparebit quæſtione ſequenti, & colligitur ex illo 1. Ioannis 3. *Ab initio diabolus peccat*; ideſt nunquam ceſſat à peccato, quod commiſit initio. Nunc autem dæmones non peccant peccato ſuperbiæ. Quia euidenter cognoſcunt ſibi eſſe impoſſibile, vt emergant à vilitate, in quã ſunt coniecti à Deo, ad aliquam maio-

rem dignitatem. Nemo autem peccat amore rei impoſſibilis cognitæ vt talis. Ergò dœmones non peccant modo amore dignitatis, & excellentiæ propriæ, ac proinde nec initio eo amore peccauerunt.

3. Angeli peccauerunt non conſeruando gradum ſuæ dignitatis: ſeque infra illum deprimendo, vt conſtat ex teſtimonio Iudæ Apoſtoli, dicentis; *Angelos verò qui non ſeruauerunt ſuum principatū, ſed dereliquerunt ſuum domicilium*. Quod eſt proprium non ſuperbiæ, ſed puſillanimitatis, & acediæ. Superbus, enim non modò conſeruat ſuum principatum, ſed etiam promouet, quantum poteſt, & pluſquam debet, nec derelinquit ſuum domicilium, ſi nullum appareat maius in quod ſe transferat, quale nullum apparere Angelis potuit. Ergò Angeli acedia potius, & puſillanimitate peccarunt, quàm ſuperbia.

4. Inferiores dæmones peccauerunt Luciferi inſtigatione, & exemplo, vt docent communiter Sancti PP. quos latè refert Suarez lib. 7. cap. 17. & Theologi cū D. Thoma quæſt. 63. art. 8. & colligitur ex illo Ezecch. 31. *Aemulata ſunt eum omnia ligna voluptatis quæ erant in paradiſo Dei*, ideſt ex interpretatione Gregorij Magni, & aliorum æmulati ſunt Luciferum, eiuſque imitatione peccauerunt dæmones natura inferiores. In eundem

ſcopum accipitur a Magiſtro in 2. diſt 6. à D. Thoma loco indicato, & ab alijs communiter ibidem, quod dicitur de dracone Apocal. 12. *Cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli*. Superbus autem non eſt idoneus ad pertrahendos alios in partes ſuas. Omnes enim oderunt ſuperbum, & ab eo fugiunt, maximè verò ſi & ipſi ſint ſuperbi, immo etiam ſi ſuperbi non ſint, dummodò ſint valdè excellentes, Et ſiquidem illi obſequantur alij, atque ſecundent eius vota, eo ipſo deprehenduntur eſſe potius puſillanimes, & abiecti. Ergò Lucifer non peccauit peccato ſuperbiæ, & ſi quidem tale fuit eius peccatum, eo ipſo deprehenditur peccatum cæterorum Angelorum non fuiſſe ſuperbiæ.

5. Peccatum dæmonum exprimitur ex communi PP, & Theologorum conſenſu illis verbis Iſaiæ 14. *Qui dicebas in corde tuo, in Cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, & ſimilis ero altiſſimo*. Nihil autem horum pertinet ad ſuperbiam reſpectu Luciferi, aut aliorum dæmonum. Quia non eſt peccatum ſuperbiæ appetere eum dignitatis, & excellentię gradum, ad quem quis dirigitur à Deo, & ad quem, vt aſpiret, ducitur voluntate Dei, Angeli autem ex voluntate Dei erant ordinati, vt conſcēderent in Cælum, ſoliumque ſuum collocarent ſuper aſtra, maximè verò om-

nium

nium, vt eſſent Deo ipſi ſimillimi, ſi quidem eos fecit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, magis etiam quam homines, vt dictum eſt quæſt. 1. ad 1. Ergò Lucifer, & alij Angeli non peccauerunt peccato ſuperbiæ.

6. Peccatum ſuperbiæ conſiſtit in nimio deſiderio excellentiæ ſupra alios. Impoſſibile autem eſt primum peccatum alicuius committi per nimium deſiderium excellentię ſupra alios. Quia illud deſiderium relatiuum ad alios eſſentialiter præſupponit; vt arguit Scotus nimium amorē abſolutum excellentiæ propriæ ſecundum ſe. Omne namque relatiuum præſupponit eſſentialiter aliquod abſolutum intra idem genus in quo fundetur. Nimius autem amor abſolutus excellentiæ propriæ non eſt actus ſuperbię, ſed luxuriæ ſpiritualis, vt ille loquitur. Igitur primum dæmonis peccatum non fuit ſuperbia, ſed eiuſmodi luxuria.

7. Superbia eſt peccatum præ cæteris ſtultum. Quia per ſe ipſum conatui ſuo contradicit præ cęteris peccatis. Deprimit enim in viliſſimum gradum, dum contendit ſublimiorem, quam par eſt gradum perducere iuxta illud Pſalm. 72. *deiecisti eos, dum alleuarentur*. Id vero eſt ſummum, & præ cęteris manifeſtum ſtultitiæ genus. Angeli autem ex ſua natura ſunt perſpicaciſſimi intellectus, ideòque neceſſe fuit, primum eorum peccatum,

am-

antequam perturbaretur, & offuſcaretur intellectus ipſorum, fuiſſe, quam minimè ſtultum, & quale cadere poſſet in intellectum optimum, optimèque diſpoſitum.

Art. 1. Reſpondetur. Quicunque peccat, appetit aliquid quod appetere non deberet, aut modo, quo non deberet. Appetitus autem eſt boni veri, vel apparentis reſpectu appetentis, ſiue quoad ſubſtantiam, ſiue quoad modum. Iſtud bonum reſpectu hominis eſt in duplici genere. Quędam enim ſunt bona illi, quatenus intellectualis eſt, & quædam alia quatenus corporeus, & carnalis eſt. Vndè fieri poteſt, vt homo peccet, quia appetit aliquid, non ſolum eo modo, quo non deberet appetere, ſed etiam quod nullo modo deberet appetere. Quia fieri poteſt, bonum ſibi conueniens quoad corpus, ſit ſimul diſconueniens, quoad animam, & quod tale eſt, nullo modo appetendum eſt. Angelus autem, cum ſit ſubſtantia ſimplex, nō eſt capax niſi bonorum, quæ ſibi conueniunt ſecundum ſe totum, nec fieri poteſt, vt aliquod eius bonum ſit incompoſſibile cum aliquo alio eiuſdem bono præcisè ſecundum ſubſtantiam. Fieri enim alioquin poſſet, vt nunquam liceret ſibi appetere aliquod ſuum bonum. Quod eſt abſurdum Quia vnumquodque eſt ordinatum à Deo ad omne ſuum bonum

pro

pro tempore, & loco. Itaque Angelus ſolum peccare poteſt per exceſſum, aut defectum in amore alicuius ſibi abſolute conuenientis, quoad modum ipſius amoris. Iam verò defectus in modo amoris circa aliquod bonum neceſſariò præſupponit exceſſum eiuſdem circa aliquod aliud bonum. Omnis namque alius affectus ſiue poſitiuus, ſiue negatiuus fundatur in amore, atque in poſitiua eius vi, & adhæſione ad aliquod bonum. Exceſſus autem in modo amoris circa aliquid per ſe loquendo excitatur primò circa id, quod præ cæteris omnibus delectare vnumquemque, aut prodeſſe poteſt. Reſpectu autem naturæ purè intellectualis vis maxima alliciendi, ac pertrahendi nō poteſt eſſe penes vtilia. Quia natura purè intellectualis ex ſuo conceptu eſt minimę indigentiæ, cum à primo inſtanti conſequatur protinùs complementum totius perfectionis ſibi connaturalis. Primum igitur peccatum Angeli fuit circa aliquod delectabile, per nimium eius amoré. Inter delectabilia autem reſpectu naturę intellectualis, vel vnica, vel certè præcipua eſt propria excellentia. Quæ videlicet maxima illi ineſt, ideòque delectare maximè poteſt, & maxima vi pertrahere ad amorem nimium ſui. Nimius autem amor proprię excellentiæ eſt ſuperbia. Primum igitur peccatum dæmonum fuit ſuperbia,

Art.

Art. 2. Hæc eſt communis Sanctorum PP. ſententia, quos refert cumulatè, & expendit diligenter Suarez lib. 7. cap. 9. Idem ſentiunt pleriqne, & præcipui Theologi cum Magiſtro, & D. Thoma locis nuper indicatis in quarta ratione dubitandi, & ex illo Eccl. 10. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia*, & Tobię 4. *In ſuperbia initium ſumpſit omnis perditio*. Initium autem omnis peccati, & à quo omnis perditio ſumpſit initium re ipſa fuit primum peccatum dæmonum. A quo videlicet redundarunt deindè tum cætera omnia ipſorum dęmonum peccata, tum etiam peccatum primorum parentum, quod tentante dęmone, ac proinde influente, & cooperante primo eius peccato commiſſum eſt, & à quo cæterorum omnium hominum peccata deriuantur. Hinc Ambroſ. lib. 4. epiſt. 33. alias 84. *Siue in lapſu diaboli*, inquit, *ſiue in præuaricatione hominis initium peccati ſuperbia eſt*. Eodem pertinet, quod Iſaiæ 14. Ezech. 28. 1. ad Timoth. 3. pœna dæmonis attribuitur ſuperbiæ eius. Quod non fieret, niſi primum, ac præcipuum eius peccatum fuiſſet eadem ſuperbia. Verùm quia quoad hoc pūctum vix eſt vlla inter Doctores controuerſia realis, expedit magis tranſire ad expoſitionem obiecti quod potuit mouere, mouitque de facto voluntatem dæmonis ad actum ſuperbię. Circa quod ſunt plures opiniones, pluresque

que modi exponendi ſingulas opiniones. Primùm reijciuntur ea, quæ nec mouerunt, nec mouere potuerunt, tum in genere, tum in ſpecie. Deinde ſubinferetur, quid mouere potuerit, moueritque de facto in genere pariter, & in ſpecie.

Art. 3. Dicendum itaque primò eſt, Angelum non potuiſſe peccare intendendo aliquid impoſſibile, aut modo impoſſibili, quod abſolutè eſſet poſsibile. Quia obiectum appetitus eſt bonum vnicuique conueniens. Impoſſibile autem non eſt conueniens. Quia non habens entitatem non poteſt habere bonitatem. Quod æquè viget de bonitate impoſſibilis, ſiue quoad modum, ſiue quoad ſubſtantiam. Licet autem, quod re vera non eſt poſſibile, nec bonum, poſſit apparere nobis bonum, ac poſſibile, atque obiectum appetitus ſit bonum verum, vel apparens; tamen reſpectu Angeli, præſertim antè primum ipſius peccatum, id locum non habet. Quia Angelus maximè cum eſſet innocens, nullam habuit cognitionem falſam, nec decipi potuit apparentia ſenſus, ac phantaſiç, prout accidit in nobis, aut alio modo æquiualenti, ſed vnumquodque obiectum, & modum, quo haberi poſſet, cognouit cóceptu rebus ipſis accommodato, & coformi. Accedit ne homines quidem, vt per experientiã eſt omnibus notiſſimum, multùm moueri impoſſibilium aprehenſione, ſed facile

cile contemni quælibet impoſſibilia, atque eadem facilitate vitari complacentiā deliberatam, ſiue ineſſicacem, ſiue efficacem conditionatam circa illa, ſi non adſit affectus aliquis abſolutus, & efficax circa obiectum re ipſa, aut apparenter poſſibile ita connexum motiuo volendi impoſſibilia, vt ſint eius appendices illæ alię complacentiæ ſimplices aut conditionatę. Quapropter eſt ſaltem moraliter impoſſibile, vt homo, nedum Angelus, lęthaliter peccet per eiuſmodi affectus circa impoſſibilia, nullo præexiſtenti affectu abſoluto, & efficaci, circa obiectum poſſibile, & certò cognitum vt tale. Impoſſibile igitur ſaltem moraliter fuit, Angelos primò peccare ſolo appetitu exaltationis impoſſibilis, aut ſola fuga humiliationis neceſſariæ. Idemq; dicitur proportionaliter de modo appetendi, ac fugiendi. Non autem accidit de facto, quod eſt moraliter impoſſibile. Verùm prior ratio ſolidè probat impoſſibilitatem phyſicam eiuſmodi peccati reſpectu Angeli nondùm peccatoris.

Art. 4. Ex his refellitur ſententia Scoti, & aliorum dicentium Angelos peccauiſſe appetendo æqualitatem cum Deo in natura. Quia æqualias iſta erat impoſſibilis, impoſſibilitate Angelis clariſſimè nota. Deindè æqualitas Angeli cum Deo in natura includit in ſe deſitionem naturę Angelicę. Quia vt Angelus eſſet

Deus

Deus, neceſſe erat, vt deſineret eſſe Angelus, & ſic inciperet eſſe Deus; Repugnat autem, vt quis velit deſitionem ſui per nimium ſui amorem, vt patet ex natura, & communi amoris definitione. Indidem ſimiliter refellitur ſententia Catherini, & aliorum, quæ docet Angelos peccaſſe appetendo diuinitatem per vnionem hypoſtaticam, quam ſibi voluerint, & inuiderint naturę humanæ. Quia vel illam voluerunt obtinere in ſenſu cópoſito decreti diuini contrarij, vel præſcindendo ab hoc decreto, idque, vel per vires proprias vel ſolùm illam petendo humiliter à Deo. Si dicatur hoc poſterius, manifeſtum èſt, nullum in eo eſſe peccatum. Si dicatur alterutrum è duobus primis, modus erat prorſus impoſſibilis. Quod & nobis eſt manifeſtiſſimum. Ergo neuter modus potuit cadere in intentionem Angelorum. Eadem eſt ratio reijciendi tertiam aliorum opinionem; Angelos peccaſſe volendo conſequi beatitudinem ſupernaturalem per vires proprias abſque meritis prouenientibus ex auxilio gratiæ Dei. Quia hoc ſimiliter euidentiſſimè cognoſcebant ſibi eſſe omnino impoſſibile. His igitur, alijſque ſimilibus excluſis propter rationes datas, & alias ſimiles, quæ ex illis deduci facilè poſſunt.

Art. 5. Dicendum rurſus eſt, Angelos peccaſſe affectata peculiari aliqua ſimilitudine

tudine cũ Deo, modo minime congruenti naturæ ipſorum, aut cui repugnaret diſpoſitio diuinæ volũtatis. Apparet hoc in primis ex verbis Iſaiæ ſuperiùs memoratis, *Qui dicebas &c. & ſimilis ero Altiſſimo.* Hæc enim clauſula terminatiua expreſſionis ſuperbiæ Angelicæ, clarè denotat ſimilitudinem cum Deo fuiſſe ſummam votorum, qua tanquam baſi niterentur cętera omnia iniquitatis capita. Dictum deinde eſt primum peccatum Angelorum fuiſſe ſuperbiam, quæ in nimio excellentiæ amore ſita eſt. Quęlibet autem excellentia pertinet ad peculiarem aliquã ſimilitudinem cum Deo. In quo nimirum datur per eſſentiam omnis gradus excellentię, & dignitatis. Cecinit hoc eleganter Nazianzenus carm. 6. dicens:

> *Lucifer, (eximio nam quod frueretur honore)*
> *Sperabat regale Dei, ſoliumque, decuſque.*

Et iterum infra.

> *Dum Deus eſſe cupit terra caligine totus Obrutus eſt.*

Idem efficacius colligitur ex illo Ezech. 28. communiter attributo dęmonibus: *Eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti Deus ego sũ, & in cathedra Dei ſedi in corde maris.* Idem etiam vehementer perſuadet illud Michaelis reſiſtentis: *Quis ſicut Deus!* Hæc enim reſiſtentia, & contradictio non fuiſſet è re, niſi intentio aduerſariorũ ad

hoc

hoc tetendiſſet, vt eſſent ſicut Deus. Po-ſuerunt autem exorbitare in appetitu ſi-militudinis cum Deo, volendo, aut al-tiorem excellentię gradum, quam qui ſibi permitteretur, aut volendo modum altiorem permiſſo. Dictum autem eſt Angelos non peccaſſe volendo vnionem hypoſtaticam cum perſona diuina. Qui porro vnicus gradus eſt ſuperior eo gra-du excellentiæ, & dignitatis, adquem de facto vocati ſunt à Deo omnes Angeli. Vocati namque ſunt ad viſionem Dei im-mediatam, eamque duraturam æternùm, qua nihil eſt maius inter bona purè crea-ta. Sed concluſum ſimiliter eſt, Ange-los non potuiſſe peccare volendo conſe-qui beatitudinem ſupernaturalem per ſo-las vires naturales.

Art. 6. Dicendum itaque tertiò eſt, Angelorum ſuperbiam ſitam fuiſſe in ni-mio amore beatitudinis ſuæ naturalis, contemptiuo beatitudinis ſupernaturalis, & mediorum conducentium ad ipſam. Hęc eſt ſententia D Thomæ quæſtione illa 63. art. 3. Licèt enim proponat tan-quam probabile ex Anſelmi doctrina, Angelos peccaſſe volendo conſequi bea-titudinem ſupernaturalem, per vires na-turales: primo nihilominus loco præfert peccatum nimij amoris erga vltimum fi-nem naturalem contempta beatitudine ſupernatutali, quæ eſt ex gratia, atque priorem illum peccandi modum appro-

bat

bat præcisè quatenus coincidit re ipſa cum nimio amore beatitudinis naturalis. Dicit enim ſic. *Et hæc duo quodammodo in idem redeunt, Quia ſecundum utrumque appetijt finalem beatitudinem per ſuam virtutem habere. Quod eſt proprium Dei.* In eundem nimium beatitudinis naturalis amorem cum contemptu beatitudinis ſupernaturalis recurrit vnicè lib 3. contra gent, cap. 109. Eiuſdē opinionis ſunt plures alij, & graues Theologi, nec ab ea quidquam diſſentire videtur Scotus diſt. 4. quæſt. 2. Quia complacentiam nimiam Angeli in ſe ipſo, quam dicit fuiſſe primum eius peccatum, non potuit non principaliter excitare beatitudo naturalis, quæ iam ſibi inerat quoad ſubſtantiá, quæque erat præcipuum decus, & ornamentum naturæ. Vt appareat credibilitas, & veritas huius ſententiæ duo principaliter obſeruanda ſunt. Alterum eſt prædicatum maximè proprium, maximèque appetibile diuinitatis eſſe, vt ſibi ſe ſola ſufficiat, ſolaque ſua vi, & ſufficientia ſit beata. Alterum eſt non potuiſſe Angelum peruenire ad beatitudinem ſupernaturalem, niſi per magnam, & eximiam demiſſionem, ac humiliationem, & quoad intellectum, & quoad voluntatem. Quoad intellectum quidem quia oportebat captiuare intellectum in obſequium fidei, amplectendo myſteria difficillima, quale in primis eſt myſterium

San-

Sanctiſſimæ Trinitatis reſpectu omnis intellectus creati adhuc viatoris, vt innotuit quæſt. 38. de Deo; amplectendo verò ea myſteria firmiſſimè, & ſuper omnia, cum tamen proponerentur obſcurè, & abſque argumento euidenter conuincente. Quod patet eſſe opus humilitatis eximiæ, & valdè repugnans naturali inclinationi intellectus cuiuſuis ad euidentiam, & ad commenſurandum apparentiæ obiecti gradum adhæſionis ad ipſum, idque eo magis, quo perſpicacior eſt intellectus, & aptus ad inducendam maiorem claritatem, & euidentiam circa plura, & perfectiora obiecta. Similis fuit neceſſitas humiliationis quoad volũtatem. Oportuit enim, vt adhæreret firmiſſimè & ſuper omnia promiſſionibus diuinis obſcurè propoſitis, & continentibus obiecta maximè ardua, quale in primis eſt reſpectu cuiuſuis naturæ creatæ viſio Dei vnius, & trini, vt eſt in ſe ipſo. Oportebat ſimiliter, vt per charitatem diligeretur Dèus ſuper omnia, tanquam auctor ſupernaturalis, propoſitus obſcurè vt talis. In quibus affectibus eminet eximia quædam humiliatio voluntatis, dum cogitur amplecti bona obſcurè tranſparentia poſtpoſitis bonis apparentibus euidenter. Eſt enim quodammodo infra dignitaté impẽdere vires amoris omnes in ea quę ſuggeruntur latenter, & offerũtur ſub velamine. cùm adſunt bona alia minimè

con-

contemnenda abſolutè, quæ ſe totis claríſſimè patent, atque immediatè innoteſcunt voluntati. Mirum igitur non eſt, (impoſſibile certè non eſt) quod Angeli magnam experti fuerint difficultatem in amplectendis medijs neceſſarijs ad beatitudinem ſupernaturalem, & quod proinde aliqui eorum ceſſerint tantæ difficultati, nec voluerint ſubire tantam, & intellectus, & voluntatis humiliationem in proſecutione bonorum ſupernaturaliũ, eaque contempſerint comparatione beatitudinis naturalis conſequibilis viribus proprijs, & abſque eiuſmodi demiſſione omnium ſuarum virium ad bona, & obſcurè propoſita, & nonniſi per gratioſum, ac liberale auxilium alienum conſequibilia.

Art. 7. Augetur plurimum prædicta difficultas, & neceſſitas magnæ humiliationis Angelorum in proſecutione beatitudinis ſupernaturalis, ſi verum eſt, quod eſt valdè probabile, propoſitam fuiſſe Angelis ab initio exiſtentiam Chriſti Domini. Hoc enim poſito pronum valdè fuit, vt peccarent Angeli per ſuperbiam, nolendo Chriſtum reuereri, vt caput, & Principem ipſorum, nec puros homines iuſtos, & amicos Dei beneuola ſocietate dignari tanquam participes eiuſdem ſubſtantialiter dignitatis, & beatitudinis, & & inſuper nonnullos tanquam ſuperiores quoad intenſionem, & magnitudinem,

ipſius: Iſtam ſententiam de occaſione, & cauſa ſuperbiæ dæmonum amplectitur abſolute, vt valde probabilem Granados tract. 13. diſp. 2. ſect. 5. cum Suarez & pluribus alijs. Negari profectò minime poteſt hoc obiectum eſſe maximè proportionatum permouendę voluntati Angelorum ad ſuperbiam. Notum ſiquidem experientia nobis eſt, quàm ſit difficile humilitatis opus ſubeſſe etiam pari in natura, eumque revereri tanquam ſuperiorem. Hæc autem difficulas creſcit plurimùm ſi penes accidentia naturalia animi, & corporis idem exiſtat inferior. Fuit igitur maxima reſpectu Angelorum difficultas in agnitione, & cultu Principis eſſentialiter inferioris penes naturam. Nec ad minuendam iſtam difficultatem iuuare quidquam potuit dignificatio humanæ naturæ per Diuinitatem Verbi. Quin potius id contulit ex alio capite ad augendá difficultatem. Fuit namque acerbi doloris, & vehementis indignationis materia reſpectu Angelorum, quod tanta, & tam ſublimis dignitas communicaretur naturę inferiori, tranſmiſſa, & quaſi pro nihilo habita natura ſuperori purè ſpirituali, & inſuper coacta, reuereri propterea cum ſubmiſſione propemodum infinita naturá de ſe inferiorem. Valdè igitur credibile eſt, hac occaſione incidiſſe dæmones in peccatum ſuperbiæ, ſi ipſis ab initio reuelatus, & propoſitus fuit Chriſtus Do-

mi-

minus, tanquam ſuum caput, & princeps.

Art. 8. Adfuiſſe autem Angelis antequam peccarent notitiam Chriſti venturi, ex eo ſuaderi efficaciter poteſt. Quia myſterium incarnationis Verbi Diuini multis ante eius exiſtentiam ſæculis reuelatum eſt hominibus, nec non Adamo ante peccatum, ex probabiliori D. Thomæ, aliorumque ſententia. Quidni, & Angelis eadem notitia communicata ſit à principio exiſtentię ſuæ? Accedit, fidem perinde ferri in abſentia loco, & tempore, atque in ea, quę ſunt præſentia. Quia non cognoſcit obiecta dependenter ab eorum pręſentia, & influxu immediato, ſed dependenter à teſtimonio reuelantis, qui ſemper adeſt, & vbique. Vnde non eſt maior ratio aſſerendi in Angelis notitiam exiſtentiæ Chriſti in aliquo poſtea determinato tempore, quam in ipſo mundi exordio, primoque inſtanti exiſtentiæ eius. Quapropter abſque ſufficienti ratione videntur contradicere ſententiæ Salmeronis Cornelius à Lapide & ex eo Granado, reſtringendo ad tempus realis exiſtentiæ Chriſti, vel aduentus eius in iudicium, illud Pauli ad Hebr. 1. *Cum iterum introducit Primogenitum ſuum in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei* Ex quo teſtimonio conſtat præterea de præcepto Angelis impoſito circa adorationem Chriſti, quod noſtra ſententia, & probatio ſupponit, eſtque

conſequens ex natura rei ad notitiam Chriſti. Hæc autem ipſa notitia, coniuncta cum eo præcepto, decet maximè dignitatem infinitam Chriſti pro omni tempore, & omni creatura intellectuali. Alia teſtimonia fauentia huic ſententiæ videri poſſunt apud Suarez lib. 7. c. 11. Illud præteriri non debet, in quo Apocal. 12. ver. 9. 10. & 11. deſcribitur prælium in fine mundi inter Michaelem, & eius aſſeclas ex vna parte, & inter Luciferum, Antichriſtum, & vtriuſque aſſeclas ex altera cum alluſione hiſtorica ad primum prælium inter eoſdem Michaelem, & Luciferum his verbis *Et proiectus eſt Draco ille magnu &c. Et audiui vocem magnam in Cælo dicentem. Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri & poteſtas Chriſti eius &c. Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinē Agni*. In quibus deficeret, alluſio prædicta in quam conſentiunt communiter interpretes. Deficeret inquam quoad præcipuum caput expreſſum in celeumate, ſeu acclamatione gratulatoria, & in cauſa victoriæ, ſi nō innotuiſſet Angelis Chriſtus Dominus in illo primo ſuo conflictu cum Lucifero. Accedit Chriſtum Dominum eſſe caput omnis principatus, & poteſtatis, adeoque Angelorum non minus quam hominum, vt oſtenſum eſt ex Apoſtolo quæſt. 41. de incarnat. vbi pariter oſtenſum eſt omnem ab initio gratiam Angelorum proceſſiſſe ex meritis Chriſti.

Irrationabiliter autem crederetur non innotuiſſe Angelis caput ſuum, cuius erát membra, & ſuum mediatorem, cuius interuentu accepiſſent à Deo dona gratiæ. Magno itaque cum fundamento creditur hanc etiam fuiſſe occaſionem, vt dæmones peccarent per ſuperbiam, negatis Chriſto adoratione, & cultu ipſi debitis.

Art. 9. Mouet nonnullos aduerſus iſtũ diſcurſum, decretum de myſterio Incarnationis conceptum à Deo fuiſſe dependenter à peccato Adami, quod peccatũ pependit rurſus à peccato dęmonis tentantis; atque adeo peccatum dæmonis non pependiſſe ab eo myſterio, ne admittatur mutua prioritas. Verum hæc difficultas eſt leuis. Primum quia probabilius eſt decretum Incarnationis ſecundùm ſe fuiſſe independens ab omi peccato, vt oſtenſum eſt quæſt. 17. de Incarnatione. Deinde quia potuit reuelari Angelis exiſtentia Chriſti ſecundum ſe, quia reuelaretur eius paſſibilitas, & occaſio exiſtentiæ eius ex peccato Adæ. Quo ceſſat inconueniens propoſitum. Nempe decretum diuinum ſecundum ſe non dependet à priori ab vllo obiecto creato, vti vniuerſaliter de omni decreto Dei, deque omni obiecto creato dictum eſt ſæpe in qq. de Deo, maximè verò à quæſt. 31. ad 34. Quod dicunt nonnulli, Angelis a primo inſtanti ſolam reuelatam fuiſſe poſ-

ſibilitatem Incarnationis, atque impoſitum præceptum de propoſito conditionato adorandi Chriſtum, ſi forte exiſteret, ad exercendam obedientiam, & humilitatem Angelorum; ideo mihi placere non poteſt. Quia eſt ſubtilitas purè voluntaria, inuenta præcisè ad vitandam difficultatem, abſque exemplo ſimilium præceptorum. Sed diſplicet non minus eadem ſubtilitas, quia neceſſaria nequaquam eſt, vt iam apparuit. His igitur modis videntur ſufficienter, & ſolide explicari occaſiones ſuperbiæ Angelorum, in quam inciderunt de facto. Qualis porpo potuiſſet eſſe occaſio peccandi per ſuperbiam pro ſtatu puræ naturæ, parum intereſt, vt operoſius manifeſtetur. Potuere ſuperiores Angeli dedignari mutuã cum inferioribus Angelis communicationem, tanquam cum conciuibus ſuis, ac ſocijs eiuſdem perfectæ reipublicæ; potuere ſimiliter recuſare inferiores ſubordinationem ſui reſpectu ſuperiorum, quoad illuminationem in ſpeculabilibus, & directionem in operabilibus Potuere demum vtique negligere directionem, & cuſtodiam rerum ſublunarium, ac præſertim hominum, tanquam miniſterium non vſque adeo decens ſublimitatem ſubſtantiæ purè ſpiritualis, & ſic de ſimilibus. Illud eſt magis proprium rei, & ſtatus præſentis, præſuppoſito peccato ſuperbię hucuſque explicato, protinus exar-

ſiſſe

ſiſſe dæmones inuidia aduerſus, & homines, & Angelos bonos. Quia eiuſdem eſt nimium affici erga dignitatem, & excellentiam propriam, atque odiſſe tanquam nociuam reſpectu ſui dignitatem, & excellentiam aliorum. Qua ratione redditur valde probabile, dæmones eodem indiuiſim actu, & elatos eſſe per ſuperbiam, & exarſiſſe inuidia, per complacentiam ſui, & diſplicentiam aduerſus alios. Certè affectus iſte poſterior diuelli non potuit à priori illa deordinatione, tam etſi dicatur ab ea diſtingui realiter, vt docet D. Thomas in illo art 2. vſus auctoritate Aug. lib. 14. de ciu cap. 3. dicentis: *Diabolus non eſt fornicator, aut ebrioſus neque aliquid huiuſmodi. Eſt tamen ſuperbus & inuidus.*

Art. 10. Id quoque obſeruatione dignum eſt, peccatum Angelorum explicatum huſque eſſe quoad motiuũ eius formale. De quo nimirum eſt præcipua difficultas, agiturque à Theologis præcipuo conatu. Cæterum ex ſuperiori diſcurſu apparet clarè, Angelos peccaſſe peccato infidelitatis, & præſumptionis, atque odij Dei, inobedientiæ, ingratitudinis, nec non irreligionis, & inobſeruãtiæ. Verùm quia non inciderunt in hæc peccata ex motiuis peculiaribus eorum, ſed ex motiuo ſuperbiæ, ideò in ſuperbiam cętera omnia reuocantur. Inſunt præterea dæmonibus quoad reatum om-

nes ſpecies peccatorum, in quę incidunt homines. Quia ad ea omnia impelluntur à dæmonibus, qui proinde eadem intendunt,& perpetrant per homines.Sed quia ad omnẽ iſtiuſmodi iniquitaté incitantur motiuo ſuperbiæ, cui vni obſtinatè ſéper adhærent, propterea in omni opere ſuo malo magis ſunt ſuperbi, quàm aliquid aliud. iuxta illud vulgare: Qui furatur propter mæchiam, magis eſt męchus quá fur. Peccatum igitur primum, ac præcipuum dæmonum eſt ſuperbia, ac deinde inuidia.

Ad . Hoc eſt commune omni peccato, vt ſe ipſo deſtruat re ipſa, quod intendit peccator.Omnis enim peccans excedit in amore ſui, ac proinde amat ſibi felicitatem, quam tamen impedit, ac deſtruit peccatum. In hoc igitur errat omnis peccans, quod collocat ſuam fælicitatem, & vltimum finem, ſummumque ſuum bonum in re creata, illique poſtponit bonum increatum, ac verè infinitum, ideoque amittit veram fælicitatem, dum peruerſo ordine adhæret nimiùm bono ad fælicitatem inſufficienti. Verùm quia hæc contradictio accidit abſque eius expreſſione in cognitione præuia,& cum ſolo virtuali eius conceptu,propterea nulla eſt implicantia formalis in cognitione, & opere peccatoris, vti expoſitum eſt ſemel, atque iterum in qq. de act. hom. Quod ad Angelos attinet, ipſi contemp-

ſerunt

ſerunt beatitudinem ſupernaturalem propter neceſſitatē humiliationis in eius medijs, & contemnendo amiſerunt, vt adhærerent bono abſolutè quidem minori, ſed ſecundùm quid maiori ideoque præferibili abſolutè per electionem liberam iuxta dicta qnæſt 13. de act. hum. præſertim ad 2.

Ad 2. Conceditur idem eſſe peccatū dæmonum, nunc & priùs. Sed negatur non peccare eos nunc etiam peccato ſuperbiæ. Licet enim non adſpirent ad excellentius genus bonorum, quam quæ habent, hæc tamen habent cum ſuperba eorum prelatione, comparatione bonorum, quibus carent, atque ex hac radice ambiunt coli ab hominibus, eoſque pertrahunt ad ſuam ſeruitutem, quantum poſſunt. Vndè ita triſtantur miſeria, & infelicitate, qua premuntur, vt tamen exultent in rebus peſſimis.

Ad 3 Angeli non potuerunt ſeruare ſuum principatum, ac domicilium, niſi captiuando humiliter intellectum, & voluntatem in aſſenſu veritatum, et proſequutionem promiſſionum propoſitarum obſcurè, et dependentium ab aliena voluntate, ac adiutorio, & quin demitterét ſe ad adorationem, & cultum naturæ inferioris in perſona Chriſti. Quod quidem erat paruum, ſi quod tamen erat, diſpendium dignitatis ipſis connaturalis, ſed tamen erat præſens difficultas demiſſionis,

cùm lucrum beatitudinis ſupernaturalis eſſet abſens & obſcure translucens. Hęc autem eſt commune omni peccanti, vt propter exiguam difficultatem præſenté amittat æternam ſummi boni poſſeſſionem, ſiue peccatum ſit ſuperbiæ, ſiue alterius vitij, ad eum modum, quo auarus ſępe facit iacturam magni lucri de futuro, ne faciat de pręſenti expenſas vtcunque paruas. Igitur dęmon amiſit quidem bona maiora, quam quibus adhæſit; adhæſit tamen his tanquam maioribus propter exceſſum ſecundùm quid, quem agnouit in ipſis quoad excellentiam, et dignitatem. Quod eſt propriũ ſuperbiæ cum acedia incumbat bono minori non tanquam excellentiori, ſed tanquam faciliori ſolùm.

Ad 4. Conceditur, Luciferum fuiſſe auctorem peccandi cęteris peccatoribus Angelis, et exemplo et ſuaſione Quod ſufficienter comprobatur ab auctoribus ibi indicatis. Sed negatur peccatum ſuperbię non poſſe vtroque eo modo propagari ab vno in alios, præſertim inferiores, ſiue accidentaliter, ſiue ſubſtantialiter. Quia fieri poteſt, vt ſuperbia non ſit vltra modum eleuatiua vnius relatè ad alios, qui incitantur ad imitationem, ſed ſolum relate ad alium tertium. Atque in hoc euentu ſuperbia vniuſcuiuſque peccantis non contradicit ſuperbiæ cæterum, vt per ſe patet. Ita enim accidit

cidit in dæmonibus. Nec enim peccauerunt contemptu mutuo, ſed contemptu Dei aduerſus, quem rebellarunt ipſ etis reuelationibus, & promiſſionibus eius, eiuſdemque filio incarnato, vt dictum eſt. Quæ erat cauſa, ſeu occaſio communis.

Art. 1. Ad 5. Dictum eſt ſæpe, dæmones non peccaſſe appetendo bonum nimis excellens, ſed amore magno, ac nimio paruæ excellentiæ, qualis erat excellentia ſibi connaturalis comparata cũ ſupernaturali, quam Deus ipſis obtulit. Vnde non imputatur illis ad peccatum, quod voluerint eſſe in Cœlo, & habere ſolium ſuper aſtra, ſed quod vtrũq; voluerint ſolùm iuxta menſuram ſuarũ virium, iiſdemque ſolis viribus vtendo. Quod indicat illud *conſcendã & exaltabo ſolium meũ*, nempe proprium virtute tantùm. Similitudinem etiam Dei non concupiuerunt maximam, aut nimiam, ſed paruam modo nimio, vt expoſitum eſt ſupra. A Deo autem erant ordinati ad maximam ſimilitudinem ſecum, vt apparet ex illo communi omnibus beatis: *Similes ei erimus* 1. Ioann. 3. 2. Erant vero ordinati per humilitatem, cui contradixit ſuperba adhęſio ad aliam paruam ſimilitudinem cum Deo, abſolute inferiorem incomparabiliter, qualis eſt ſimilitudo cum Deo Angelis connaturalis.

Art. 2. Quia vero ſimilitudo cum Deo

Ang li connaturalis eſt maior, ac præſtantior in vnoquoque eorum iuxta maiorem vniuſcuiuſque perfectionem ſubſtantialem; atque ſimilitudo maior ac præſtantior cum Deo vim habet maiorem alliciendi ad amorem ſui; concluditur maximum peccandi motiuum adfuiſſe in ſupremo Angelo. Vnde eſt valdè probabile, vt hoc obiter determinem, quod docetur à D. Thoma quæſt. 63. art. 7. & ab alijs communiter, Angelum ſupremum inter peccantes fuiſſe abſolutè ſupremum inter omnes. Quia videlicet is habuit maius motiuum peccandi, nempe excellentiam naturalem maiorem, atque probabilius eſt, eum potiſſimùm peccaſſe, quem ad peccandum vrgebat motiuum de ſe efficacius. Indidem etiam factum eſt, vt primus inter peccantes peccaret abſque exemplo, & ſuaſione cuiuſquam alterius, cæteri verò indiguerint incitamento, & ſuaſione Luciferi, vt dictum eſt nuper ad 4. Quia nimirum ſecluſo hoc additamento non vſque adeò vehementer impellebantur ad ſuperbiendum.

Art. 3. Neque euacuat penitus vim huius rationis, quod in ſupremo Angelo videretur compenſare, & contraponderare ex æquo maius motiuum peccandi, maior pronitas ad honeſtum, quæ eſt propria naturę præſtantioris, vt obſeruat optimè D. Thomas loco indicato, quatenus natura intellectualis ex ſe eſt prona, &

ef-

eſſentialiter ordinata ad bonum honeſtū, & eò magis, quò præſtantior eſt. Non, inquam hoc euacuat vim rationis propoſitæ, quia nulla natura creata ex ſe præciſè vllam habet pronitatem ad bona ſupernaturalia. Cùm tamen motiua naturalia habeāt vniuerſaliter vim contradicendi eorumdem bonorum proſequutioni. Dæmones autem peccauerunt de facto per contemptum bonorum ſupernaturalium, perque nimium naturalium bonorum amorem. Conceditur itaque eandem illam rationem non concludere proportionaliter pro ſtatu puræ naturæ, ſed fore peccatum ęque probabile pro eo ſtatu reſpectu ſuperiorum, & inferiorum. Sed quidquid ſit de hoc ſtatu, primatum Luciferi de facto inter omnes Angelos tuentur communiter alij etiam Theologi præter D. Thomam, cum magno fundamento in Sanctis PP. ac præſertim Dionyſio cap. 2. de diu. nom. p. 1. fine, vbi Luciferum dicit *primatem antiquiſſimorum Angelorum*. Videantur plura, ſi placet, apud Suarez lib. 7. cap. 17.

Art. 4. Hoc ego ſpecialiter aduerterim; prouidentiam Dei ſimpliciter antecedentem non fuiſſe minus propitiam, ac beneficam erga ſupremum Angelum, tametſi eum expoſuerit maiori periculo. Quia ſimul eumdem vocauit ad ſpem maioris beatitudinis iuxta dicta ſupra qu. 24,

ſpes

ſpes autem maioris boni cum periculo tantundem maiori perinde æſtimatur, atque ſpes boni minoris cum periculo tantundem minori: Vnde æqualitas proportionalis prouidentiæ Dei potius poſtulabat, vt periculum ſupremi Angeli eſſet maximum. Idemque dicitur de cæteris reſpectiue.

Ad 6. Amor Angeli erga ſe ſecundùm ſe præcisè conſideratum, non potuit eſſe nimius. Quia is amor eſt in vnoquoque neceſſarius, vt dictum eſt ſupra quæſt. 20. Ideoque eſt magnus, ac intenſus tota magnitudine, & intenſione abſolutè poſſibilis. Igitur nimietas amoris erga ſe neceſſariò refertur ad bona alia diſtincta à ſubſtantia amantis, nec dari poteſt niſi volendo ſibi maiora bona, quam par eſt, aut minora bona modo, quo par non eſt ea velle. Atque hoc poſteriori modo peccauerunt Angeli, vt dictum eſt. Peccauerunt verò, non tam præferendo ſe quibus præferre non deberent, ſed non ſubmittendo ſe, cui, & quantùm ſummitti debebant, nempe Deo. Falſum porrò eſt, nimietatem amoris huiuſmodi comparatiui, ac relatiui fundari neceſſariò in aliquo priori amore nimio, ac vitioſo prorſus abſoluto: Quia in ſola libera electione poteſt reperiri exceſſus vitioſus, atque electio libera ex conceptu ſuo fundatur in aliqua finis intentione neceſ-

ria

ria, vt dictũm eſt quæſt. 15, de act.hum. art. 1. Quæ proinde intentio vitioſa eſſe minime poteſt. Quapropter opinio Scoti quoad hanc partem non videtur ſufficienter fundata, cùm neceſſe ſit, vt omnis actus malus oriatur ab actu minimè malo prout coniuncto cum imperfectione naturæ peccabilis.

Ad 7. Corruptio optimi eſt peſſima. Vnde peccatum Angelorum fuit deformius & grauius peccatis hominum. Peccatum autem ex ſuo conceptu eſt opus ſtultum, & eò magis quò maius eſt. Quapropter inter Angelos quoque ipſos ſupremus peccauit ſtultiùs, quam cæteri, Quia decidit à bono maiori, & incidit in pœnam itidem maiorem. Ratio autē, obquam ſtultitia maior practica non repugnat magis, ſed potius minus, naturæ præſtantiori, expoſita eſt nuper in reſpōſione ad 5. Itaque mirabile profectò eſt, Angelos vſque adeò perfectè inſtructos à Deo donis naturalibus, & ſupernaturalibus, atque præditos altiſſima rerum omnium ſcientia vſque adeò deſipere potuiſſe. Quæ admiratio exprimitur apud Iſaiam 14. verbis illis: *Quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* commutans nimirum ſplendores matutinos, & plenitudinem lucis cum tenebris nocturnis, & cum tetra peccati caligine. Verùm illa ipſa abundantia lucis fuit oc-

caſio

tatio tenebroſæ ſuperbiæ, vt expoſitum eſt ſupra, & indicatur apud Ezech, c. 28. dum dicitur: *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo*. Vnde Angelis peccantibus accommodari optimè poteſt, quod dicitur de diuitibus in illo ipſo pſalm. 72. tranſlata; in abundantiam ſcientiæ; multitudine, & magnitudine diuitiarum: *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos ſuperbia. Operti ſunt iniquitate, & impietate ſua. Prodijt quaſi ex adipe* (ſcientiæ, & perfectionis naturalis) *iniquitas eorum*.

QVÆ-

QVAESTIO XXVIII.

Vtrum Gloria, & pœna Angelorum ſtatim poſt vnicum actum meriti, & demeriti inducta ſint, idque ex natura ipſa rei propter immutabilitatem eorum?

VIDENTVR non fuiſſe inductæ poſt eos actus, ſed vel ſimul cum ipſis, vel non immediatè poſt ipſos, ſaltē neceſſariò, & ex natura ipſa rei. 1. Quia neque pręmio, neque pœnæ repugnat, vt inducantur in eodem inſtanti, in quo primum exiſtunt opus meritorium, & demeritorium, vt patet in infuſione gratiæ, eiuſdemque priuatione, quarum altera inducitur in eodem inſtanti, in quo primum exiſtit opus mertorium altera verò in inſtanti. in quo primum exiſtit peccatum. Ergo non fuit neceſſe ex natura rei, vt aut gloria, conferretur bonis Angelis poſt opus meritorium eius, aut dęmonibus infligeretur pœna æternę damnationis poſt inſtans peccati; ſed vtrumque fieri potuit pro illo ipſo inſtanti, pro quo primum extitere meritum, & demeritum.

2. D. Auguſt. lib. de Ciuit. cap. 9. dicit

cit, *partem ſanctorum Angelorum eò beatiorem eſſe, quod nunquam eſt peregrinata à Domino*. Nunquam igitur caruit viſione beata. Nempe peregrinari à domino eſt carere viſione, & ambulare per fidem, vt liquet ex illo 2. ad Corinth. 5. *Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus*. Verùm iſtam doctrinam de beatitudine perfecta bonorũ Angelorum a primo inſtanti incluſiuè docet fuse multis modis lib. 4. ſuper Geneſ. ad litt. cap. 24. & lib. 11. cap 26. nec non lib. 12. confeſſ. cap. 9. atque in lib. de Eccleſ. dogmat. cap. 59. dicitur, ſanctos Angelos *in ea, in qua erati ſunt beatitudine perſeuerare*. Eadem autem eſt ratio de damnatione dæmonum à primo inſtanti. Quia ſimul diſcreti ſunt boni, & mali, atque in ſuam quique ſortem coniecti. Neutrũ ergo accidit poſt inſtans meriti, & demeriti.

3. Idem ſemper idem, ſemper eſt aptum facere idem. Angelis autem adfuere eadem omnia ante, & poſt actum meriti, & demeriti. Ergo eadem ratione, qua boni Angeli peccare, ac demereri potuerunt, antequam mererentur beatitudinem, eamdemque mereri potuerunt mali Angeli, antequam peccarent, potuerunt etiam, & hi poſteriores pœnitentiam agere, & priores peccare poſt primos actus meriti & demeriti. Ergo neceſſe non fuit ex natura rei, vt

poſt

poſt vnicum actum meriti, & demeriti ſtatim inducerentur gloria, & pœna æterna. Sed oportuit potius, vt detinerentur diutius in via, ſicut detinentur homines. Vt nimirum daretur locus pœnitentiæ peccantibus, nec fruſtra nacti eſſent naturam mutabilem, atque emendabilem, vtque probitas bonorum probaretur magis, & daretur locus augmento coronæ per continuationem boni operis, & perſeuerantiam in accepta iuſtitia.

4. Dæmones de facto mutati ſunt de bono in malum propoſitum, atque conuerſionem ad Deum primitus conceptam commutarunt deinde in conuerſionem ad creaturas, & in auerſionem à Deo. Ergo ſimiliter potuerunt, quantum eſt ex natura rei, regredi iterum ad Deum, & auerti à creatura, atque ita emendare priorem errorem. Patet conſequentia. Quia nulla eſt maior difficultas in mutatione de malo in bonum, quam in contraria mutatione de bono in malum, quãtum eſt ex parte naturæ mutabilis ſi non deſit auxilium gratiæ Dei, quod nemini negatur ad profectum ſpiritualem, cuius eſt capax natura vniuſcuiuſque.

5. Angeli conueniunt cum homine, quà intellectualis eſt. Homo autem mutat ſæpe ſæpius propoſitum, non ſolùm circa corporalia, quæ mutantur temporis decurſu, ſed etiam circa intelligibilia, quæ inuariabiliter ſemper eadem, eodem.

demque permanent modo, & cognoſcũtur vt talia. Ergo Angeli ſunt etiam capaces multiplicis ſimiliter mutationis circa obiecta vtcunque inuariabilia in ſe, atque in eorum intellectu.

Art. 1. Reſpondetur, Breuiſſimam fuiſſe viam Angelorum, tam bonorum, quam malorum communis eſt, & indubitata Theologorum omnium ſententia cum D. Thoma quæſt. 62. art. 5. & q. 63. art. 6. Et quidem nonnullis audentibus olim dicere, Angelos bonos non eſſe perducendos ad beatitudinem vſque ad diẽ iudicij aperte contradicit Chriſtus Dominus Matth. 18. dicens: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*. Nec quidquam facit ad oppoſitum, quod dicitur 1. Petri 1. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*. Quia deſiderium nõ accipitur ibi pro appetitu rei abſentis, ſed pro gaudio nullum afferente tædium, & perinde inhiante, ad bonum ſuum, atque ſi ſemper quæreretur de nouo. *Deſiderant* enim, vt exponit ibi Gregorius, *ſine labore. Quia deſiderium ſatietas comitatur, & ſatietas eſt ſine faſtidio. Quia ipſa ſatietas ex deſiderio ſemper accendit*. Ad eum vtique modum, quo ſapientia diuina dicit de ſe Eccl. 24. *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient*. Ratio breuitatis viæ Angelorum eſt. Quia ſicut ſpatia multo plura pertrãſire poſſunt in ictu oculi, quã poſſit homo per plures annos; ita etiam per intellectum

lectum poteſt obiecta omnia eligibilia in ordine ad vltimum finem meliùs conſiderare intra moram durationis vtcumq; breuem, quàm homo toto tempore vitæ mortalis, quo naturaliter viuere poteſt. Eadem igitur ratione, quà homini ex natura rei ad ſummum conceditur pro ſtatu viæ ſpatium centum, aut circiter annorum; ita Angelis ex natura rei concedi debuit breuiſſima mora. Licet autem quanta ea fuerit determinari à nobis omnino non poſſit ſub aliqua menſura iuſta, qua videlicet caremus pro menſuranda duratione naturæ Angelicę, & operationem eius; dici nihilominus poteſt moram viæ Angelorum diuiſibilem quidem fuiſſe, ſed ſimul fuiſſe breuiorem qualibet parte vtcunque minima temporis noſtri diſcernibili, ac deſignabili ſeorſim. Hoc enim perſuadet ſatis ratio propoſita.

Art. 2: Solet autem ea qualiſcunque mora dici vnum inſtans reſpectu bonorũ Angelorum duo verò reſpectu malorũ. Ratio eſt, quia inſtantia Angelorum numerantur iuxta numerum operationum inuicem incompoſſibilium, ſibique inuicem ſuccedentium. In Angelis autem bonis vnus actus conuerſionis in Deum perſeuerauit inuariatus, dum fuere viatores. Tota igitur eorum via fuit vnicum inſtans reale. Licet enim, quando peccarunt dæmones illis reſtiterint, atque hic reſi

ſten;

ſtentiæ actus fuer t diſtinctus a primo actu conuerſionis in Deum quo ſe diſpoſuerunt ad gratiam; non tamen fuit incompoſſibilis cum eodem actu conuerſionis in Deum, ac proinde nullum ſuperaddidit nouū inſtans, idemque dicitur de alijs eiuſmodi actibus ſuperadditis illi primo, tanquam ipſorum radici. At dæmones primo actui cōuerſionis in Deum ſubſtituerunt peccatum, quod eſt actus incompoſsibilis cum actu conuerſionis in Deum. Cæterum mora vtrorumque in via fuit prorſus ęqualis. Quia dum peccarunt dæmones, retinuerunt boni Angeli potentiam peccandi, quæ ſolùm in viatore dari poteſt. Verum hęc partitio inſtantium, vtcunque exponatur, eſt ſecundum ſe præcisè parui momenti. Quia nihil refert pro re theologica, an ſic, vel ſecus ſtatuas.

Art. 3. Duo alia ſuperſunt circa hoc punctum, quę ſunt maioris momenti, ac propriè theologica. Alterum eſt an potẽtia proxima merendi, & demerendi ſit incompoſſibilis cum beatitudine pro eodem inſtanti reali, ideoque neceſſe fuerit, vt gloria conferretur, & infligeretur pœna peccati pro inſtanti realiter diſtincto ab inſtanti, pro quo primum extitit meritum conſummatum, & demeritũ ſeu peccatum. Alterum eſt, vtrum Angeli ſint inflexibiles ex ſua natura, ita vt neque ijs, qui peccauerunt, fuiſſet poſſibi-

le

ſe retractare ſuum actum, atque agere pœnitentiam, tametſi Deus voluiſſet illis continuare priora auxilia gratiæ, nec inferre protinus pœnam damni, & ſenſus, ſeu quaſi ſenſus; neque ijs, qui perſeuerauerunt in actu dilectionis ſupernaturalis Dei pro inſtanti, pro quo cæteri peccauerunt, fuiſſet poſſibile peccare deinceps, tametſi collata protinus non fuiſſet viſio Dei immediata, ſeu perfecta beatitudo. Quoad vtrumque pũctum ſunt variæ Theologorum opiniones. Quia quoad primum nonnulli putant, aduerſus cõmunem ſententiam, beatitudinem,& reprobationem paſſiuam coexiſtere poſſe ex natura rei actui meriti, ac demeriti. Quoad ſecundum verò punctum D. Tho. quæſt. 62. 15. et quæſt. 64. art. 2. et alij plures ibidem Angelos dicunt omnino inflexibiles, nec illis ineſſe potentiam phyſicam mutandi propoſitum ſemel conceptum, ſi permanenter, et ſine limite determinatæ alicuius durationis ſemel ab eis concipiatur. Scotus verò, et D. Bonauentura, Molina, Suarez, Vaſquez, Valentia, et alij oppoſitam quantum eſt ex ſua natura, flexibilitatem attribuunt Angelis, ſimilem humanę. Granados verò, poſt alios Angelos dicit moraliter inflexibiles, et flexibiles phyſicè.

Art. 4. Dicendum autem primò eſt, beatitudinem, et reprobationem eſſe intrinſece incompoſſibiles cum actu merti,

et

& demeriti, quo vtraque inducitur, tanquam præmium, & pœna Non potuerūt quidem Angeli accipere præmium gloriæ pro eodem illo inſtanti, pro quo extitit eius meritum. Quia poteſtati merendi coniuncta in illis fuit poteſtas proxima peccandi, cum qua coniungi minime poteſt beatitudo. Idque non ex eo præcisè, quia poteſtas proxima antecedens peccādi eſt realiter incompoſſibilis cum impotentia conſequenti peccandi, ſiue morali, ſiuè purè phyſica, quo perperam, vt paulo poſt apparebit, recurrit operoſo conatu Martinon. Sed quia poteſtas proxima peccandi, præcisè per ſeipſam, conſtituit formaliter ſtatum miſeriæ incompoſſibilem cum exiſtentia, & ſtatu beatitudinis pro eodem inſtanti. Nempe potens proximè peccare, cognoſcit, poſſe exiſtere peccatum pro eo inſtanti, eſtque anceps de euentu futuro, & angitur magna de illo ſolicitudine. Quæ profectò eſt magna quædam miſeria. Beatitudo autem ex ſuo conceptu affert ſecum tranquillam, & ſecuriſſimam huiuſmodi dubitationis, & ſolicitudinis excluſionem. vt oſtenſum eſt quæſt. 3. de act. hum. ab ar. 9. Accedit actum meriti Angelici ortum eſſe ab actu fidei, & ſpei, atque vtrumque hunc actum pertinuiſſe partialiter ad idē meritum. Vterque autem eſt incompoſſibilis cum viſione beatificante, vt dictum eſt in loco. Simili ratione fuit incompoſſibilis

ſibili reprobatio paſſiua cum actu peccati pro primo inſtanti exiſtentiæ eius. Quia pro eo inſtanti data eſt in Angelis malis poſſibilitas proxima euadendi pœnam æternam ſimul cum cognitione poſſibilitatis proximæ vitandi illam,, atque impediendi. Eſt autem de conceptu reprobationis paſſiuę impoſſibilitas eam vitandi, & cognitio huius impoſſibilitatis. Patet autem iſtas cognitiones, eamque potentiam, & impotentiam eſſe incompoſſibiles pro eodem inſtanti reali, cum opponantur contradictoriè. In ſumma nemo eſt, aut poteſt eſſe perfecte beatus, dum poteſt eſſe miſer, nec totaliter infelix, dum poteſt eſſe beatus. Quia poteſtas incidendi in miſeriam eſt miſera, & fælix poteſtas conſequendi beatitudinem. Vnde neutra compatitur ſecum conſummatam, ac totalem, aut beatitudinem, aut miſeriam. Neceſſe igitur fuit, vt Angelis bonis beatitudo, & malis reprobatio paſſiua accederet poſt actum meriti, & demeriti, & neutra potuit coexiſtere his actibus.

Art. 5. Dicendum deinde eſt, Angelos ex ſua natura eſſe ſaltem moraliter inflexibiles quoad propoſitum ſemel conceptum permanenter, dum non apparet nouum motiuum. Inquam permanenter conceptum. Quia quaſdam electiones concipiunt Angeli cum reſtrictione ad tempus finitum, ſeu vagè, ſeu determina-

tè, vt patet in præſentia ad hoc, vel ad illud ſpatium, ſucceſſiua corporum motione, apparitionibus, inſpirationibus, ſuggeſtionibus multipliciter varijs pro diuerſa rerum opportunitate. Similis eſt ratio de ceſſatione à propoſitis conditionatis de futuro, quæ ſimiliter ceſſant expleta conditione, in quam vſque ab initio voluntas tendebat. Huiuſmodi autem electiones, & alias ſimiles, non ſolum phyſicè, ſed etiam moraliter, & facilè poſſunt mutare; ſi tamen ea mutatio dicenda eſt, & non pura quædam ſucceſſio actuum exequens priorem voluntatẽ. Quod obſeruare oportuit ad vitandas quaſdam non vulgarium Theologorum æquiuocationes circa controuerſiam præſentem.

Art. 6. Dixi rurſus niſi appareat nouũ motiuũ. Quia dubitari minimè poteſt, quin voluntas quælibet mutare poſſit, potentia etiam morali, propoſitum iam præconceptum, ſi occurrat nouum motiuum nouitate vel totali & entitatiua, vel partiali, ac formali propter nouam apparentiam maiorem quoad aliquas formalitates prius latentes. Quia nimirum voluntas, ſiue Angeli, ſiue hominis perinde comparatur cum nouo motiuo nouiter occurrente in contrarium, atque ſi nihil prius determinaſſet, nihilque præelegiſſet. Hac ratione quidam ex Angelis liberè perſeuerarunt tota viæ ſuæ duratione

in

in dilectione Dei primitus concepta, alij verò ab eadem receſſerunt peccãdo. Quia videlicet in primo inſtanti omnes vniformiter acceperunt ex determinatione Dei in inſtanti creationis cognitionem perfectiſſimam, quæ proinde efficaciſſimè repræſentaret omnes rationes obiectiuas allicientes ad amorem Dei ſuper omnia, & minus efficaciter motiua creata in contrarium. In ſecundo verò inſtanti boni Angeli noluerunt ab ea cognitione diuerti, vel diuertentes ab illa restiterunt nihilominus motiuis peccãdi nouiter efficacius apprehenſis cum libertate morali illis cedendi. Dæmones verò ab ea priori cognitione libere diuerterũt ab eadem illa cognitione diuinitus immiſſa ad efficaciorem conſiderationem motiuorum contradicentium dilectioni, & obedientiæ Dei, eiſdemque incubuere ſpreta priori perfecta ad Deum conuerſione: Nonnulli, vt exponant iſtam nouitatem motiui pro ſecundo inſtanti, dicunt, notitiam Chriſti, quem ignorauerint Angeli pro primo inſtanti, affulſiſſe illis de nouo pro ſecundo inſtanti, eamque fuiſſe occaſionem peccandi, & recedendi à dilectione Dei primitus concepta. Verum ego cenſeo longè probabilius cum D. Thoma 2.2. quæſt. 2. ar. 7. in c. iuncta reſponſione ad 1. & cum Auguſtino ibidem innotuiſſe Chriſtum Angelis pro primo inſtanti, atque per fidem me-

diatoris gratiam ſanctificantem cõſequutos eſſe non minus, aut aliter, quàm Adamum, cui etiam reuelatus eſt Chriſtus ante peccatum, licet non ſub conceptu paſſibilis, & Redemptoris, benè tamen ſub conceptu mediatoris ad gratiam, & gloriam obtinendam à Deo vt docet ibidem D. Thomas. Nempe ſub eo conceptu æquè pertinebat ad Angelos notitia Chriſti ante peccatum, & ante omnem notitiam futuritionis peccati, vt dictum eſt in quæſtione præcedenti. Dicendum igitur potiùs eſt nouitatem illam motiui pro ſecundo inſtanti ſitam fuiſſe, iuxta dicta ibidem in noua comparatione excellentiæ propriæ naturalis cum dimiſſione, & humiliatione neceſſaria ad credendũ obſcura myſteria, & ad ſperandum dona obſcurè propoſita, nec non cum vilitate humanæ naturæ, quæ exaltatã in Chriſto, adoranda propterea humiliter ipſis proponebatur. Nempe circa hęc multa de nouo conſiderari potuere, à quorum explicita conſideratione prouide auerterat Deus Angelos omnes pro primo inſtanti auctor primæ eorum cognitionis. A qua poſtea, qui voluere, & quantum voluere, pro ſua libertate receſſere, & in alias æternæ ſaluti minus opportunas cogitationes prolapſi ſunt, amiſſa propterea priori impoſſibilitate morali peccandi, ſimulque labefactata vi dilectionis Dei primitus conceptæ, vt cõtine-

tinerentur in officio, eamdemque dile-ctionem conſtanter, ac inuariabiliter retinerent.

Art, 7. His igitur ita conſtitutis, probatur de cætero concluſio propoſita de inflexibilitate ſaltem morali voluntatis Angelicę. Quia Angelus cognoſcit in primis cōprehenſiuè pleraque motiua naturalia, & cætera naturalia, atque ſupernaturalia omnia actualiter occurrentia, quę placet conſiderare pro vnaquaque electione, cognoſcit omni conatu, ac proinde cum omni perfectione ſibi abſolutè poſſibili; ita vt perfectio cognitionum, vel auertentium ab electione, vel ad illam impellentium, augeri ab eo minimè poſſit per diſcurſum, aut maiorem rei, de qua agitur conſiderationem. Omnia ſiquidem quæ cognoſcit, complectitur immediata eorum inſpectione, nec poteſt proficere per diſcurſum in eorum manifeſtatione, vt dictum eſt ſupra queſt, 15. Deinde diſpoſitionem purè phyſicam retinet Angelus ſemper inuariatam, dum eſt in via, & diſpoſitio, quæ in termino viæ ſuperuenit de nouo, fouet potius electionem anteà factam. Denium cuiuis ſuæ electioni incumbit Angelus ſumma cum intenſione, & adhæſione affectiua, ſummoque conatu abſolutè ſibi poſſibili ſub iiſdem motiuis. Hæc autem omnia inducunt maximam quandam difficultatem, atque impotentiam moralem mu-

tandi electionem. Quilibet enim voluntatis actus pollet vi aliqua peculiari inclinandi voluntatem ad conſeruationem ſui, & impediendi actum oppoſitum retractatiuum eiuſdem prioris actus, vt obſeruatum eſt queſt. 75 & 75. Sacram. initio. Eaque vis eo eſt maior, quo maior eſt intenſio ipſius actus, & perfectior cognitio motiuorum, in vtramque partem maiorque de reliquo vniformitas diſpoſitionis ex parte ſubiecti eligentis: Ergo vbi hęc tria concurrunt in ſummo gradu vti concurrunt in Angelo, ea vis electioctionis inclinans ad permanentiã ſui redditur maxima, atque inſruſtrabilis, vt minimum moraliter.

Art. 8. Confirmatur. Quia in humanis electionum, ac propoſitorum mutationibus, ſeu retractationibus ſemper interuenit, vel maior, ac attentior rei conſideratio emendatiua prioris inconſiderationis, vnde eſt frequens illud, *non putarã*, in volentibus mutare, & mutantibus de facto propoſitum; vel phyſica diuerſitas diſpoſitionis corporalis, & humorum, atque paſſionum; vel remiſſio, & tepiditas propoſiti priùs cõcepti ex defatigatione, & laſſitudine illud continuandi. Liquet enim per experientiam vniciuis maniſeſtiſſimam, nunquam euenire in nobis mutationem, & retractationem electionis iam factæ, nulla interueniente de nouo ex ijs, ſeu cauſis, ſeu occaſionibus mutandi,

di, ac retractandi, Impoſſibile igitur eſt ſaltem moraliter, vt accidat mutatio eiuſmodi, ac retractatio, vbi ea omnia deficiunt, vti plane deficiunt in Angelis, vt apparet ex dictis ſuperiùs de natura eorum, & de modo, quo tam per intellectum; quàm per voluntatem operantur.

Art. 9. Addo, probabilius mihi videri, ne quidem phyſicam mutandi, ac retractandi potentiam conuenire Angelis ſub conditionibus prius obſeruatis circa impotentiam moralem. Ratio eſt quia perinde comparatur voluntas cum ſua electione pro diuerſis inſtantibus, & pro decurſu durationis. vtcunque longo ſub ijſdem numero cognitionibus, & motiuis; atque comparatur cum eadem pro eodē inſtanti ſubdiuerſis numero tātùm cognitionibus, & complacentijs præeuntibus ad actum electionis. Vtrobique enim diuerſitas eſt purè materialis, & numerica; ideoque perinde valitura, aut non valitura ad inducendam diuerſam electionem. Impoſſibile autem eſt, non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè, vt voluntas eligens vnam partem contradictionis de facto ſub vna aliqua præcognitione, & complacentia, ac pręuia diſpoſitione, electura foret pro eodem inſtanti oppoſitam partem ſub alia cognitione, aut complacentia, aut diſpoſitione qualicunque præuia numero tantùm diuerſa ab ea, quę datur de facto, Impoſſibile

namque eſt ph ſicè, vt diuerſitas tantùm numerica comprincipiorum inducat ſpecificam diuerſitatem in electione, exiſtéte eodem numero principio electiuo, vtque illud eligat diuerſimodè nulla exiſtéte diuerſitate formali ex parte motionis, & allicientiæ præuiæ impellentis ad vtramque partem contradictionis. Ergo ſimiliter eſt impoſſibile, vt idem numero principium electiuum erumpat in electiones inuicem oppoſitas pro diuerſis inſtantibus ſub diſpoſitione intentionali, & phyſica adæquatè. & totaliter eadem. Neque verò dici poteſt vnam ſubſtantiam intellectualem quatenus exiſtentem pro pluribus inſtantibus, æquiualere pluribus ſubſtantijs intellectualibus, quatenus ſimul coexiſtentibus pro vnico tantùm inſtanti; atque ideò illam vnam ſubſtantiã poſſe pro diuerſis inſtantibus eligere oppoſita, tametſi cætera omnia perſeuerent eadem, ſicut plures ſubſtantiæ pro vnico inſtanti poſſunt eligere oppoſita; nec neceſſe eſt, vt ſint ſimiles omnino, atque conformes in electione, tametſi omnibus inſit diſpoſitio præuia totaliter vniformis Non inquam hoc dici poteſt. Quia æquiualentia vnius ſubſtantiæ ad plures non poteſt tenere quoad omnia, vt per ſe patet, vtcunque cætera conſiderentur. Vnde neceſſe eſt aliunde oſtendere, quod teneat quoad punctum de quo agitur; idque nego oſtendi vlla ratione poſſe. Hæc

certè

certè ratio diſcriminis negari minimè poteſt, vnamquálibet ſubſtantiam affici intrinſecè electione ſua, atque ratione eius reddi ſpecialiter difficilem electionem oppoſitam pro inſtanti ſequenti, nec eſſe tam facilem trãſitum ab vna electione habita pro vno inſtanti ad electionem oppoſitam pro inſtanti ſequenti, quàm facilis initio fuiſſet eadem oppoſita electio, cum tamen certum, manifeſtumque ſit nullam ſubſtantiam affici intrinſecè electione alterius ſubſtantiæ ſibi coexiſtentis, nullique ſubſtantiæ reddi ſpecialiter difficilem electionem vtriuſuis partis, propter qualemcunque electionẽ alterius ſubſtantiæ pro eodem inſtanti. Patet igitur comparationem prædictam eſſe inutilem, neque quidquam conuincere in re propoſita.

Art. 10. Ex his itaque omnibus apparet, premiũ æternæ beatitudinis, & pœnam damnationis æternæ nõ fuiſſe inducta pro illo ipſo inſtanti, pro quo primũ extitit meritum conſummatum bonorum Angelorum, & peccatum malorum; Eadem verò inducta fuiſſe pro inſtanti immediatè ſequenti, nullaque omnino interpoſita mora; atque vt vtrumque ita fieret fuiſſe neceſſarium ex natura ipſa rei propter incompoſſibilitatem ſtatus beatifici, & reprobationis paſſiuæ cum ſtatu merendi per vitationem liberam peccati, atque demerendi per peccatum, &

propter immutabilitatem phyſicam, vel ſaltem moralem voluntatis Angelicę poſt conſiderationem omnium in vtramque partem motiuorum abſolutè poſſibilem eidem naturę, vti de facto data eſt in Angelis prout exiſtentibus in primo, & in ſecundo inſtanti quatenus pro primo omnes vniformiter acceperunt à Deo cognitionem omnino perfectam, quæ complecteretur omnia motiua impellentia ad dilectionem Dei, in ſecundo verò inſtanti qui voluerunt digredi ad motiua creata impellentia ad peccandum, ea ſimiliter omnia complexi ſunt cognitione ipſis omnino adęquata, certè tali qua maior nullo temporis decurſu exiſtere poſſet in iiſdem Angelis propter incapacitatem eorum, vt proficiant per diſcurſum in cognitione rerum iam præhabita per ſimplicem earum intimam inſpectionem; & qui noluere ſimiliter digredi ad vlteriorem, ac maiorem conſiderationem, ſeu inſpectionem motiuorum eiuſmodi naturalium, non magis potuere pręhabere maiorem notitiam motiuorum inclinantium ad eiuſmodi digreſſionem, & conſiderationem. Quæ omnia oſtendenda erant, vti oſtenſa ſunt.

Ad 1. Conceditur ſponte, non eſſe de conceptu vniuerſali præmij cuiuſuis, & pœnæ, ne exiſtat pro eodem inſtanti reali, pro quo primum exiſtit meritum, & demeritum cui rependitur, Sed negatur eſſe

eſſe vice verſa de cóceptu vniuerſali omnis præmij, & pœnę, vt poſſit realiter coexiſtere merito ſui, ac demerito. Quia oſtenſa eſt ſupra ſpecialis quoad hoc ratio repugnantiæ in præmio æternæ beatitudinis, & in pœna damnationis æternæ.

Ad 2. D. Auguſtinus clariſſime diſtinguit, cap. 10. de correp. & grat. Angelicã durationem ac ſtatum vię duratione, & ſtatu termini, dum dicit, *ſic ordinaſſe Deum Angelorum, & hominum vitam, vt in ea prius oſtenderet, quid poſſet eorum arbitrium, deindè quid poſſet ſua gratia beneficium.* Quia verò hic liber eſt poſtremũ opus, & quaſi teſtamentum Auguſtini, hinc exponenda ſunt, quæcunque in alijs operibus prius dixerat circa hoc punctum. Conſtat autem in illis locis ſuper Geneſ. atque alibi non ſemel egiſſe de hac re non reſolutoriè, ſed opinatiuè tantum, atque dubitatiuè, diſputando, & non determinando, tanquam in re ſibi pro tunc omnino dubia. In verbis autem illis ex 11. de Ciuit. Tò peregrinari non accipitur, vt oppoſitum ſtatui perfectæ beatitudinis, ſed ſolum prout conuertitur cum ſtatu peccati, & alienationis, atque auerſionis à Deo. Quæ vſurpatio cadit aptiſſime in illud verbum. Nec neceſſe eſt, vt eo vbique ab omnibus ſenſu vſurpetur, quo vſurpatur ab Apoſtolo. Iam in libro de Eccleſ. dogm. Sancti Angeli dicuntur perſeuerare in ea beatitudine, in qua creati ſunt.

Quia nunquam receſſerunt ab eo genere dilectionis Dei, & coniunctionis cum Deo, quam conceperant in primo inſtanti, tametſi ea fuerit poſt ſtatum viæ longè perfectior, atque diuerſæ ſpeciei, vt dictum eſt quæſt. 4. de actibum.

Ad 3. Imo, quia idem ſemper idem ſemper eſt aptum facere idem, concluditur potius, Angelos, poſt adæquatam omnium in vtramque partem motiuorũ conſiderationem, ſemper incumbere inuariabiliter electioni ſemel conceptæ eamdemque ſemper facere, & continuare electionem. Quia videlicet non ſubeunt varias, ac diſpares diſpoſitiones naturales temporis decurſu ſicut homines, ſed ſemper eodem modo permanent; & phyſicè, propter ſimplicitatem, puramque ſpiritualitatem naturę ſuæ, & intentionaliter propter deiformem, vt loquitur Dionyſius cap. 4. de diu. nom. intellectum eorum. Non igitur tenet paritas quoad hoc punctum inter Angelos, & homines, nec fuiſſet conueniens, ſed prorſus inutile, ſi Angelis peccantibus conceſſa fuiſſet, ſicut vtiliter conceditur hominibus, longior mora viæ pro peragenda pœnitentia. Quam nimirum nunquam peragere poſſent propriè talem, ſeu ſalutarem, vt oſtenſum eſt. Idemque dicitur de longiori experimento bonorum Angelorum pro augmento meriti. Quod ſcilicet augere nullatenus poſſent, vtpotè

expertes nouæ libertatis ad omiſſionem continuationis, & ad continuationem operis meritorij. Ad 4. conſtat ex dictis ſupra præſertim art. 10.

Ad 5. Conuenientia Angelorum cum homine, quà intellectualis eſt, eſt tantū generica. Atque homo ratione ſuæ differentiæ ſpecificæ ſubiacet multiplici varietati cognitionum, & apprehenſionum circa obiecta quælibet etiam purè intelligibilia, atque inuariabilia ſecundùm ſe; Quia illa cognoſcit dependenter à phantaſia, & per diſcurſum. Apprehenſio autem phantaſiæ variatur quoad modum repræſentandi eadem obiecta per momenta ſingula propter variationem, tùm obiectorum ſenſibilium, quæ ſucceſſiuè occurrunt diuerſa, & diuerſimodè eadē, tùm diſpoſitionis naturalis in corpore, quæ inducit diuerſum repræſentādi modum in eadem phantaſia. Similiter diſcurſus eſt irrequietus, & progreditur, ac regreditur modis innumerabilibus. Angeli autem ex neutro capite ſunt variabiles in apprehenſione obiectorum, & modo illa repræſentandi; Vnde patet, paritatem eſſe nullam.

QVAES-

QVAESTIO XXIX.

Vtrùm dæmones verè crucientur igne inferni?

VIDENTVR non verè cruciari, ſed in ſenſu metaphorico accipienda eſſe quæcunque dicuntur in ſacris literis de tortura dæmonum per ignem 1. Quia aliàs etiam frequenter accipitur ignis metaphoricè in ſacra ſcriptura, vt Lucæ 3 Matt. 3. vbi dicitur de Chriſto Domino: *ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne* Hic enim ignis exponitur in ſenſu metaphorico, vt dictum eſt quæſt. 39. de ſacram. ad 1. Verùm vrgentiora ſunt in hunc ſcopum teſtimonia quædam ſcripturæ, quę loquuntur de igne inferni cum metaphora manifeſta. Primum eſt ex Lucæ 16. vbi diues damnatus exclamat: *Quia crucior in hac flamma*, & mox additur, quòd *eleuans oculos ſuos vidit Abraham à longè*: & quod precatus eum ſit dicens: *Mitte Lazarum, vt intingat digitum ſuum in aquam, & refrigeret linguam meam*. Circa quæ Auguſtinus lib. 21 de Ciu. cap. 10. ſic vrget ſenſū metaphoricum: *Dicerem quidem ſic arſuros ſine vllo ſuo corpore ſpiritus ſicut ardebat apud*

in-

apud inferos ille diues, quando dicebat, Crucior in hac flamma, niſi conuenienter reſponderi cernerem talem fuiſſe illam flammã, quales oculi quos leuauit, & Lazarum vidit, qualis lingua cui humorem exiguum deſiderauit infundi, qualis digitus Lazari, de quo id ſibi fieri poſtulauit, vbi tamen erant ſine corporibus animæ. Sic ergo incorporalis, eſt illa ſlamma qua exarſit &c. Alterum teſtimonium eſt ex Iſaiæ 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Quæ verba pœnis damnatorum accommodat Chriſtus Dominus Marci 9. 42. Manifeſtũ autem eſt vermes ibi accipi in ſenſu metaphotico, vti ab omnibus indubitanter accipiuntur. Nec, niſi diſtortè, ac violenter accipi poteſt ignis in ſenſu proprio & vermis in metaphorico, vbi vterque eodem modo exprimitur in eadem periodo, & cum iiſdem omnibus circumſtantiis. Poſtremò nomine ignis ſignificatur tota pœna, vel certè præcipua damnatorum ſpirituum, ſicut & corporum, vt colligitur ex Matth. 25. vbi illis verbis exprimentibus totum vel certè præcipuũ præmium beatorum: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum*, Contraponuntur à Chriſto Domino hæc alia: *Ite maledicti in ignem æternum*. Per quem proinde ignem neceſſe eſt intelligere totam ſimiliter, vel certè præcipuam pœnam damnatorum, vti intelligendam eſſe putat inter alios D. Thomas in 4. diſt. 50.

quæſt. 1.

quæſt. 1. a. 1. ad. 1. Certum autem eſt, pœnam damnatorum, vel totam, vel præcipuam non niſi metaphoricè ignem dici poſſe, cùm conſtet præcipuam pœnam eſſe priuationem viſionis Dei. Ergò metaphoricè, & non in ſenſu proprio crucientur dæmones igne inferni.

2. Ignis inferni nec phyſicè cruciare poteſt ſpiritus, nec intentionaliter. Non quidem phyſicè. Quia ſpiritus non eſt capax, qui vel comburatur, vel nimium calefiat, ſicut corpus inanime non eſt capax, quod informetur ſpeciebus intentionalibus, aut vt intelligat, vel ſentiat. Quæ paritas omninò conuincit. Quia vtrobique eſt par extremorum diſtantia, ac diuerſitas quoad genus rei. Sed nec intentionaliter cruciare poteſt. Quia vbi nullum eſt verum, ac reale nocumentum, nulla poteſt eſſe apprehenſio contriſtatiua, niſi purè imaginaria, aut intellectualis deceptoria apprehendens obiectum per ſpecies alienas. In dæmonibus autem, nec imaginatio habet locum, cuius ſunt expertes, vt dictum eſt ſupra, nec deceptio ratione ſpecierum alienarum, cum ignem, omnemque eius operationem cognoſcant immediatè, & videat per ſpecies proprias. Præterea non decet Deum, vt cruciet per apprehenſioné, & cognitionem falſam. Quia hoc eſt proprium non habentis vires ſufficientes ad plectendum verè, & realiter, atque in-

de-

dependenter ab omni falſitate, quantum par eſt. Qui defectus virium adſcribi Deo nequaquam poteſt.

3. Angeli boni non delectantur rebus vllis corporalibus, nec aliqua eiuſmodi delectatio eſt beatitudo, aut pars beatitudinis eorum. Ergò neq; dæmones cruciantur rebus vllis corporeis, nec aliquis eiuſmodi cruciatus eſt pœna, aut pars pœnę eorum. Antecedens videtur ſupponi communiter, vt certum. Patet conſequentia. Quia impium eſt credere, à Deum plura adhibere ad torquendum, quàm ad beatificandum, nec totidem modis indulgere plenitudini gaudiorum in beatis, quot modis cumulat cruciatus & dolores malorum ſpirituum.

4. Quatuor Doctores Eccleſiæ docent ignem inferni non eſſe materialem, qualis eſt iſte noſter, quo vtimur mortales. De Auguſtino conſtitit iam in primo argumento. Hieronymus ad verba Iſaiæ 66. ibidem indicata: *Vermis, ait, qui non moritur, & ignis, qui non extinguitur, à pleriſque conſcientia accipitur peccatorũ, quæ torqueat in ſupplicijs conſtitutos*. Clarius ſignificat idem, Gregor. lib. 15. moral cap. 17. ad illud: *Deuorabit eum ignis. Ignis*, inquit, *corporeus, vt ignis eſſe valeat, corporeis indiget fomentis; non vero ignis gehennæ, cum incorporeus ſit*. Ambroſius denique lib. 7. in Lucam, ad cap. 14. §. 3. clariſſimè idem pronunciat concludens: *Ergò neque corporaliũ*

ſtri-

ſtridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis eſt corporalis Recedendum autem nequaquam eſt ab vnanimi conſenſu ſanctorum quatuor Doctorum Eccleſiæ.

Art. 1 Reſpondetur. Circa beatitudinem Angelorum, & pœnam dæmonũ vix quidquam opus eſt dicere, præterquam de tortura dæmonum per ignem. Quia cæterum ſunt communia Angelis, & dæmonibus cum hominibus beatis, ac reprobis, de quibus dictum eſt alibi. Quapropter Angelorum beatitudo quoad ſuum conceptum eſſentialem conſiſtit in viſione Dei, iuxta illud Matthæi 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei* Quoad conceptum verò ſecundarium, ac integralem conſtituitur per dilectionem, & fruitionem Dei. Ac demùm quoad cõceptum accidentalem in aggregatione rerum omnium creatarum, quatenus placentinm ipſis. Quæ patent ex quæſt. 3. & 4. de act hum. Pœna dæmonum conſiſtit proportionaliter in priuationibus contrarijs eorum bonorum. Inquam autem eorum bonorum. Quia bona naturæ Angelicæ debita ex exigentia eius determinata non ſunt ablata dæmonibus, dicente Dionyſio cap. 4. de diu. nom. par. 4. naturalia in dæmonibus manſiſſe integra, eaque eſſe ſplendidiſſima. Vndè ſpecies retinent, quas accepere ante peccatum, obiectorum omnium naturalium, eaque co-

cognoſcnnt comprehenſiuè, ſicut prius, nec quoad veritates ſpeculatiuas ordinis naturalis vllam iacturam paſſi ſunt. Sed neque quoad veritates practicas obtenebratione patiuntur maiorem, quam quæ conſequitur neceſſario, ad obſtinationem aſſertam quæſtione præcedenti, in primo peccato, ratione cuius omnia ordinantur ad prauum finem ſuperbiæ, & inuidiæ primitus concepte, omniaque cætera trahentis ad ſcopum ſuum. Solis itaque priuati ſunt in integrum donis ſupernaturalibus, tùm proprijs beatitudinis, quàm nunquam habuerunt, tùm proprijs viæ, quæ amiſerunt per peccatum. Id præterea eſt commune ſpiritui cum hominibus, vt magnitudo bonitatis repertæ in beatitudine bonorum, atque delectationis indè redundantis ſit incomparabiliter maior, quam tota malitia, & vis contriſtandi, quæ ineſt pœnæ reproborum. De qua comparatione dictum eſt ex profeſſo quæſt. 35. de Deo ab a t. 5.

Art 2. His igitur ita conſtitutis ex cõmuni, ac indubitato conſenſu, ſola ſupereſt difficultas de tortura dæmonum per ignem, & de modo, quo is illos cruciat, aut cruciare omninò poteſt; Circa quod quatuor dicenda ſunt. Primum, idque certiſſimum eſt, dæmones aliquo vero, ac reali modo cruciari per ignem verum; ac realem, & qui hac voce communiter ſignificatur in ſenſu proprio. Hæc veri-

tas fundatur in multis & claris teſtimonijs ſcripturæ docentibus, animas damnatorum, de quibus ante reditum ad corpora, eſt eadem ratio, atque de dæmonibus, ipſoſque dæmones puniri igne inferni. Atque hæc teſtimonia accipienda eſſe in ſenſu prprio conſtat, tùm ex eorum contextu, tùm maximè ex communi Sanctorum PP. intelligentia, à qua recedere non licet, iuxta documentum traditũ à Conc. Trid. ſeſſ. 4. monente præterea Auguſtino lib. 3. de doctr. chriſt. cap. 10. & 11. Scripturam eſſe intelligendam in ſenſu proprio, vbicunque non cogit ad metaphoricum, vel aliud patentius eiuſdem ſcripturæ teſtimonium, vel ratio euidens. Quorum neutrum adeſt in præſenti. Teſtimonia illa frequentia ſcripturæ, & prædictus communis ſenſus, ac interpretatio Sanctorum PP. de vero igne inferni, veroque per ipſum cruciatu omnium damnatorum, habentur apud Suarez lib. 8. cap. 12. Verum hic ſyllogiſmus; cuius vtraque præmiſſa apparet certa ex fide, eſt eam in rem efficaciſſimus. Homines damnati reſumptis poſt diem iudicij corporibus punientur igne corporeo, & punitione propriè talibus, vt liquet ex Eccleſ. 9 *vindicta carnis impij ignis, & vermis* Iudith. 16. *Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum.* Et Apocal. 14. 18. 19. 20. & 22. ſępius deſcribitur infernus, vt *ſtagnũ*

ar-

ardens igne & ſulphure, ſimiliaque dicuntur 2. ad Theſſal. 1.2. Petri 3. & in epiſtola Iudæ. Atqui idem ignis eſt communis dæmonibus, eorumque torturæ inſeruit, vt liquet ex illa ſupremi iudicis vltima ſententia Matthei 24. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius*. Et Apocal 20. *Diabolus miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, vbi eſt Beſtia, & Pſeudopropheta cruciabuntur die, ac nocte in ſæcula ſæculorum*, Igitur dæmones non minus, quàm homines verè cruciantur vero igne corporeo; quandoquidem reſpectu corporum nulla eſt neceſſitas, aut etiam probabilis ratio, vt ignis accipiatur metaphoricè; idem vero ignis diſertè aſſeritur cruciator, & punitor dæmonum.

Art. 3. Dicendum rurſus eſt, dæmones non cruciari igne corporeo, vel ipſis recipientibus in ſe per potentiam obedientialem paſſiuam, calorem, & ardorē, aut aliquam aliam qualitatem materialē producibilem naturaliter ab igne, vel eodem igne agente, ac inducente per potentiam obedientialem actiuam, qualitatem aliquam ſpiritualem purè phyſicam, quæ connaturaliter recipiatur in dæmonibus, eoſdemque angat, & cruciet ad eum modum, quo homo angitur, & cruciatur ab igne, igneiſque qualitatibus. Conſtat hoc ex principio vniuerſali tradito quæſt. 21. 22. & 23. de ſacram. vbi o-

ſten-

ſtenſum eſt, nullam cauſam efficere, nullumque ſubiectum recipere poſſe obediētialiter vllos effectus, aut formas, præterquam affines effectibus, & formis ſibi cōnaturalibus, quoad perfectionem, & munus proprium, & peculiare, ſeu differentiale eorumdem connaturalium vnicuique cauſę, & ſubiecto effectuum, & formarũ. Patet nimirum qualitatem purè ſpiritualem, & purè materialem, ac corpoream participes nequaquam eſſe poſſe eiuſmodi affinitatis, ac ſimilitudinis mutuæ. Huiuſmodi argumento probant communiter Theologi cum D. Thoma 1 p. quæſt. 12. art. 2. & oſtenſum à nobis eſt quæſt. 11. de Deo ad 3. non poſſe oculos corporeos eleuari ad videndum Deum, aut aliquod aliud obiectum ſpirituale. Nec apparet quo pacto abſque inconſequentię nota contradicant nihilominus in præſenti nonnulli ex iiſdem Theologis concluſioni poſitę quoad alterutram ipſius partem.

Art. 4. Dicendum tertio eſt, ignē corporeum inferni cruciare phyſicè dæmones modo aliquo vero, ac reali, & non ſolum per puram apprehenſionem contriſtatiuam, quaſi imaginariam, vti contingit contriſtari, & angi vehementer homines præſertim in ſomnis, apprehenſione, ac imaginatione terribilium, quæ re ipſa non ſubſiſtunt. Hoc docet im primis Auguſtinus lib. 21. de Ciuit. cap. 10. ante med.

med. *Cur enim non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi? ſi ſpiritus hominum &c.* Quod ipſum deinde repetit, & exponit iterum, atque iterum ibidem. Similiter Gregorius lib. 9. moral. cap. 38. *Rectè*, inquit, *inferni clauſtra tenebroſa terra nominantur, quia quos puniendos accipiunt, nequaquam pœna tranſitoria, vel phantaſtica imaginatione, ſed vltione ſolida cruciant.* Ratio eſt. Quia impoſſibile eſt, vt dæmones apprehendant, & quaſi imaginentur terribilia, quibus non afficiuntur re ipſa, ac ſi re ipſa afficerentur, vtque ita inani cogitatione angantur, ſicut accidit hominibus, præſertim dormientibus, ſed neceſſariò diſcernunt vera à falſis, nec ſunt deceptionis capaces magis, quàm ſenſus exterior eſt capax, vt fallatur circa proprium ſenſibile, nulla præſertim exiſtente ſimilitudine obiecti, quod re ipſa adeſt, cum eo quod apprehenditur. Quo profecto modo ſe haberet ignis nihil re ipſa nocens phyſicè reſpectu ignis apprehenſi, vt nocentis, & cruciantis.

Ar. 5. Dicendum denique eſt, cruciatum dæmonum per ignem corporeum communem corporibus hominum reproborum fieri per phyſicam ipſorum alligationem ad eundem ignem ſeu per vnioné mutuam vtrorumque alligatiuam in ordine ad locum. Hanc ſententiam docet D. Thomas in hac quæſt. 64. art. 4. præſer-

ſertim ad 3. & in 4. diſt. 44. quæſt. 3. & alij plures Theologi vtrobique. Huc proculdubio pertinet celebris ſententia Gregorij lib. 4. dialog. cap. 29. *Teneri autem ſpiritum per ignem, dicimus, vt in tormento ignis videndo, atque ſentiendo puniatur. Ignē namque eo ipſo patitur, quod videt, & quia cremari ſe aſpicit, crematur.* Teneri enim ſpiritum per ignem, nihil aliud eſſe poteſt, quàm ſpiritum inſeparabiliter igni alligari. Nec ignem ideo pati, quia videt, & ideo cremari, quia aſpicit ſe cremari, aliud eſſe poteſt, quam videre ſe indiſſolubiliter igni addictum eſſe, atque hac ipſa viſione contriſtari, & angi vehementer tanquam vera repręſentatione obiecti ſibi phyſicè diſſoni, ac dedecentis. Qua de cauſa immediatè addit: *Sicque fit, vt res corporea incorpoream exurat, dum ex igne viſibili ardor, ac dolor inuiſibilis trahitur: vt per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur.* Ac demum in fine capitis: *Quiſnam*, inquit, *ſapiens reproborum animas teneri ignibus neget.*

Art. 6. Ratio poſſibilitatis huiuſmodi torturæ eſt. Quia negari in primis minime poteſt, quin dęmones ſint vnibiles corporibus vnione purè aggregatiua in ordine ad locum, quandoquidem dictū eſt cum communi ſupra quæſt. 7. Angelos naturaliter poſſe aſſumere corpora per veram ſui vnionem cum ipſis in ordine ad

locum

locum præciſè. Quid? quod huiuſmodi alligationem videtur apertè docere Apoſtolus Iudas in ſua epiſt. verſ. 6. dum dicit: *Angelos vero, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium in iudicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine* (ignis tenebroſi) *reſeruauit*. Et 2. Petri 2. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit ſed rudentibus inferni* (ignis, & ſulphuris) *detractos in tartarum tradidit cruciãdos*. Dubitari deinde non magis poteſt eiuſmodi alligationem ſpirituum ad ignẽ inferni eſſe valdè moleſtam, atque vehementer contriſtatiuam, atq; cruciatiuam reſpectu ipſorum, idque duplici de cauſa. Quarum altera eſt, quia talis alligatio plurimum contradicit connaturali ſpirituum libertati, & amplæ indifferentiæ, vt abſoluatur ab omni corpore, vtque aſſumat, hæc vel illa corpora. Aſſumat verò quodlibet ex illis dominando eiſdẽ, nullamque patiendo ſeruitutem ineuitabilem, ac inuoluntariam reſpectu eorumdem. Altera cauſa eſt, quia eadem alligatio contradicit non minus, tùm naturali eorum excellentiæ, qua ſunt vſque adeo ſuperiores corporibus, tùm maximè ſuperbiæ eorumdem peccaminoſæ, qua efferuntur ab initio. Cum enim ille ipſe ignis ſit inſtrumentum Dei ad puniendos homines peccatores, & inimicos Dei, adeòque viliſſimos, ſummaque infamia ſummè contemptibiles, nequit non eſſe per

moleſtum ſublimitati ſpirituum, eorumque arrogantiæ, quod inſeparabiliter alligentur eidem igni, nec poſſint diſſolui ab inſtrumento tortore hominum peſſimorum, & quod ijſdem ſint æternum ad futuri cum ſocietate eiuſdem flammæ vtroſque indiſcriminatim tenentis, atque vinculis indiſſolubilibus apprehendentis æternum. Dubitari igitur minimè poteſt, quin dæmones cruciari plurimum, & vehementer torqueri poſſint per eiuſmodi alligationem ad ignem inferni.

☞ Art. 7. Ratio autem, ob quam conueniens fuerit ex natura ipſa rei, vt dæmones torquerentur per talem alligationem ad ignem, deſumitur ex eo quod modus pœnæ ſequitur modum culpæ ſicut pœna ſimpliciter ſequitur culpam ſimpliciter, iuxta illud Apocal. 18. 6. *In poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum. Quantum glorificauit ſe, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentorum & luctum*. Et ſap. 11. 17. *Per quæ peccat quis per hæc & torquetur*. Et Ierem. 50. 20. *Iuxta omnia, quæ fecit, facite illi*. Peccatis autem hominum, & Angelorum eſt communis auerſio à Deo, & contemptus donorum ſpiritualium. Vnde vtriq; ſimiliter priuantur viſione Dei, doniſque omnibus ſupernaturalibus. Sed quoad abuſum rerum corporalium eſt magnum diſcrimen inter ſpiritum humanum, & Angelicum. Quia ſpiritus humanus vnitur corpori vnione per ſe, eoque mediá-

-te delectatur rebus corporalibus, eorumque actione, & paſſione afficitur intrinſecè. At Angelus vnitur corporibus vnione tantùm aggregatiua in ordine ad locum propter eaque non afficitur intrinſecè actione, & paſſione corporalium delectabilium, totuſque abuſus peccaminoſus circa illa conſiſtit in actione, qua illis dominatur in ordine ad fines ſuos prauos. Hac igitur de cauſa opportuit, vt homines paterentur in inferno ab igne, aliiſque agentibus materialibus per qualitates ab eis productas, atque inhærentes phyſicè hominibus, eiſdemque moleſtas, ac nociuas. At reſpectu dæmonum ſolùm oportuit, vt vis eorum dominatiua ſupra corpora, quoad motum localem, de qua dicetur quæſt. 31. conuerteretur in ſeruitutem per alligationem ad corpus præcipuè nociuum reſpectu hominis, ideòque infamatiuum, ſeu dehoneſtatiuum reſpectu demonum. Per hæc igitur patet, dęmones verè torqueri verò igne, & qualis ſit torturæ modus.

Ad 1. Non dubium eſt, quin ignis, ſicut, & alia eiuſmodi ſumantur metaphoricè in ſacris literis. Sed non propterea licet vbique illis accommodare ſenſum metaphoricum. Conſiderandus itaque eſt, pro diſcernendo ſenſu legitimo, contextus, & capacitas materiæ cũ collatione aliorum locorum de eadem re. His autem conſideratis apparuit iam clarè,

 ignem

ignem inferni, eiuſque vim punitiuam, neque reſpectu dæmonum, & multominus reſpectu hominum poſt diem iudicij accipi poſſe in ſenſu metaphorico. Oppoſitum verò apparet de baptiſmo in igne, vt dictum eſt in illo eodem loco de ſacram, Anima verò diuitis nondum erat vnita corpori, propptereaque eſt probabile in verbis illis apud Lucam, cruciatum flammæ qualem vtique experimur in corporibus metaphorice ſignificari, ſed metaphora fundata in vero, & reali cruciatu, qualis nuper expoſita eſt reſpectu dæmonum, eſtque communis animalibus ſeparatis. Quo ſenſu accipienda eſſe puto, quę dicit ea de re Auguſtinus. Qui tamen verum alioquem ignem, verumque eius cruciatum agnoſcit in inferno. vt liquet ex verbis eius indicatis ſupra art. 4. Qui proinde non cenſet eamdem metaphoram extendi poſſe vniuerſaliter ad alia etiam loca ſcripturæ circa ignem inferni, & vim eius cruciatiuam. In verbis apud Iſaiam probabile eſt, & vermé, & ignem promiſcuè vſurpari metaphoricè pro cognitione, & memoria peccati præteriti vehementer afflictiua, & contriſtatiua. Probabile quoque eſt, vtrumque verbum ſumi in ſenſu proprio. Quia nec impoſſibile, nec abſonum eſt, vt veri vermes dentur in inferno ſicut vera flamma, & fodicent aſſiduè corpora damnatorum, dæmones vero, & animas ſepa-

paratas vexent conſequenter per alligationem prout dictum eſt de igne. Probabile denique eſt, vermem metaphoricè, & ignem nihilominus ſumi propriè. Quia ignis eſt magis idoneus ad torturam vniuerſalem, & corporum, & ſpirituum, quàm vermes. Qua de cauſa Auguſtinus lib. 21. cap. 9. tres iſtos ſenſus docet, vt probabiles. Sed nulla iterum conſequentia eſt, eoſdem ſenſus, vel quemlibet eorum promiſcuè accommodandi alijs locis ſcripturæ de igne inferni. In quibus nimirum deeſt ea coniunctio ignis cũ vermibus, ſimulque adſunt alia, quæ ſenſum proprium ſpecialiter exigunt, vt oſtenſum eſt ſupra. Demum comparatio illa inter regnum beatorum, & ignem reproborum nihil conuincit. Quia frequenter ſignificatur ſine metaphora totũ per partem, & ſubſtantialia per accidentalia illis inſeparabiliter adiuncta. Conceditur itaque, nomine ignis, in quem conijciuntur maledicti, comprehendi totam eorum pœnam. Sed negatur propterea, non ſignificarì verum ignem, verumque cruciatum per ipſum; cum hæc veritas, ac proprietas ſit magis idonea ad conſignificandam reliquam etiam pœnam; eamque præcipuam priuationis viſionis Dei, cui priuationi adiacet per ſe hæc alia pœna ſecundaria ignis.

Ad 2. Virum nobilem ſedere ligatum in tranſtris remigum damnatorum ad id

miniſterium propter infamia delicta, grauiſſima proculdubio pœna eſt, & quæ angere, & contriſtare plus etiam poſsit clariſſimum natalitus hominem, tametſi corporaliter non laboret, quam angat, & contriſtet viliſſimum hominem eadem ſeſſio, & alligatio coniuncta cum labore remigandi, aliſque eius miniſterij ærumnis. Nec ea pœna eſt phantaſtica, ſoliuſque apprehenſionis intentionalis, quales ſunt anguſtiæ, & afflictiones ſomniantiũ horridè, ſed vera, & realis. Quidni idẽ proportionaliter dicatur de natura Angelica vſque adeo ſublimi, ac nobili ex ſe, quatenus alligata igni tortori corporum ſceleſtorum? De reliquo verum eſt, quod contendit & efficaciter comprobat obiectio, torturam dæmonum per apprehenſionem intellectualem ignis ſubſiſtere nequaquam poſſe abſque nocumento reali inducto à Deo in dęmones per alligationem ad ignẽ modo ſuperius explicato. Nec valet in contrarium paritas ſomniantium, niſi aliqualiter modificetur. Vti modificanda proculdubio eſt apud Auguſtinum, qui ea vtitur lib. 21. de ciuit. cap. 10. Quia, vltra rationem ponderatam ſuperius art. 4. ſimul cum verbis eiuſdem Auguſtini ſomniantes horribilia, non poſſent propterea angi, & affligi, niſi obiecta imaginationis eſſent verè, & realiter nociua reſpectu ipſius ſomniantis. Ergo nec dæmones angi, ac affligi vllatenus

nus poſſent per vllam apprehenſionem intellectualem ignis, niſi hic eſſet aliquo modo verè, ac ſolidè nociuus reſpectu ipſorum antecedenter ad eandem apprehenſionem.

Ad 3. Nulla vnquam ratio perſuadere mihi poterit, plus aut aliter cruciari dæmones rebus corporalibus, quam Angeli beati delectentur eiſdem, aut hoc genus rerum maiorem habere ac exercere vim nocendi, & contriſtandi inimicos Dei, quàm fouendi, ac delectandi amicos eiuſdem, quamquam D Thomas oppoſitum inſinuare videatur de verit. q. 26. quæ eſt de paſſionibus art. 1 ad med. Dicendum itaque eſt, Angelos beatos delectari ſtatione Cælorum ſibi à Deo diſpoſita, ſicut dæmones cruciantur clauſtris inferni, eiuſque igne, niſi quod hi violenter tenentur alligati, tanquam ſerui nequam, Angeli vero tenentur amicabiliter ſola cognitione voluntatis diuinæ proprijque decoris delectatione decenti. Ratio porrò ob quam magis exprimitur in ſacris litteris, & diligentius exponitur à Theologis tortura dæmonum per ignē, quam delectatio Angelorum ratione auguſtiſſimi habitaculi cæleſtis fundatur, niſi fallor in exceſſu incomparabili bonitatis, & delectabilitatis, quæ conuenit viſioni & dilectioni Dei, ſupra totam malitiam, quæ ineſt priuationi vtriuſque iuxta dicta quæſt. 35. de Deo ab art. 5. Hac nimirum

de cauſa reſpectu Angelorum merito reputatur pro nihilo, atque deſpicitur ſub ſilentio, aut cum exigua expreſſione delectatio perceptibilis ex rebus corporalibus; cùm reſpectu dæmonum non ſit malum vſqueadeo exiguum contriſtatio ex eodem rerum genere. Quia videlicet pœna damni non eſt malum vſqueadeo præeminens huic alij ſecundariæ pœnæ, quæ ipſis irrogatur loco pœnæ ſenſus, atque huc reſpexiſſe videtur D. Thomas loco indicato. Cæterum hoc eſt bonis, & malis proportionaliter commune, vt neutri amittant, ſeu dimittant eiuſmodi, aut delectationem, aut cruciatum, dum mittuntur in hunc aerem noſtrum, extra, & cælum, & infernum. Quia retinent nihilominus notitiam certam, ac euidenté de habitaculo vniuſcuiuſque proprio, in quod redituri ſunt, æternumque manſuri finitis cuſtodia, & tentatione hominum.

Ad 4. De Auguſtino, & Gregorio, quatenus docentibus veritatem ignis inferni, & torturæ per ipſum: conſtat ex verbis eorum indicatis ſupra art. 4. & 5. Quod in contrarium objjcitur ex Auguſtino, non eſt vniuerſale, ſed pertinet ad illum ſolum locum ſcripturæ de diuite, & Abrahamo, de quo iam ſatis dictum eſt. Quod non tollit, quominus in alijs locis intelligat, prout intelligit, verum ignem, verumque eius cruciatum, propter diuer-

ſas

ſas diuerſorum locorum circumſtantias, & ſcopos. Hieronymus ſimiliter loquitur, idque narratiue potius, quam aſſertiue, de ſolis illis locis, in quibus vermis & ignis ſimul efferuntur, circa quæ loca permiſſus nuper eſt ſenſus metaphoricus abſque præiudicio veritatis. De reliquo idem Hieronymus epiſt. 59. inter errores cauendos in libris Origenis, notat, *quod ignis inferni non punit in ſupplicijs, ſed in conſcientia peccatorum*, eumdemque errorem refellit ad Epheſ. 5. ad illud *Nemo vos ſeducat.* Gregorius, cum vt dictum eſt clarè alibi doceat, verum corporeum ignem cruciare in inferno, non aliter dicit in verbis obiectionis eumdem ignem incorporeum, niſi quia eſt pura flamma, nec alitur corpulenta ſtrue continui pabuli, & combuſtibiliũ, vt clarius docet lib. 4. dial. cap. 31. fine. Ambroſij denique expoſitio legitima, eademque conſona præſentis dogmatis veritati eſt valde difficilis, ſed eſt facilis excuſatio, quatenus tempore Ambroſij non erat vſqueadeo ſtabilita vniuerſali omnium conſenſu veritas hæc de vero igne inferni,

QVAESTIO XXX.

Vtrùm detur aliquis ordo inter dæmones?

VIDETVR nullus eſſe 1. Quia, infernus dicitur *terra miſeria, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat* ex lib. Iob.10.22. Ergo in dæmonibus, quorum locus eſt infernus nulla inuenitur ratio ordinis.

2. Vbi deeſt ordo mediorum ad finē, neceſſario deficit ordo mediorum inter ſe; ſicut admiſſo errore in primis principijs neceſſario inducitur error in concluſionibus. Deeſt autem in dæmonibus ordo ad finem ipſorum, qui eſt Deus. Ergo deficit neceſſario in eiſdem ordo etiam mediorū inter ſe, qui ſolus ſupereſt præter ordinem ad finem, ac proinde deficit in illis omnis ordo.

3. In Angelis bonis nulla eſt deordinatio. Ergo in malis nullus eſt ordo. Patet conſequentia, quia ſicut in bonis Angelis datur plenitudo bonitatis, cui contradicit deordinatio quælibet; ita in dæmonibus datur plenitudo malitiæ, cui ſimiliter contradicit ordo, cum is pertineat ad rationem boni, vt docetur ſuſe ab

ab Auguſtino cap.3.& 4. de nat. boni.

Art. 1. Reſpondetur, Vbicumque ſunt naturæ inuicé inæquales, neceſſario reperitur aliquis ordo prioris, & poſterioris in perfectione & dignitate. Rurſus omnis multitudo ordinata ad vnũ aliquem finem, neceſſe eſt, vt ordinetur ſub aliquo vno per quem ad eumdem finem dirigatur, ſiquidem multipliciter intendi, ac obtineri ille poſſit. Demum neceſſe eſt, vt ſuperſit aliquis ordo ſuperioritatis, & inferioritatis inter eos, qui ab initio immobili voluntate conſenſerunt in obſequium alicuius ex eadem multitudine tanquam principis ſui. In dæmonibus autem datur inęqualitas naturarum. Datur etiam intentio vniformis quoad rebellionem aduerſus Deum, & quoad incitãdos homines ad malum. Data denique fuit initio conſenſio reliquorum demonũ in Luciferum, tanquam in Principem ſuũ, ſiquidem is exemplo ſuo & ſuaſione reliquos induxit in peccatum, volentes vtiq; ab eo ſuperari, atque ita ſeruitutem eius ſubire. Hac igitur triplici ratione datur inter dæmones realis aliquis ordo conſtitutus ſub vna natura eſſentialiter pręeminente, ſub vno Principe agnito, & conſtituto per vnanimem cæterorum conſenſum, & ſub vno fine intento itidem vnanimiter.

Art. 2. Et quidem dari vnum aliquem principem dęmoniorum conſtat certò ex

Ioannis 14. & 16. vbi Chriſtus Dominus eum appellat, certè non apparet, quem alium appellare, aut voluerit, aut potuerit, *Principem huiuſmodi*. Idem ſupponitur cap. 12. dum dicitur. *Nunc iudiciũ eſt mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*. Circa quæ Chryſoſt. homil. 42. in Matth. *Si diabolus*, arguit, *Princeps eſt, cæteri dæmones illi ſubijciuntur*. Idem ſupponitur in teſtimonio Matthæi producto in quæſtione præcedenti de igne parato *diabolo, & Angelis eius*. Clarius apparet ordo dæmonum ſub vno Principe & ad vnum aliquem finem, ex argumento quo Chriſtus Dominus conuincit Iudæos Lucæ 11. *Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur. Et ſi Satanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius?* Vbi clarè ſupponitur dari, ac ſtare, ſeu conſeruari, minimeque deſolatum eſſe regnum Satanæ. Eſt autem de ratione regni, vt ſubſit alicui ſuo Principi peculiari, vtque ad vnum aliquem finem peculiarem ordinetur, ex doctrina Philoſophi, aliorumque communi. Iſte igitur duplex ordo certiſſime reperitur inter dæmones.

Art. 3. Primus vero ordo fundatus in naturarum intrinſeca inæqualitate conſtituitur ex communi Theologorum conſenſu cum fundamento in Apoſtolo. Cõmunis namque ſenſus Theologorum eſt cum D. Thoma quæſt. 109. præſertim a. 1. ex Dionyſ. cap. 4. de diu. nom. part. 4.

ali-

aliquos ex omnibus hierarchijs, & ordinibus Angelorum deſcriptis ſupra quæſt. 4. lapſos in peccatum, & reprobatos eſſe, ac proinde adeſſe in dæmonibus poſt peccatum eam omnem coordinationis ſeriem, qua omnes Angeli erant ex ſua natura ordinati ante peccatum, quatenus naturalia manſerunt integra poſt peccatum. Fundamentum in Apoſtolo apparet ex epiſt. ad Epheſ. 6. & 1. ad Corinth. 15. vbi varia nomina ordinum Angelicorum dæmonibus attribuuntur. Non autẽ illis attribuuntur omnia eiuſmodi nomina tametſi ex omnibus ordinibus deciderint. Quia ratione lapſus, amiſſæ charitatis, & admiſſæ rebellionis in Deum amiſerunt eas omnes appellationes, quæ ſanctitatem, ardorem charitatis, innocentiam, & obſequioſam ad Deum adhæſionem ſignificant, vel conſignificant.

Art 4. Vnde nec Hierarchia, quæ ſacrum Principatum ſignificat, nec nomen, aut Seraphinorum, quod ducitur à charitate, aut Thronorum, quod Deum ſuperinſidentem conſignificat, aut dominationum, quod denotat preeminentem excellentiam, aut Archangelorum quod à rebus magnis nunciandis deductum eſt, dæmonibus attribuuntur. Attribuuntur vero nomina Cherubinorum, Pincipatuũ, Poteſtatum, & Angelorum, & aliquatenus etiam virtutum, quę à ſcientia, alijſq; qualitatibus minimè incompoſſibilibus cũ

pec-

peccato, originem ducunt, & fundantur in perfectione propria naturæ Angelicę, quam dictum eſt quoad naturalia manſiſſe integra poſt peccatum. Tot igitur modis ratio ordinis in dæmonibus reperitur, atque componitur cum abſoluta eorum deordinatione reſpectu ſui vltimi finis, cui deberent eſſe perfectè ſubordinati, vt eſſent ordinati ordine abſolutè & ſimpliciter tali.

Hinc patet reſponſio ad 1. Quia veriſſimum eſt ſimpliciter nullum eſſe ordinem in inferno, tametſi detur multiplex ordo ſecundum quid talis.

Ad 2. Patet etiam indidem reſponſio. Quia licet deſit in dęmonibus ordo mediorum re ipſa vltimum reſpectu ipſorum quantum eſt ex voluntate, & intentione eorum. Manet nihilominus ordo ad eumdem finem inſtitutus per diuinam voluntatem, quæ ordinat naturas dæmonum, eorumque mala ad gloriam ſuam; nec nó ordo ad finem prauum inſtitutus voluntate ipſorum dæmonum intendentium, per antiquam ſuperbiam, ac inuidiam exaltationem ſuam, & perditionem, & depreſſionem, ac ſeruitutem hominum reſpctu ſui. Nempe vt perueniant ad hunc finem, ſubſunt voluntati, & directioni Luciferi, tanquam Principis ſui, & pręeminentia naturæ, & agnitione inferiorum ab initio voluntaria.

Ad 3. Nullum eſt purum malum, ſed om-

omne malum ſundatur in aliquo bono, cui nocet, nec malum eſſe poſſet, niſi adiungeretur bono, vt arguit ſæpe Auguſtinus aduerſus Manichæos, maxime vero lib. 1. de eorum moribus ab initio. Bono autẽ non repugnat ſimiliter, vt ſit purum, atque impermiſtum penitus malo, ideſt nulla carens ratione bonitatis ſibi debitæ. Neceſſe igitur eſt, vt ſit in dęmonibus aliqua ratio ordinis, cũ ordo ſit de conceptu bonitatis, vt rectè docet Auguſtinus in illo loco. Neceſſe vero ſimiliter eſt, nullam dari vlla ex parte deordinationem in Angelis beatis, vt pote habentibus in ſe perfectam omnis bonitatis ſibi debitæ plenitudinem.

QVAE-

QVAESTIO XXXI.

Vtrùm Angeli, & dæmones poſſint aliquid agere circa corpora præter motum localem ipſorum?

VIDENTVR plures alios effectus producere poſſe immediatè, & non poſſe efficere motum localem corporum, 1. Quia perfectiones, quæ ſunt diſperſæ in naturis inferioribus reperiuntur collectæ in ſuperioribus. Ergo in natura Angelica, quæ præeminet omnibus rerum corporalium ſpeciebus reperiuntur vnitæ omnes earum perfectiones. Menſura autem actiuitatis vnicuiq; conuenientis eſt perfectio præcontenta in in ipſo. Ergo Angeli poſſunt per ſe ipſos immediatè producere omnes ſpecies rerum corporalium. Confirmatur. Quia corpora cæleſtia influunt immediatè in omnia ſublunaria, propter præeminentiam perfectionis reſpectu ipſorum. Præeminent autem Angeli multò magis ſublunaribus, ipſiſque cæleſtibus corporibus.

2. Homo hominem, & ignis ignem producere poteſt immediatè, & ſic de-

ſimi.

ſimilibus. Ergo & Angelus Angelum producere ſimiliter poteſt, Ergo, & quemlibet effectum corporalem. Patet prima conſequentia. Quia eſt eadem vtrobique proportionis ratio. Patet item ſecunda conſequentia. Quia eſt à maiori ad minus affirmatiuè.

3. Qui poteſt inducere in aliquod ſubiectum maiorem perfectionem, poteſt etiam inducere in idem ſubiectum perfectionem minorem intra idem genus. At Angelus poteſt inducere in res corporales motum localem, vt ſupponitur in titulo quæſtionis. Motus autem localis eſt perfectiſſimus inter omnes motus corporeos, vt oſtendit Philoſophus 8. phyſic. tex. 57. Ergo poteſt idem in eaſdem inducere motus etiam alterationis, & generationis, qui ſunt minus perfecti, quam motus localis, ſimulque pertinent ad idẽ cum ipſo genus motus corporalis.

4. Vnumquodque corpus habet in ſe principium ſufficiens motus localis ſibi congruentis, eſtque ad eumdem motum intrinſecè determinatum ex ſua natura, & ex diuina ordinatione. Ergo perperã, & abſque vlla, aut neceſſitate, aut vtilitate daretur in Angelis virtus motiua corporum in ordine ad locum. Confirmatur ex axiomate Philoſophi dicentis, naturam ſemper facere, ac ordinare vnum ad vnum. Confirmatur rurſus, quia Angelis negatur virtus ad motum alteratio-

nis,

nis, & generationis circa corpora ex eo, quod corporibus inſit ex ſe virtus ſufficiẽs ad vtrumque iſtum motum. Ineſt autem eiſdem eadem ſufficientia ad motum localem. Eadem igitur ratione neganda eſt Angelis vniuerſaliter omnis virtus actiua circa corpora.

5. Si Angelis obediret materia corporalis ad nutum quoad motum localem, poſſent Angeli præſertim mali inuertere totum ordinem vniuerſi, collocando grauia in loco ſuperiori, & leuia in inferiori loco, & ſic de ſimilibus. Hoc autem eſt inconueniens, vt miniſtri Dei poſſint inuertere ordinem inſtitutum ab ipſo Deo in hoc mundo corporeo, Ergo Angelis non ineſt virtus motiua corporum in ordine ad locum. Augetur difficultas, quia omnis motus localis corporum eſt eiſdem vel vtilis, ac neceſſarius, vel inutilis, ac nociuus. Neutrum autem motum localẽ poſſunt inducere Angeli. Non quidem vtilem, ac neceſſarium. Quia ad talem motum habent ſufficientiam, & determinationem à Deo. Alioquin Deus feciſſet res corporeas imperfectas, & inſufficientes in genere ſuo Quod repugnat bonitati eius coniunctæ cum potentia infinita. præterea repugnat teſtimonio illi, quod habetur 1. Geneſ. *Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona.* Talia ſcilicet, quibus nihil deeſſet eorum, quæ pertinent ad perfectionem vniuſcuiuſque rei

rei intra ſuum genus. Sed neque inutilé, & nociuum motum localem poſſunt inducere Angeli: Tum quia nullam virtuté actiuam inſtituit Deus purè nociuam, aut ordinatam ad inutilia: tum quia motus localis nociuus, ac inutilis accidere non poteſt abſque impeditione motus vtilis, ac neceſſarij, atque hic à nulla virtute creata impediri poteſt, cum ſit à Deo, cuius potentia eſt infinita, ideoque impedibilis.

6. Angeli non poſſunt facere miracula virtute ſua naturali. Ergo non poſſunt mouere cauſas corporales localiter atque ita applicare actiua paſſiuis quælibet quibuslibet pro libito. Antecedens docetur ab omnibus, tanquam indubitatum cum D. Thoma quæſt. 110 art. 4. Probatur cõſequentia. Quia applicando actiua paſſiuis, vt libet, poſſent repente conuertere hominem in ſtatuam ſalis, in lignum, ignem &c. Poſſent itidem facere, vt corpus mortuum reuiuiſceret. Ac demum, vt alia plura ſimilia prætermittantur, poſſent facere, vt virgo in ſenſu compoſito virginitatis conciperet, & pareret. Quia cauſę naturales corporeæ applicatæ cuilibet materiæ vbicunque, & qualiter, & qualitercunque exiſtenti ſufficiunt, vt inducant in ipſam diſpoſitiones omnes requiſitas ad prædictos effectus, atque ideò ad inducendos etiam eoſdem effectus. Eiuſmodi autem opera cenſentur ab omnibus

nibus miraculoſa. Ergò virtus ſufficiens ad motum localem, & applicationem cauſarum corporalium quandolibet, & quomodolibet, eo ipſo eſſet ſufficiens ad opera miraculoſa.

Art. 1. Reſpondetur. Nulla natura creata eſt perfecta in omni genere, quod eſt proprium Dei, ſed habet omnem ſuã perfectionem reſtrictam ad determinatũ genus, & gradum perfectionis, & quo magis præeminet in vno genere, eo magis recedit ab oppoſito genere, minuſque participat de perfectione eius propria. Natura autem intellectualis eſt in diuerſo genere, atque natura corporalis, vt per ſe patet & expoſitum eſt ſupra in quæſt. 1. Vndè quo maioris eſt intellectualitatis eo minus participat de perfectione propria, naturæ corporalis. Natura autem Angelica eſt in ſupremo gradu intellectualitatis infra Deum, vt dictum eſt in eadem quæſtione. Quapropter participat minus de perfectione rerum corporalium propria, & peculiari, quam anima rationalis, quæ eſt infima in genere ſubſtantiæ intelligentis. Cum igitur vnumquodque agat, habeatque virtutem agẽdi circa aliqua, ſecundùm quod præhabet, & præcontinet in ſe perfectionem eorum propriam, eiſdemque communicabile; concluditur, Angelis conuenire minimam actiuitatem, & virtutem effectiuam reſpectu corporum, ac proinde

nec

nec alterare illa poſſe, neque gignere, aut corrumpere immediate per ſe ipſos. Nempè vtrumque iſtud genus cauſalitatis eſt maximè proprium cauſarum corporalium, & pertinet ad maximam perfectionem ipſarum in genere ſuo. Tam ergo repugnat, vt Angeli qualitates, & formas corporales producant immediatè virtute ſua propria, quàm repugnant, vt cauſæ purè corporales producant aliquid in eſſe intelligibili, ſeu ſecundùm eſſe intentionale quoad rationes præſertim vniuerſales virtute ipſarum propria. Sed ſicut cauſæ corporales ſolum producere poſſunt alia à ſe ſecundùm eſſe phyſicum; ita Angeli ſolum efficere poſſunt alia à ſe ſecundum eſſe intentionale, ac intelligibile, nec vterque agendi, ac producendi modus reperiri ſimultaneè poteſt perfectè in vlla natura creata, propter diuerſitatem genericam alterius ab altero modo agendi, ac producendi. Hac ratione concluditur præterea, Angelos non poſſe producere phyſicè ſe inuicem quoad entitatem, & ſubſtantiam, ſicut res corporales poſſunt ſe inuicem producere vnaquæque intra limites ſuos propria, & peculiari ſua perfectione determinatos. Quia videlicet vnuſquiſque Angelus poteſt alios Angelos perfectè intelligere, atque adeò efficere ſecundùm eſſe intentionale ac intelligibile. Qui modus producendi, ac præcontinendi differt toto genere à

mo,

modo producendi, & præcontinendi phyſicè, & ſecundùm entitatem, ac proinde eſt incompoſſibilis in eadem natura creata, ac limitata cum prædicto modo producendi, & pręcontinendi phyſicè. Verum quoad illam repugnantiam, vt Angelus ab Angelo producatur phyſicè, ſicut homo ab homine, & ignis ab igne, adeſt alia inſuper ratio vniuerſalis deſumpta, ex improducibilitate phyſica Angeli pręterquam per creationem. Quæ actio repugnat ex genere ſuo omni, & cuilibet virtuti creatæ, atque finitę, vt traditur communiter cum Diuo Thoma, & alibi oſtendetur.

Art. 2. Verùm redeundo ad comparationem virtutis actiuæ Angelorum cum rebus corporalibus, ſupereſt vnumquoddam genus actionis & motus, commune ſpiritibus, & corporibus, nempè quoad motum localem, qui eſt illis omnibus promiſcuę communis. Ratio huius conuenientię fundatur in celebri principio Dionyſij, quod *ſupremum infimi attingit infimũ ſupremi*, & quod, vt dicit cap. 7. de diu. nom. *diuina ſapientia coniungit fines primorũ principijs ſecundorum*. Inter actiones autẽ rerum corporalium prima, ac ſuprema eſt, qua motus localis peragitur, eademque eſt infima inter actiones ſpirituum. Eſt quidem hæc actio prima, & ſuprema inter actiones corporum, vt poſitum eſt ex Philoſopho in tertia ratione dubitandi

di. Quia motus ſecundùm locum non tendit ad aliquid intrinſecum mobili, ſed ſolum, ad aliquid extrinſecum, ſcilicet ad locum, ideoque minimam omnium paſſibilitatem, quam patet pertinere ad perfectionem, præſupponit in ipſo mobili. Eſt igitur hic motus nobiliſſimus inter omnes corporales relatè ad ſuum principium, & ſubiectum, licet relatè ad terminum immediatè productum vix, aut ne vix quidem ſit vllius perfectionis. Idē verò motus, & actio tenet infimum locum inter actiones, & motus proprios naturæ intellectualis. Cui videlicet ſoli præterea ſuperſunt motus intelligendi, & volendi, quos patet eſſe perfectiores, multoque magis perficere ſubiectum ſuũ, quatenus per motũ localẽ appropinquat ad ea, quorũ propinquitas placet, & remouetur ab alijs; per intellectionẽ verò trahit ad ſe alia à ſe diſtincta, quoad veritatẽ ipſorũ & remouet, quoad falſitatẽ; & ſimiliter per actũ voluntatis vnitur perfectè cum obiectis placentibus, & remouetur à diſplicentibus. Conueniunt igitur ſpecialiter res corporales, & ſpirituales quoad motum localem. Eoque tanquam confinio inuicem nectuntur. Sed conueniunt cum exceſſu aliquo peculiari perfectionis ex parte ſpirituum. Quia ipſum vbi ſpirituale, propter ſuam indiuiſibilitatem, maioremque amplitudinem, eſt perfectius, quàm vbi corporale, quod eſt diui·

viſibile, magiſque reſtrictum, vt patet ex dictis ſupra quæſt.9. Cum ergò, intra vnumquodque genus, minus perfectum continueatur in magis perfecto, & non è conuerſo; concluditur in Angelica virtute loco motiua contineri virtualiter, & eminenter motum localem corporum; licet è conuerſo motus localis Angelorum non præcontineatur in vlla corporali virtute loco motiua. Poſſunt igitur Angeli mouere corpora localiter; tametſi à nullo corpore moueri ipſi localiter poſſint.

Art. 3. Doctrina illa, tùm quatenus negans Angelis omnem actiuitatem phyſicam, præter loco motiuam, tùm quatenus affirmans virtutem loco motiuam corporum, eſt communiter accepta cum D. Thoma quæſt.110. & lib.3. contra gentes cap.103. Vtramque partem proſequitur pluribus Suarez lib.4. cap. 25. 26. 27. Et quidem cum in ſacris litteris, aut patribus nullum appareat fundamentum ad attribuendam Angelis virtutem ſufficientem ad gignendum, vel alterandum, vel ad producendas vllas alias qualitates purè phyſicas; virtus tamen loco motiua corporum manifeſtè eiſdem tribuitur Geneſ.18.& 19. vbi apparent Angeli Abrahę & Loth.circumferentes ſecum corpora quocumque liberet. Idem apparet ex Matth.4.vbi permittente Deo Chriſtus transfertur à dæmone ex deſerto ad pinnaculum templi, & deinde ad montis cul-

men

men. Et ſimiliter Lucæ 8. porci præcipi. tantur à dæmonibus in ſtagnum. In Philoſophia iam diu auctore Philoſopho lib. 12. metaph. à tex. 44. eadem in Angelis agnita eſt virtus motiua corporum, quandoquidem illis attributa fuit virtus motiua cælorum eorumque aſſidua circulatio. Nonnulli hic obiter inquirunt, an etiam ſe ipſos inuicem mouere localiter, atque detinere in loco determinato poſſint Angeli? Communis autem, & vera reſponſio eſt ſuperiores ab inferioribus violenter moueri, aut detineri minimè poſſe; è conuerſo poſſe. Patet prior pars. Quia virtus inferior præualere aduerſus ſuperiorem minimè poteſt Poſterior pars patet ratione contraria, adde non eſſe contra conceptum ſpiritus, vt ab extrinſeco moueatur localiter. Quod patet à poſteriori. Quia animæ damnatorum rapiuntur à dæmonibus ad inferos. Probabile etiam valde eſt, dæmones alligari igni inferni per Angelos bonos; ſiquidem hi ſunt ſpiritus vniuerſaliter adminiſtratorij reſpectu diuinæ prouidentiæ. Dici conſequenter poteſt, Angelum ſuperiorem moueri poſſe localiter motu violento, quantum eſt ex natura rei, per plures Angelos inferiores collatis viribus ad id nitentes. Quæri præterea ſolet, an motus localis corporum, aut ſpirituum cauſetur ab Angelis impreſſo impetu, & producta qualitate impetuoſa; an vero

vniendo ſe mobili, vnione aggregatiua in ordine ad locum, ac deindè mouendo ſe directè, indirectè verò,& conſequenter corpus, vel ſpiritum ſic vnitum? Probabilius autem videtur vtrumque mouendi modum virtuti Angelicæ eſſe poſſibilem, & æquè accommodatum, maximè, quia anima rationalis vtroque modo poteſt mouere corpora, vt experientia patet.

Art. 4. Vt vt autem hæc habeant,quæ ſunt leuiora, illud eſt diligenti dignum obſeruatione, non qualemcumque indiſcriminatim motum, aut detentionem corporum eſſe virtuti Angelicę vniuerſaliter poſſibilem. Pro cuius rei intelligétia diſtinguendus eſt triplex corporum motus, & quies, ſeu detentio. Alij namque ſunt motus locales, quos copora mobilia exigunt omninò determinatè. Alij quos exigunt tantum indeterminatè, & vagè. Rurſus motus determinatè exacti alij ſunt neceſſarij ad conſeruationem vniuerſi, vt circulatio corporum cæleſtium, fluxus,& refluxus maris, lapſus fluuiorum, impetus ventorum. & ſimiles. Alij verò requiruntur ad conſeruationem aut commodum, & conuenientem ſtatum ſingulorum corporum,vt motus cordis in animalibus, grauium quorumlibet, & leuium ſurſum, ac deorſum. Idem dicitur ſuo modo de quiete, ſeu detentione. Certum porrò apud me eſt non

con-

conuenire Angelis virtutem naturalem ſufficientem ad impediendos motus corporibus connaturales, neceſſarios ad conſeruationem, & rectam vniuerſi coordinationem vniuerſalem, vel ad inducendos motus eidē conſeruationi, & coordinationi contrarios. Primo quia Angeli ex ſua natura ſunt quædam pars vniuerſi. Eſt autem de ratione partis, vt ſit propter totum, ideoque vt illius conſeruationi, & conuenienti coordinationi inſeruiat, nec fieri poteſt, vt à Deo accipiat virtutem ad oppoſitum. Deinde quia Deus, qui eſt auctor vniuerſi, vult conſeruationem eius, eſtque neceſſe, vt eam velit ſimul cum conuenienti omnium partium coordinatione, ex ſuppoſitione, quod voluerit condere idem vniuerſum, vt dictū eſt quæſt. 28. de Deo. Nulla autem cauſa ſecunda præualere poteſt aduerſus voluntatem, & potentiam Dei, nec fieri poteſt, vt ipſe contulerit alicui cauſæ ſecundæ virtutem ſufficientem ad inuertédum finé efficaciter præintentum ab ipſo, atque præfixum cauſis omnibus ſecundis ea ipſa voluntate, qua eas totumque condidit vniuerſum.

Art. 5. Certum ſimiliter videtur, motus indeterminatè tantùm, ac diſiunctiuè exactos à corporibus ſubeſſe ex natura rei virtuti loco motiuæ Angelorū. Quod in iſta aſſertione ſupponitur de exigentia indeterminata, ac diſiunctiua corporum

reſpectu aliquorum ſuorum motuum expoſitum, & comprobatum eſt quæſt. 29. de Deo art.4. Suppoſita autem eiuſmodi indeterminatione ex parte corporum, dubitari non poteſt, quin ad Angelos pertineat determinatio eorum, atque electio, & exequutio vnius motus potius quam alterius inuicem incompoſſibilium, & tamen compoſſibilium æqualiter cum exigentia, & innato appetitu cuiuſque corporis. Tum quia corpus, cum ſit expers libertatis, & electionis, non ſufficit ad determinationem ſui, quatenus eſt indifferens ad aliqua duo, ideoque neceſſe eſt, vt interueniat agens liberum, & electiuum, cuius proprium eſt determinare principium indifferens per electionem vnius partis. Tum quia quoad eiuſmodi, vt minimum euentus verificatur doctrina Dionyſii communiter recepta, quod *inferiora adminiſtrentur à Deo per ſuperiora*, & quod dicit Auguſtinus lib.3. de Trinit. c.4 *omnia corpora regi per ſpiritum vitæ rationalem*; & quod maiori cum vniuerſalitate tradit Gregor. lib.4. dialog. cap.4. *in hoc mundo viſibili nihil, niſi per creaturam inuiſibilem, diſponi poſſe*.

Art. 6. Quoad motus locales corporum non neceſſarios ad conſeruationem, & conuenientem coordinationẽ vniuerſi, & eius partium, & tamen exactos determinate ab vnoquoque corpore, non occurrit mihi vniuerſalis regula iuſta, & omnino

nino determinata, quantum Angeli naturali ſua virtute, beatis, & reprobis communi, poſſint, vel non poſſint. Hoc generaliter ſtatui poteſt, Angelos tam bonos, quam malos poſſe nonnunquam mouere, ac detinere corpora aduerſus exigentiam ipſorum determinatam; frequenter tamen, & ordinarie præſtare idipſum nequaquam poſſe. Prior pars patet. Primùm ex locis ſcripturę indicatis nuper art. 3. Apparet enim in illis, Angelos mouiſſe ſæpius corpora motu locali, qui contradiceret exigentię eorum determinatæ, dùm ſursùm attollerent grauia, non ſubnixa vlli alij corpori, per quod aſcendere poſſent, & ſimiliter de alijs eiuſmodi motibus. Deinde magi ope dæmonum inducunt plures eiuſmodi motus, vt perhibent Auguſtinus, & alij plures apud Delrium lib. 2. diſquiſit. mag. à q. 13. Idem patet à fortiori ex poteſtate hominis mouente grauia ſurſum, & leuia deorſum violenter; & ſimili violentia ſæpe eadem detinente. Poſterior pars ſuadetur ex eo, quod ſi natura Angelica haberet ſufficientiam, ad frequentem, & ordinariam eiuſmodi violentiam, quoad motum, & detentionem corporum, poſſet domos frequenter diruere repente, fruges comburere, homines, & alia animalia tenere ligata, quibus ſimilia quiuis facilè conſiderare facile poteſt quamplura. Qualia tamen nec accidunt frequen-

ter, nec naturaliter fieri poteſt. vt accidant frequenter, & ordinariè. Alioquin fieri naturaliter poſſet, vt genus humanũ citò totum deſtrueretur, vtque dum conſeruaretur miſerrimè haberet, dum nihil certi naturali neceſſitate eſſet circa corporum circumiacentium conſiſtentiã, & motum, atque quietem in ſuis vnicuique locis congruentem. Quapropter hęc pars coincidit reipſa cum principio tradito ſuperius art.4.

Art. 7. Vnde ſatius eſt credere Angelicæ naturæ, ac poteſtati non ſubeſſe motum, & quietem debitum determinatè vnicuique corpori, niſi ex peculiari permiſſione diuina. Quia nimirùm corpora habent eatenus determinationem ex voluntate, & influxu Dei, cui nulla cauſa creata contradicere poteſt abſque peculiari eius permiſſione. Hac de cauſa Philoſophus lib. 12. metaph. à textu 44. ſolos cęlorum motus Angelicæ poteſtati commiſit, atque permiſit. Ratus nimirùm, vt obſeruat D. Thomas quæſt. 10. art. 1. ad 2. de reliquo corpora hæc inferiora ſolos habere motus naturali neceſſitate omninò determinata ſubſequentes ad naturam ipſorum, prout coniunctam cum motibus cælorum, nec immediatè ſubeſſe diuinę prouidentiæ, eiuſque, & diſpoſitioni, & permiſſioni quoad motũ, & detentionem minimè prouenientem ex ijſdem illis principijs, quinimò contra-

tradicentem ſæpè exigentiæ eorumdem determinatę. Quod eſt falſum. Indidem apparet ratio, ob quam in lib. Iob deſcribitur dęmon ſolicitus de ſpeciali Dei permiſſione, atque ab eadem dependens, vt poſſet tentare Sanctum Virum demolitione domus, internecione filiorum, plagis in corpore proprio, alijſque inductis effectibus, qui induci minimè poterant, niſi motis, ac detentis violenter pluribus corporibus aduerſus exigentiam eorum determinatam. In eodem principio fundatur communis, & nota omnibus doctrina Sanctorum FP, dæmones nihil poſſe aduerſus nos abſque peculiari permiſſione Dei. Quod ſimiliter dicendum eſt de commiſſione ſpeciali Dei reſpectu bonorum Angelorum, vt nobis proſint. Vtrumque enim verificatur quoad ea, quæ exorbitant ab exigentia determinata cauſarum corporalium reſpectu ſui motus, & quietis, nec non aliorum effectuum dependentium ab eodem motu, & quiete. Nempe quoad ea, quæ dependent à motu, & quiete indeterminatè tantùm, & vagè debitis, ineſt Angelis tam bonis, quã malis ordinaria poteſtas ex ſua ipſa natura, ad eum vtique modum, quo cauſis rationis, & electionis expertibus ineſt facultas, & ſufficientia quoad motum, & quietem, quos exigunt determinatè, & quoad cæteros effectos, qui indè proueniunt, atque dependent. Talis igitur, &

[illegible]

[illegible]

[illegible] co[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] modo, [illegible]
[illegible]
[illegible], Vide [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] corporal[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] nec [illegible]
[illegible]
[illegible] & tamen [illegible]
[illegible], corpora[illegible]
[illegible]
[illegible] intellect[illegible]
[illegible], & acti[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] ad [illegible]
[illegible]
[illegible] motu localis
[illegible]
[illegible]
[illegible] intellectualis[illegible]
[illegible]. At [illegible]
[illegible] & rationis expertes
[illegible] impedi[illegible]
[illegible] aliorum
[illegible], & si quid fi[illegible]

pro-

proſunt, id ipſum rurſus ordinatur ad actionem tranſeuntem ſimiliter vtilem, aut delectabilem alijs. Præterea quilibet Angelus cognoſcit cóprehenſiue Angelum ſibi æqualem, ſicut homo generat hominem, & ignis ignem; atque pro cognitione comprehenſiua requiritur æqualitas, aut ſuperioritas comprehendentis reſpectu comprehenſi vt dictum eſt q.14. de Deo ab art.3. ſicut requiritur ad generationem. Vnde Angelus exercet æquiualenter tantundem virtutis actiuæ atque agentia purè phyſica. Paritas confirmationis nihil euincit, cum corpora cæleſtia, & ſublunaria contineantur ſub eodem genere; intellectualia verò pertineant ad diuerſum ab illis genus. Ex quo etiam, & ex eodem art.1. patet etiam ad 2. Nec enim valet argumentum à maiori ad minus, quando fit tranſitus à genere in genus.

Ad 3. Notatum iam eſt ſupra motum localem eſſe perfectiſſimum omnium relatè ad ſuum ſubiectum, non tamen relatè ad ſuum terminum. Quapropter nó præſupponit in ſuo principio, præcisè quatenus eſt principium ipſius, actiuitatem magnæ perfectionis, ſed potius perfectionis omnium minimæ. Qua de cauſa nulla eſt res vſque adeo vilis, & exiguæ entitatis, ac perfectionis, vt non habeat virtutem ſufficientem ad motum localem & quietem ſibi congruentem, ſeu quam

tanta eſt virtus, & actiuitas naturæ Angelicæ circa res corporales.

Ad 1. Reperiuntur quidem collecta in ſuperioribus, quæ ſunt diſperſa in inferioribus. Non tamen ſunt eodem modo vtrobique, ſed diuerſo longe modo, quatenùs natura ipſa ſuperior eſt lóge diuerſa ab inferioribus naturis. Vnde naturæ intellectuales intellectualiter tantùm, ac intentionaliter ea omnia efficere poſſunt, quæ tantùm phyſicè à cauſis corporalibus effici poſſunt, vt conuincit diſcurſus ſuperius propoſitus art. 1. In cuius vlteriorem confirmationem hoc preterea addi poteſt; ſubſtantias intellectuales creatas exiſtere gratia ſui; & tamen indigere perfectione ſibi ſuperaddita, corporales verò, qua corporales ſunt exiſtere gratia alterius. Vndè ſubſtantiæ intellectuales non ſunt præditæ virtute, & actiuitate ſufficienti ad actiones tranſeuntes, quæ tendunt ad perfectionem aliorum ab operante, ſed ſolùm ad actiones immanentes, quibus perficitur ipſum operans, cum ſola exceptione motus localis, per quem ab intellectualibus diriguntur, ad vtilitatem, ſeu delectationem ſui, vel hominis, qui & ipſe eſt intellectualis, quę intellectualia non ſunt. At ſubſtantiæ, quæ ſunt intellectus, & rationis expertes, omnem ferè ſuam actiuitatem impendũt in vtilitatem, aut delectationem aliorum, per actiones tranſeuntes; & ſi quid ſibi

pro-

proſunt, id ipſum rurſus ordinatur ad actionem tranſeuntem ſimiliter vtilem, aut delectabilem alijs. Præterea quilibet Angelus cognoſcit cõprehenſiue Angelum ſibi æqualem, ſicut homo generat hominem, & ignis ignem; atque pro cognitione comprehenſiua requiritur æqualitas, aut ſuperioritas comprehendentis reſpectu comprehenſi vt dictum eſt q. 14. de Deo ab art. 2. ſicut requiritur ad generationem. Vnde Angelus exercet æquiualenter tantundem virtutis actiuę atque agentia purè phyſica. Paritas confirmationis nihil euincit, cum corpora cæleſtia, & ſublunaria contineantur ſub eodem genere; intellectualia verò pertineant ad diuerſum ab illis genus. Ex quo etiam, & ex eodem art. 1. patet etiam ad 2. Nec enim valet argumentum à maiori ad minus, quando fit tranſitus à genere in genus.

Ad 3. Notatum iam eſt ſupra motum localem eſſe perfectiſſimum omnium relatè ad ſuum ſubiectum, non tamen relatè ad ſuum terminum. Quapropter nõ præſupponit in ſuo principio, præcisè quatenus eſt principium ipſius, actiuitatem magnæ perfectionis, ſed potius perfectionis omnium minimæ. Qua de cauſa nulla eſt res vſque adeo vilis, & exiguæ entitatis, ac perfectionis, vt non habeat virtutem ſufficientem ad motum localem & quietem ſibi congruentem, ſeu quam

habere ſua intereſt, Non igitur tenet illatio obiectionis.

Ad 4. Argumentum illud cum duplici ſua confirmatione diruitur diſtinctione ſuperius expoſita motus localis determinatè, & indeterminatè debiti vnicuique corpori. Conceditur enim corporibus virtus ſufficiens ad motum debitum ſibi determinatè, non verò ad determinationem eius, qui debetur tantùm indeterminatè. Quæ diſtinctio non habet locũ in motu alterationis, & generationis cõſiderato ſecundùm ſe immediatè, vt per ſe patet.

Ad 5. Inconuenienti illi præcluſus eſt aditus diſtinctione, & principijs, ac limitationibus traditis, art. 4, 6. & 7. Quod ibi ſubiungitur de ſufficientia corporum ad motus locales vtiles, ac neceſſarios, & de inſufficientia naturæ intellectualis ad nociuos, ac inutiles, ideò non conuincit. Quia fieri non potuit, vt res corporales propter magnitudinem ſuę imperfectionis, ſufficerent ſibi ad omnia, quibus indigent, ideòque opus fuit, vt eis ſubueniretur aliquatenus directione naturæ intellectualis. Rurſùs ſapienter permittitur exiguum malum ex intentione maioris boni. Hoc autem modo comparantur motus locales nociui, inducibiles per dæmones, cum bonis, quæ inde colligit vberius diuina prouidentia per victoriam, & coronationem iuſtorum, malo-

ſorumque punitionem.

Ad 6. Poſſunt quidem Angeli, tum boni, tum mali inducere effectus vere mirabiles reſpectu noſtri, ac proinde miraculoſos ſecundum quid & impropriè, applicando actiua paſſiuis per motum eorum localem à Deo ipſis ſpecialiter commiſſum, vt dictum eſt, ideoque nobis ignotum, qui ſolum cognoſcere valemus res corporales, & ea, cum quibus eædem determinatè connectuntur. Nempe admiratio oritur ex cognitione effectus cũ ignorantia cauſæ, aut modi, quo ipſa applicata, & operata eſt. Cęterum vera miracula fieri ab illis non poſſe conſtat ex dictis ſupra. Dictum namque eſt Angelicæ naturæ ſolam ineſſe ex ſe virtutẽ ad motum localem corporum, nec effectus vllos alios ſenſibiles inducere poſſe, niſi mediante actiuitate cauſarum corporalium, quas patet nõ ſufficere ad effectum vllum miraculoſum propriè talem. Quia miraculum proprie tale eſt effectus ſuperans virtutem, & ſufficientiam omnium cauſarum ſecundarum, & prætergrediẽs totum ordinem naturæ, & contradicens diſpoſitioni præexiſtenti in eadem natura adæquatè ſumpta, vt dicit D. Thomas quæſt. 110. art. 4. & alibi ſæpe. Repugnat autem in terminis vt aliquid eiuſmodi efficiant cauſæ corporales, vtcunque applicatæ, atque inuicem contemperatæ ſiue

ab Angelo, ſiue à dæmone. Quod tamen non tollit quominus Angeli miniſterialiter cooperentur Deo ad opus miraculoſum, præſtando aliquid propria virtute loco motiua corporum, quod confert ad effectum miraculosè producendũ à Deo, vt ſi colligant in vnum partes, & pulueres corporum humanorum ad effectum reſurrectionis vniuerſalis. Quod eſt exemplum D. Tho. ibidem. Quod ad exempla obiectionis attinet, dictum iam eſt, non ineſſe Angelis virtutem naturalem ad motus locales corporum, per quos inuertatur ordo naturæ vniuerſalis, niſi ex voluntate ſpeciali Dei, & cooperante ſpecialiter virtute eius. Quapropter, vt homo conuertatur repente in ſtatuam ſalis ſuperat virturem naturalem Angeli, Quia id repugnat ordini totius naturę ſecundum ſe conſideratæ. Multo vero manifeſtius repugnat eidem, vt corpus mortuum reuiuiſcat, Et ſimiliter illi repugnat, vt Virgo concipiat, & pariat in ſenſu cõpoſito virginitatis. Falſum nimirum eſt cauſas naturales, quocunque demum artificio applicentur ſufficere ad eiuſmodi effectus in talibus circumſtantiis. Nullum namque applicationis modus efficere poteſt, vt inducant in ſubiectum effectum, aut diſpoſitionem, reſpectu cuius idem ſubiectum non eſt in potentia proxima, ſed eſt cum forma, & diſpoſitione contra-

tra-

traria, eaque inauferibili ex ſua natura, vt accidit in euentibus propoſitis. De quo alibi fuſius, & ex profeſſo.

QVAESTIO XXXII.

Vtrùm omnes homines ſubſint cuſtodiæ Angelorum, & impugnationi dæmonum?

VIDENTVR non omnes vtrique ſubeſſe. 1. Quia Apoſtolus ad Hebr. 1. reſtringit cuſtodiam Angelorum ad ſolos electos, ſeu prædeſtinatos dicens: *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis* Ergo reprobi, ac præſertim infideles, quibus nec initium ſalutis ineſt, non habent Angelum cuſtodem.

2. Cuſtodiente Deo, qui eſt ſufficientiſſimus cuſtos, fruſtra additur alia cuſtodia Deus autem immediatè per ſe ipſum cuſtodit omnes homines, vt colligitur ex illo Pſalmi 12.04. *Non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael*. Et ſemel, atque iterum ibidem verſ 5. & 7. *Dominus cuſtodit te*. Superfluit igitur cuſtodia Angelorum reſpectu hominum. Confirmatur, quia *niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem. fruſtra*

ſtra vigilat, qui cuſtodit eam; vt dicitur in pſalmo 126. Aequè autem fruſtrà cuſtodit alius, ſi Deus cuſtodiat. Quia ſicut nemo alius eſt ſufficiens ad cuſtodiam non cuſtodiente Deo, ita Deus ſolus ſufficit ad cuſtodiam abſque aliquo alio. Ergo in omni euentu eſt vel inſufficiens, vel ſuperflua cuſtodia Angelorum.

3. Quod pereat is, qui commiſſus eſt alicuius cuſtodiæ, attribuitur negligentiæ, aut impotentiæ cuſtodis. Si igitur omnes homines eſſent commiſſi cuſtodiæ Angelorum, plures Angeli eſſent, vel negligentes in miniſterio ſibi commiſſo, aut impotentes ad illud perfectè præſtandum, quandoquidè plures homines quotidie labuntur in peccata, ac demum pereunt. Neutrum autem illorum duorum dici poteſt de Angelis, cum ſint, & impeccabiles, ac moraliter omnino perfecti, & virtute ſupernaturali præditi, aduerſus quam nulla cauſa naturalis præualere poteſt. Ergo homines non ſunt à Deo commiſſi cuſtodię Angelorum.

4. Chriſtus Dominus non habuit Angelum cuſtodem, ac proinde non omnes homines illum habent. Immo inde concluditur nulli homini dari Angelum cuſtodem. Quia ad Philipp. 2. dicitur de Chriſto Domino, quod eſt *in ſimilitudinē hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Non autem eſſet illis ſimilis, ſi reliquos foueret, ipſum non foueret cuſtodia

An-

Angelorum. Aſſumptum patet, quia Chriſtus ſapientia, poteſtate, & dignitate eſt ſuperior Angelis. Inconueniens autem eſt ſuperiorem quoad ea omnia cuſtodiri ab inferiore.

5. Homo neque ante vſum rationis indiget cuſtodia Angeli, neque poſt vſum rationis. Non ante quia pro tunc nullum ipſi imminet periculum peccandi, & ab errandi à via ſalutis,quod oporteat præcauere. Nec poſtea,quia homo iam compos rationis ſufficit per ſeipſum ad directionem ſuarum operationum. Qua de cauſa dicitur relictus à Deo in manu conſilij ſui. Ergo homo nunquam ſubeſt cuſtoſtiæ Angeli, cum nunquam neceſſe ſit, vt illi ſubſit.

6. Nulla cauſa adhibetur ad aliquem effectum, præterquam ex ordinatione diuina, Nequit autem eſſe ex ordinatione diuina, vt homines ſubijciantur impugnationi dæmonum. Tum quia foret cõtra æquitatem, & iuſtitiam prouidentiæ diuinę, vt miles infirmus, & ignarus, qualis eſt homo, conijceretur in pugnam cum forti, & aſtuto, qualis eſt dæmon. Tum quia intentio Dei eſt,omnes homines ſaluos facere, cui intẽtioni contradiceret, vt adhiberet impugnatores ſalutis, præſertim tam acres, ac ſunt dæmones. Tum denique quia *Deus*, vt dicitur Iacobi 1. *neminem tentat;* tentaret verò ſi dæmones deſtinaret ad tentandum. Non

igi-

igitur ſubſunt homines impugnationi dæmonum.

7. Primus homo ante peccatum, nec cuſtodię Angeli ſuberat, nec impugnationi dæmonis. Non cuſtodiæ quia cum eſſet dono integritatis optimè præmunitus, cuſtodia aliena nequaquam indigebat. Non impugnationi, quia quod nos permittamur impugnationi dæmonum, eſt in pœnam peccati, quod nondum dabatur durante ſtatu innocentiæ. Ergo non omnis homo, certè non ſemper ſubeſt cuſtodiæ Angelorum, & impugnationi dæmonum.

8. Si homines inducerentur à dæmone in peccata, haberent excuſationem peccati, quatenus à fortiori ſuperarentur. Non autem habent, vnde ſufficienter excuſentur. Ergo non inducuntur à dæmone in peccata.

Art. 1. Reſpondetur. Certum in primis eſt ex fide, homines eſſe à Deo commiſſos cuſtodię Angelorum, atque Angelos eſſe ab eo deputatos, vt habeant aſſiduam curam hominum in ordine ad vitam æternam, vt liquet ex pſal. 90. *Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* I*n manibus portabunt te ne vnquam offendas ad lapidē pedem tuum*: Ex illo Chriſti Domini Matth. 18. *Videte ne contemnatis vnum ex puſillis iſtis. Dico enim vobis Quia Angeli eorum in Cęlis ſemper vident faciem Patris mei.* Ac demū

ex

ex illo ad Hebr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Hinc Dionyſ. cap. 9. de cæleſt. hierarch. dicit infimam hierarchiam Angelorum *præeſſe humanis ordinibus, vt ferantur ad Deum, & conuertantur*, eodemque ſenſu accipiunt vnanimiter prædicta teſtimonia reliqui Sancti PP. apud Suarez lib. 6. cap. 17. Conueniētia, & neceſſitas huiuſmodi cuſtodiæ fundatur in natura hominis, & Angeli, atque in perfectione diuinæ prouidentiæ. Nempe homo ex ſua natura ſubeſt multis periculis interius, & exterius, atque ad ea præcauenda eſt inſufficiēs propter defectum intelligentiæ, & conſtantiæ prouenientem ex dependentia à ſenſu, & ex vnione ad corpus, quod corrumpitur, proptereaque aggrauat animam. Angeli vero ſunt, & perſpicaciſſimi quoad intellectum, & inuariabiles quoad affectum firmatum in bono. Perfectio autem diuinæ prouidentiæ hoc vniuerſaliter diſponit, vt defectibilia, minúſque ſufficientia moueat, ac dirigat per ea, quæ ſunt indefectibilia, maioriſque ſufficientiæ, vt apparet præcipuè in dependentia ſublunarium ab influxu cælorum, quibus extremis, ſeruata proportione æquiparantur homines, & Angeli. Imo & in vnoquoque noſtrum idem ordo prouidētiæ apparet manifeſtè, quatenus principiorum inuariabilium ſtabili intelligentia di-

dinem, et circa concluſiones opinatiuas multipliciter variabiles, ac defectibiles & ſimiliter inamiſſibili, ſemperque vniformi amore finis noſtri, ſeu felicitatis ac beatitudinis perducimur ad electiones illi congruentes. Apparet igitur ex natura ipſa rei, homines debuiſſe committi directioni, & cuſtodiæ Angelorum.

Art. 2. Certum rurſus eſt, ita vt ſine magna temeritate, ac fortè etiam ſine errore negari non poſſit, ſingulos Angelos ſingulis hominibus eſſe deputatos ad cuſtodiam ab inſtanti natiuitatis. Sic ſemper tenuit, ac tenet communis fidelium omnium conſenſus cum magno fundamẽto in ſcriptura, pro vt à Sanctis PP. communiter intelligitur, quorum teſtimonia in hunc ſcopum circa textus ſacros nuper indicatos producit luculenter Suarez loco indicato. Hieronymus inter alios ad illud Matt. 18. *Angeli eorum &c. Magna eſt,* inquit *dignitatis animarum, vt vnaquæque habeat, ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui, Angelum delegatum.* Ratio huius rei apud D. Thomam quæſtione illa 113. art. 2. eſt Quia vnuſquiſque homo, propter incorruptibilitatem animæ ſemper manentis, æquiualet toti vni ſpeciei, vel generi rerum adæquatę corruptibilium, quarum ſingulæ deficiunt totaliter, ſolaque ſpecies manet perpetuò, ſicut quilibet homo quoad animam. Vnicuique autem ſpeciei, ſeu generi rerum corruptibilium

præeſt

præeſt peculiaris Angelus ſpeciali virtute præditus, accommodata naturæ cuiuſq; ſpeciei, ſeu generis, vt tradit Greg.hom. 34. in Euang.ante med. Ergo vnicuique etiam homini præeſt ſpecialiter vnus Angelus. Alia aliorum auctorum communis ratio eſt. Quia homo indiget aſſidua aſſiſtentia, & directione, ac cuſtodia Angeli, vt apparet ex fundamento præcedentis concluſionis. Nequit autem vnus Angelus aſſiduè adeſſe duobus hominibus. Quilibet namque duo homines ſunt ex ſua natura indifferentes, vt inuicem diſtent quantalibet diſtantia. Dictū autem eſt ſupra, Angelum non poſſe adeſſe ſimultaneè extremis ſpatij quantumlibet diſtantibus inter ſe. Quod vero vni homini non deputentur ordinariè plures Angeli cuſtodes, ſuadetur ex ſufficientia vnius Angeli pro vno homine. Quod ex perfectione Angelicæ naturæ in ſuperioribus expoſita credibile facile eſt.

Art.3. Hoc tamen non tollit, quin plures Angeli aliquando concurrant pro rerum opportunitate ad cuſtodiendum, ac dirigendum vnum hominem, vt colligitur ex 19. Geneſ. vbi dicitur plures Angelos eduxiſſe Loth, de Sodoma, *& poſuiſſe illum extra Ciuitatem, & dixiſſe illi, ſalua animam tuam.* Et Dan 10. Gabriel Angelus teſtatur, Michaelem tuliſſe ſibi ſuppetias pro populo Dei. Imo eſt valde probabile, & communiter receptum, hominibus

bus, quorum ſinguli ſunt intenti ad operationes, multitudine, vel magnitudine ſua, ęquiualentes operationibus plurium aliorum hominum, deputari duos, vel plures Angelos cuſtodes, pro qualitate, & amplitudine æquiualentiæ. Communis ſimiliter Theologorum ſenſus eſt cum D. Thoma loco indicato, ſingulis prouincijs alijſque communitatibus in vnum aliqué finem ſpecialiter ordinatis deputari ſingulos præterea Angelos ad cuſtodiam, & directionem earum. Quia hoc poſtulare omnino videtur iuſta, & ęqua proportionis ratio. Quod autem huiuſmodi cuſtodia Angelorum incipiat à natiuitate hominum, & non prius, nec poſterius, ex eo ſuadetur. Quia fętus ante natiuitatem cenſetur, & eſt quodammodo vnum cum matre, ideoque pro tunc curam eius habet Angelus matris cuſtos. At poſt natiuitatem incipit ſeorſim indigere cuſtodia pro vita corporali, & pro ijs cauſarum, ac rerum diſpoſitionibus, quæ temporis decurſu, directione ex tunc incipiente, poſſunt euadere ſpecialiter vtiles multiplici ex capite ad ſalutem animæ, & præſertim ad baptiſmum, & ad bonam educationem; atque indigentiam huiuſmodi adiutorij, & cuſtodiæ defert ſecum puer in quantalibet diſtantia á matre, ad quam ex tunc incipit eſſe indifferens.

Art. 4. Inter Angelos ſingulis ſeorſim hominibus quaſi monaſticè viuentibus de-

de-

deputatos, & eos, qui præſunt communitatibus præſertim valde magnis, necnon ſingulis hominibus ad vniuerſalem aliquam amplioris curę prouidentiam deſtinatis, hoc diſcrimen communiter ſtatuitur cum D. Thoma ibidem art. 3, quòd priores ſunt ex infimo Angelorum ordine, poſteriores vero ex aliquo ordine ſuperiori, atque eò altiori, quo maioris operæ, ac dignioris erit communitas, ſeu perſona communis, & publica. Quia Angelorum infimi ordinis proprium eſt minima nuntiare, vt dicit Gregorius loco nuper indicato. Hoc autem eſt minimum in Angelico miniſterio, vt vnius hominis ſibi vni attendentis cura habeatur. Cæteri vero Angeli, quia quo perſectiores ſunt eo habent vniuerſaliores ſpecies, & inde cognitiones, atque determinationes voluntatis, ſunt cum eadem proportione idonei ad cuſtodiam vniuerſaliorem, latiuſque patentem. Deus autem omnia diſponit prout congruit naturis rerum ſingularum. Pertinet vero ſpecialiter ad prouidentiam Dei miſſio, & deputatio Angelorum in cuſtodiam, & directionem hominum. Solet circa hæc inquiri, an idem Angelus ſucceſſiuè deputetur ad cuſtodiam plurium hominū. Affirmat Mag. diſt. 11. idque putat neceſſario eſſe dicendum. Quia numerus hominum à principio ad finem vſque mundi excedit numerum Angelorum, ſolius ſaltem infimi or-

dini

dinis, Negat Iuſtinus quæſt. 30. lib. vlt. Quia Angelus ſemel cuſtos vnius hominis nunquam eum deſerit ad finem vſque mundi, quando abſoluetur eius cura, corpore reunito animæ, atque perducto ad ſtatum deinceps penitus inuariabilem. Sed res hæc apud me eſt omnino incerta. Quia eſt valde probabile, numerum Angelorum eſſe maiorem etiam intra vnumquemque ordinem ſeorſim, quam numerum omnium hominum ſiue ſimul, ſiue ſucceſſiuè exiſtentium, vt indicatum eſt ſupra quæſt. 4. Nec eſt minus probabile, quod innuit D. Thomas in dicta quæſtione 113. art. 4. cuſtodiam Angeli circa vnumquemque hominem abſolui cum vita hominis. Nempe cuſtodia Angeli ſolum eſt homini opportuna, ac neceſſaria dum eſt in via; ideſt dum ſubeſt periculis quoad animam, & corpus. *Sicut enim hominibus per viam non tutam ambulantibus dantur cuſtodes: Ita & cuilibet homini quamdiu viator eſt, cuſtos Angelus deputatur: Quãdo autem iam ad terminum viæ peruenerit iã non habet Angelum cuſtodem.* Igitur neque probatio Magiſtri eſt efficax, neque Iuſtini.

Art. 5. Totidem ferè dicenda ſunt circa impugnationem dæmonum. Certum namque in primis eſt ex fide, homines impugnari à dæmonibus, atque incitari ad malum vt liquet ex illo Ioann. 8. *Ille homicida erat ab initio* 2. ad Corinth. 11. *Timeo*

meo ne ſicut ſerpens reduxit &c. Maximè verò id liquet ex 1. Petri 5. *Aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret,* Et Apocal. 12. *Ille draco magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & ſatanas, qui ſeducit vniuerſum orbem.* Hinc dæmon antonomaſtice dicitur tentator Matt. 4. *Accedens ad eum tētator*, & 1. ad Theſſ 3. dicitur, is, qui tentat. Ac demum ad Epheſ. 6. monemur ab Apoſtolo de colluctatione difficili, & ardua aduerſus, ſpiritus, & poteſtates tenebrarum harum. Communis ſanctorum PP. intelligentia, & conſenſus in hunc ſcopum habetur apud Suarez lib 8. c. 18. Rationem reddit Auguſt. lib. contra Priſcill. ad Oroſ. cap. 5. *Non ob aliud, niſi ſtimulis inuidentiæ agitatus noſtra itinera, quibus in Deum tendimus perturbare conatur.* Nempe eadem ratione, qua dæmon per ſuperbiam aduerſus Deum rebellauit, aduerſus homines etiam inſurgit per inuidiā, vt impediat, quantum poteſt, profectum eorum ſpiritualem, & conſequutionem æternæ glorię. Eadem præterea electione ſuperbiæ ſimilitudinem Dei affectat, obſeruans in tentandis, ac impugnandis hominibus eum ordinem, quem dictum eſt obſeruari à prouidentia Dei in cuſtodiam hominum per Angelos bonos. Quapropter Lucifer deſignat, iuxta communé ſententiam ſingulos dæmones impugnandis ſingulis hominibus, eoſque infimi ordinis

dinis pro infimo hominum genere ſuperiorum vero ordinum pro communitatibus, necnon pro ſingulis perſonis munerum, & operum vniuerſalium, & inſuper duos, vel etiam plures pro qualitate hominum, vel negotiorum ſingulorum, idque permanenter, vel ad tempus, prout opportunum fuerit. Ad eum vtique modum, quo dictum eſt de Angelis, eorúque cuſtodia, quam æmulentur pro viribus dæmones, vt obſeruant communiter Theologi cum D.Thoma q.114.art.1.

Art. 6. Prædicta, tam cuſtodia Angelorum, quam impugnatio dæmonum per agitur, & interius, & exterius. Exterius quidem, procuratis vnicuique homini, aut multitudini hominum occurſibus obiectorum ſenſibilium, quæ pollent vi ad pertrahendum animum humanum, vel occaſionaliter, vel cauſaliter, vt operentur honeſtè, & mereantur vitam æternam, vel vt peccent, & incidant in damnationem. Interius vero diſponendo phantaſiam, prout expedit ad alterutrum ſcopum ex duobus modò propoſitis. Vtrumque autem fit ordinariè, & ex natura ipſa rei per determinationé noxiam, vel propitiam motuum localium, ad quos res corporales, nempe exteriora ſenſibilia, & ſpiritus vitales, quibus inſunt ſpecies eorum obiectorum, alijque humores corporis humani, ſunt indifferentes, atque indeterminati ex ſe præcisè. Ex quo deter-

terminationum genere, atque inflexione eiuſmodi motuum, preſertim intra ipſum hominem quot, & quam magna commoda, & incommoda temporalia, & ſpiritualia prouenire poſſint, expoſitum eſt quæſt. 9. de gratia. Extraordinaria auté, nec admodum frequenter, & cum dependentia ab ſpeciali permiſſione, aut commiſſione Dei peragitur eadem cuſtodia, & impugnatio, motis, & applicatis obiectis externis, eorumque phantaſmatibus, contra etiam, quam ferat eorum exigentia determinata. Quæ duo documenta, & ratio vniuerſalitatis quoad primum, & reſtrictionis quoad ſecundum perſpici ab vnoquoque facile poſſunt ex dictis in quæſtione precedenti ab art. 5. Apparet igitur ex his, homines ſubeſſe, & quatenus ſubſint cuſtodiæ Angelorum, & impugnationi demonum.

Ad 1. Quæcunque Deus exequitur in hoc vniuerſo, vel immediate per ſe ipſum vel mediate per cauſas ſecundas, omnia fiunt principaliter propter electos, iiſdem que ſolis efficaciter proſunt ſimpliciter, & abſolutè. Ceterum id non tollit, quo minus quoad ſufficientiam, & voluntate antecedenti intendat Deus ſalutem, & gloriam peccatorum etiam ac infidelium, & reproborum. De quo alibi dictum eſt ex profeſſo: Eodem igitur modo cuſtodia Angelorum inſtituta à Deo eſt, atque

prouida hominibus principaliter propter electos, atque in ipſis ſolis conſequitur adæquatè effectum, ad quem ordinatur. Secundario verò, & minus principaliter per eamdem cuſtodiam ſubuenitur infidelibus etiam, & reprobis, atque peccatoribus omnis generis, vt minora, & pauciora peccata committant, & minorem mereantur pœnam, vtque Deus ſatisfaciat muneri gubernatoris vniuerſalis, atque inclinationi infinitæ ſuæ bonitatis, dũ nemini negat in vllo genere, quantum ad ipſum pertinet, quæ ſufficiunt ad ſalutem.

Ad 2. Deus nihil præſtat mediantibus cauſis ſecundis, vel in ordine ad mores, vel in ordine ad effectus purè phyſicos, propter indigentiam eius adiutorij, ſed vt ſeruetur in rebus ordo congruens naturis ipſarum, vtque oſtendat diuitias infinitæ ſuæ poteſtatis, dum alia facit participare vires, & efficaciam ipſius. Vnde non tollitur neceſſitas cuſtodiæ Angelorũ ex eo, quod Deus immediatè cuſtodiat. Quia Deus immediatè per ſe ipſum cuſtodit, non quantum ſimpliciter, & abſolute poteſt, ſed quantum ſufficit cooperante ſimul cuſtodia Angelorum. Itaque eſt quidem fruſtra omnis alia cuſtodia, non cuſtodiente Deo. Quia cauſæ ſecundæ non poſſunt operari, niſi quatenus iuuantur à cauſa prima, atque ab eius coo-

pera-

peratione eſſentialiter dependent in omni ſuo opere. At non propterea operantur fruſtra, ſiue cuſtodiendo, ſiue aliter, tametſi Deus immediatè operetur circa eundem effectum. Quia Deus attemperat ſuum concurſum, quantum ſatis eſt, vt euadant vtiles conatus, & operationes honeſtæ cauſarum ſecundarum in quouis genere.

Ad 3 Angelus non cuſtodit hominem auferendo illi libertatem arbitrij, ſed dirigendo ſolum, & confortando. Vnde fieri poteſt, vt homo peccet, ac pereat, tametſi cuſtodia Angeli ſit diligens, & fortis. Quia videlicet fieri nihilominus poteſt, vt homo abutatur libertate ſua, & nolit obſequi directioni Angeli deinde Angelus cuſtos non ex negligentia, aut impotentia ſinit hominem ſibi commiſſum tentari à dæmone, ſed ex obſequio, & ſubordinatione ad Deum, qui patitur, vt dicit Apoſtolus, nos tentari, præcisè quantum ſufficit, vt poſſit fieri, & fiat, ſi per nos non ſteterit, cum tentatione prouentus.

Ad 4. Efficaciter ibi probatur, Chriſtum Dominum non debuiſſe habere, ac proinde nec habuiſſe Angelum cuſtodem Verum illa ipſa probatio reddit rationē diſcriminis, ob quam cęteri homines debuerint habere, & habeant Angelum cuſtodem. Quia ſicut Chriſtus Dominus

erat ſapientia, & poteſtate ſuperior Angelis, ita cæteri homines ſunt inferiores iiſdem. Quapropter Chriſtus Dominus habuit Angelos miniſtrantes ſibi, & obſequentes ad nutum, vt apparet ex Matth. 4 cap. cæteri vero habent eoſdem cuſtodes, & præſides. Iam ſimilitudo Chriſti cum cæteris hominibus intelligitur tantum quoad perfectiones eorum, necnon quoad imperfectiones neceſſarias ad opus redemptionis, vt dictum eſt qu. 31. de incarnat. Non autem erat eiuſmodi defectus inferioritas ſcientiæ, & poteſtatis reſpectu Angelorum, atque ideo neque indigentia cuſtodiæ eorum.

Ad 5. Patet ex dictis ſupra art. 1. initio, & art. 3. fine. Ad 6. Impugnatio hominum non eſt ex poſitiua ordinatione diuina, ſed ex ſola permiſſione, cum ea impugnatio ſit peccaminoſa: Permiſſio autem eiuſmodi impugnationis, ac tentationis nullo ex capite eſt iniqua. Primum enim maiori aſtutiæ, & fortitudini dæmonis contraponitur maior ſimiliter fortitudo, & ſapientia Angeli cuſtodis, & inſuper auxilium gratiæ Dei. Qua de cauſa Eliſæus dicebat. 4. Reg, 6, *Noli timere; Plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis*. Deinde vult quidem Deus omnes homines ſaluos facere, ſed ſimul vult, vt ſit militia vita hominis ſuper terram, vtque perueniat ad gloriam, tanquam ad co-

ro-

ronam victoriæ, vtque coronetur poſt legitimum certamen. Quem in finem oportuit, vt inter alias pugnas adeſſet colluctatio aduerſus Principes, & Poteſtates aeris huius ſubminiſtratis in hunc finem ſubſidijs modo indicatis. Denium tentatio eſt duplex, alia ordinata ad experimentum, & ad manifeſtationem alicuius adhuc latentis in tentato, & huiuſmodi tentationis Deus eſt auctor, tentatque frequenter eo modo. Alia eſt tentatio ordinata ad ruinam tentati, eumque inducens ad peccandum ex intentione tentãtis. Atque huiuſmodi tentationis Deus non eſt auctor, ſicut nec aliorum peccatorum, ſed ſolum permittit illam, ſicut & iſta. De hac autem poſteriori ſola tentatione eſt ſermo apud Iacobum. Cuius veritati nequaquam contradicit ordinatio dæmonum ad nos tentandos tentatione intentiua, ac inductiua peccati; Quia ea ordinatio non eſt ex præcepto, aut ſuaſione diuina, ſed ex obſtinata ipſorum dæmmonum nequitia, Deo permiſſiuè tantum ſe habente, vt dictum eſt.

Ad 7. In ſtatu innocentiæ non fuit, aut neceſſaria cuſtodia Angeli. aut poſſibilis impugnatio dæmonum interior. Quia dono integritatis erat homo firmiſſimè præmunitus, ita vt nullis inferioris partis aſſultibus pateret ex ſe ipſo. Exterius tamen ſuberat periculo peccandi, cui, &

ſuccubuit tentante dæmone. Propterea eatenus indiguit Angelo cuſtode, eumque habuit.

Ad 8. *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum*, vt dicitur 1. ad Corinth. 10. 13. Propterea nullam habent homines ſufficientem ſuorum peccatorum excuſationem, tametſi ſubſint impugnationi dęmonum fortiorũ ſe. Quia illam temperat prout oportet, eidemque contraponit Angelum cuſtodẽ & gratiam ſuam. Præterea plura peccata committunt homines non tentante actualiter dæmone, vt docet D. Thoma q. 114. art. 3. alijque cõmuniter apud *Suarez* lib. 8. cap. 19. licet omnia, ratione peccati Adæ, ſaltem indirectè, & mediatè, ex eius tentatione proueniãt. Quia ſæpe contingit nullam eſſe indifferentiã ad motus locales nociuos, & proficuos in rebus corporalibus, aut circumſtantibus hominem exterius, aut exiſtentibus intra ipſum hominem. Motus autem determinatè exactos, raro permittuntur dæmones, vt inuertant, pro vt poſitum eſt in quæſtione præcedenti. Eademque de cauſa non omnia opera noſtra bona procedunt ſingillatim, ac immediatè ex Angeli cuſtodis operatione, ac diſpoſitione præuia. Non tamen hinc verificatur vel Angelum, vel dęmonem vnquam

totaliter dimittere hominem, cui ſunt delegati. Quia ſemper nihilominus obſeruant, ſi quæ occurrat opportunitas explendi ſui miniſterij, & ſemper retinent intentionem vtendi data opportunitate. Sed interim in occaſionibus prædictis maniſeſtius carent homines excuſatione ſuorum peccatorum ex dæmonis impugnatione.

QVAESTIO XXXIII.

Vtrùm Angeli ſuperiores influant in inferiores, ſicut infimi influunt in homines?

VIDENTVR eodem prorſus modo vtrinque inter ſe comparari 1. Quia modus, & ordo cauſalitatis ſequitur modum, & ordinem entitatis, atque prius fundatur in poſteriori. Homo autem ita comparatur cum infimo Angelo, vt ſit paulo minoris perfectionis quàm ſit idem Angelus, vt apparet ex teſtimonijs Pſalmiſtæ, & Apoſtoli ponderatis quæſt. 1. art. 5. circa iſtam comparationem. At infimus Angelus eſt perfectionis ſimiliter paulo minoris, quam ſit Angelus ſibi immediatè ſuperior, & ſic de cæteris vſque ad ſupremum. Ergo idem cauſalitatis, & influentiæ genus exercet vnuſquiſq; Angelus ſuperior reſpectu Angeli inferioris ſibi immediatè, quod exercet infimus Angelus, ſeu infimus Angelorum ordo exercet reſpectu hominis.

2. Inferiora reducuntur in Deum à ſuperioribus per media, vt dicit Dionyſ. cap 3. Eccl. Hierarch. Ergo Angelus ſupremus ita reducit hominem in Deum per

An-

Angelum ipſi immediatum, ſicut hunc reducit in eumdem per alium Angelum priori ſimiliter immediatum, & ſic de cæteris intermedijs.

3. Omnes naturæ intellectuales continentur intra idem genus, vt dictum eſt in eadem quæſt. 1. ab art. 21. Ergo in omnibus naturis intellectualibus datur idem genus capacitatis ad influxum actiuum, & paſſiuum inter ſuperiorem, & inferiorem reſpectiuè. Cum igitur homo ſit præditus intellectu, ſicut Angeli, neceſſe eſt, vt ipſi inſit capacitas ad recipiendum influxum, & directionem infimi Angeli, qualis capacitas ineſt eidem Angelo infimo reſpectu Angeli immediatè ſibi ſuperioris, & ſic de cæteris vſque ad ſupremum. Exiſtenti autem conſimili capacitate influxus, oportet influxum, quoque ipſum eſſe conſimilem.

Art. 1. Reſpondetur. Mutua Angelorum inter ſe miniſteria conſiderari poſſunt pro duplici ſtatu nempe viæ, & termini, ſeu beatitudinis. Quod ad ſtatum beatitudinis attinet, quatuor præcipua documenta tradit D. Thomas quæſt. 106. ex Dionyſio circa influxum aliorum in alios Agelos. Primum eſt, quoſdam Angelos à quibuſdam Agelis illuminari, & intellectualiter perfici, ideſt in agnitionem veritatis perduci, eadem veritate manifeſtata ab Angelo, cui prius innoteſcit, alteri Angelo, cui nondum nota

erat. Quod traditur à Dionyſ. cap.7.cæleſt. Hierarch. poſt med. dicendo, quod *Theologi planè monſtrant cæleſtium ſubſtantiarū ornatus à ſupremis mentibus doceri deificas ſcientias*. Addit D.Thomas, illuminationem illam dupliciter peragi, nempe ex parte principij ſeu intellectus, & obiecti. Ex parte quidem principij quatenus virtus intellectiua inferioris Angeli confortat r ex conuerſione ſuperioris Angeli ad ipsū, ſicut virtus actiua imperfectioris corporis confortatur ex ſituali propinquitate perfectioris corporis. Ordinem nimirum cōuerſionis perinde valere in ſpiritualibus, atque valet ordo propinquitatis localis in corporalibus. Ex parte vero obiecti quatenus Angelus ſuperior veritatem magis vniuerſaliter cognitam iuxta dicta ſupra qu.13. diſtribuit in conceptus magis particulares accommodatos capacitati Angeli inferioris, eoſque partitim manifeſtat eidem Angelo inferiori, eo vtique manifeſtationis modo qui expoſitus eſt ſupra quæſt. 21. circa locutionem Agelorum Art. 2. Poſterior ille illuminationis modus eſt facilè peruius, nec indiget vlteriori aliqua explicatione vltra ea, quæ expoſita ſunt in prædicta quæſti. Primum vero illuminationis modum per confortationem, ſeu per conuerſionem intellectus ſuperioris ad inferiorem, ego omnino nō capio nec quidem tecto Caietano ibi, vt etiam conſiderato art. 4. q. 29. de veritate

ad

ad quem ipſe remittit lectorem. Videor tamen mihi ſatis capere, paritatem ex virtute perfectioris corporis localiter propinqua virtuti actiuę corporis imperfectioris, non eſſe ſatis accommodabilem coniunctioni, ſeu qualicumque conuerſioni intellectus ſuperioris ad inferiorem. Quia cum cauſæ corporales operentur tranſeunter, poſſunt ad effectum communem ſe inuicem iuuare, tametſi neutra afficiat alteram intrinſecè eidemque intrinſecè non inſit. At verò intellectus, cum ſit ex ſuo conceptu principium immanenter operans non poteſt iuuare ſimiliter intellectum alium ad perficiendam ſuam intellectionem, quin vel obiecto ſuperaddat cognoſcibilitatem, vel ipſi intellectui ingerat qualitatem, qua intrinſecè perficiatur. Relicto igitur iſto illuminationis modo per confortationem, retineatur alter modus illuminationis ex parte obiecti.

Art. 3. Secundum documentum eſt, vnum Angelum non poſſe mouere voluntatem alterius ex parte ipſius potentiæ, nempe immutando immediatè ipſam potentiam; poſſe tamen mouere ex parte obiecti per modum ſuadentis, manifeſtando aliquas rationes bonitatis ex parte rerum creatarum; quatenus ſunt quædam bona ordinata ad bonitatem Dei, ideoque inducentia ſpecialiter ad eius amorē. Quod traditur à Dionyſ. cap. 6. Eccl. Hie-

rar. vbi dicit, quod *in cæleſti Hierarchia purgatio eſt in ſubſtantijs & eſſentijs, tanquam ignotorum illuminatio in perfectiorem ſcientiam inducens*. Nempè motio voluntatis vnius Angeli per alium Angelum ordinatur ad purgationem eius, ideſt ad puriorem, atque à rebus creatis abſtractiorem tendentiam affectiuam in Deum. Quare perinde eſt, purgationem in Angelis fieri per illuminationem inductiuam perfectioris ſcientiæ modo nuper explicato, atque motionem voluntatis fieri in eiſdem per eamdem. Quod autem voluntas vnius Angeli non poſſit moueri per alium ex parte principij probat D. Thomas art. 2. Quia operatio voluntatis eſt inclinatio quædam volentis in volitum. Inclinationem autem huiuſmodi ſolus ille immutare poteſt directè, ac immediatè, qui confert virtutem volendi, qui eſt ſolus Deus: Sicut etiam naturalem inclinationem, ſeu appetitum innatum illud ſolum agens poteſt immutare, quod poteſt dare virtutem, in qua fundatur eadem inclinatio; ſeu appetitus. Quæ quidem eſt optima ratio. Verum ego ſi caperem præcedentem illam confortationem intellectus inferioris per conue. ſionem intellectus ſuperioris ad ipſum inquirerem, cur ſimiliter voluntas inferior confortari non poſſit per conuerſionem ſuperioris voluntatis ad ipſam; quandoquidem ſicut in intellectu ſuperiori datur amplior,

ac vniuerſalior capacitas ad verum, ita in voluntate ſuperiori datur maior, ac purior inclinatio ad bonum honeſtum.

Art. 4. Tertium, & quartum documentum eſt, Angelum inferiorem illuminari a ſuperiori; ſuperiorem verò illum illuminari ab inferiori minimè poſſe. Quæ tradit Dionyſius cap. 5. Eccl. Hier. & cap. 15. cęleſt. Hier. dicens hanc eſſe legem diuinitatis immobiliter firmatam, vt inferiora reducantur in Deum per ſuperiora: Et rurſus vnamquamque cæleſtem eſſentiam, intelligentiam ſibi à ſuperiori datam, inferiori communicare. Illuminatio inferioris per ſuperiorem patet ex dictis circa primum documentum. Quoad repugnantiam, vt ſuperior illuminetur per inferiorem, notandum eſt, quod iterum obſeruatum fuit ſuperius. Nempè non quamlibet cuiuslibet veritatis manifeſtationem dici illuminationem, ſed ſolũ eam, quæ ducit ad maiorem cognitionẽ Dei, voluntatiſque diuinę. Notitia namque rerum creatarum ſecundum ſe eſt obſcura, ideoque ab Auguſtino dici ſolet cognitio veſpertina. Quapropter licet Angelus inferior poſſit alloqui ſuperiorẽ, eique proinde communicare aliquam notitiam, quam nondum habebat, non tamẽ illuminare illum propriè poteſt. Quia per locutionem ſolos poteſt manifeſtare ſuos conceptus, & determinationes, atque affectus ſuæ voluntatis, quæ ſunt quid

pu-

pure creatum. De ſ pientia autem, & voluntate, alijſque perfectionibus diuinis plus nouit Angelus ſuperior quam inferior, ideoque inſtrui eatenus ab inferiori minimè poteſt ex natura rei, niſi fortè ex peculiari aliqua, & extraordinaria diſpoſitione prouidentiæ Dei.

Art, 5. Conferenti hæc cum ijs, quæ dicta ſunt in quæſtione præcedenti circa cuſtodiam hominum per Angelos, facile apparet, influxum ſuperiorum Angelorũ in inferiores pro ſtatu beatifico analogicè tantum conuenire cum influxu Angelorũ cuſtodum in homines. Quia vtrobique datur illuminatio intellectus, eaque mediante directio, & inclinatio voluntatis in Deum. Sed modus eſt diuerſus. Quia Angelus illuminat Angelum manifeſtando illi immediatè ſuum aliquem conceptum, in quo relucet aliqua veritas ſpecialiter perducens ad Deum. Cuius illuminationis non eſt capax homo pro ſtatu vitæ mortalis. Quia non poteſt intelligere quidquam niſi dependenter à ſenſu. Quapropter nec illuminari, nec moueri ad Deum poteſt, niſi dependenter ab idonea in eum ſcopum applicatione, ac propoſitione exteriorum ſenſibilium, & à cõgruenti ſimiliter diſpoſitione phantaſiæ. Similis eſt ratio conuenientiæ, & diſcrepantiæ inter Angelos inuicem, & cum hominibus comparatos pro ſtatu viæ ipſorum Angelorum. Dictum namque eſt ſu-

pra

pra quæſt. 27. inferiores Angelos qui peccauerunt inductos fuiſſe ad peccandum exemplo, & ſuaſione Luciferi, qui creditur eſſe ſupremus inter omnes Angelos, & ſimiliter Michaelem qui eſt ſuperior reliquis bonis Angelis, fuiſſe ducem reliquorum in victoria, quam ſimul cum ipſo reportarunt de dracone, & Angelis eius. Fuit igitur pro eo ſtatu cuſtodia, & impugnatio inferiorum Angelorum per ſuperiores aſſimilis cuſtodiæ, & impugnationi quibus dictum fuit, ſubeſſe homines. Sed diuerſitas fuit, & eſt in modo, qualis nuper expoſita eſt. Atque per hæc patet ſatis ad rationes dubitandi, & quo modo diſtinguenda ſint, quæ dicuntur in illis. Hæc porro omnia tenuiter, ac rudite dicta ſunt vtcunque ad laudem, & glorificationem bonorum Angelorum, qui Angeli ſimpliciter dici conſueuere, atque in deteſtationem, & infamiam malorum, quibus dæmonum nomen abſolutè prolatum adhæſit.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
Rerum contentarum in quæſtionibus de Angelis,

A

ABſtractiua cognitio Dei datur in Angelis q. 14. art.2.
Accidentia non participant neceſſario totam ſui generis perfectionem quæſt,11.ad 1 quæſt,17.ad.2.
Actiuitas Angelorum circa corpora eſt minima, 31.ar.1. & ad 1.
Actio. Actus
Actiones vitæ quas exercere poſſint Angeli in corpore aſſumpto, qu.7.ad 5.
Actuum ſibi ſubordinatorum diuerſitas non arguit diuerſitatem potentiæ. q 18. ad 4.art.1
Actus intelligendi diſtinguitur à ſubſtantia intelligente creata quæſt. 11. ar.4, quæſt.18.ad 5.
Actus primus diſpoſitiuus Angelorum fuit liber q 26. art.7.
Alterare immediatè corpora nequeunt Angeli quæſt.31.art.1

Amor

Amor ſui ſecundum ſe, non poteſt eſſe nimius quæſt.27.ad6

Angelorum exiſtentia, nomen, natura.

Angelorum exiſtentia probatur quæſt.1. ar.14 & ſeqq. Neceſſitas eorum ex natura rei ad finem vniuerſi ar.17.& ſeq. & ad directionem art 20.
Angeli ſunt intellectuales q.1.a 14.
Indefectibilitas eorum ex natura rei. quæſt. 3
Ex nulla materia etiam ſpirituali componuntur quæſt.2
Sunt perfectiores ſubſtantialiter homine, quæſt. 1.art.5.6
Spiritualitas eorum probatur. quæſt. 1. art.8. & ſeqq. Non eſt de fide ar.13. ſunt ſummè ſpirituales ſolùm quoad conceptum negatiuum. q.11.ad3

Angelorum multitudo.

Angeli ſunt plures ſecundum ſpeciem quæſt. 4. tota. Poſſunt multiplicari ſolo numero. quæſt. 5. art.6 & ſeqq. ſunt diſcernibiles naturaliter ibid.
Angelorum duratio. Vide duratio.
Angelorum potentia. Vide intellectus, voluntas.
Angelorum vbicatio. Vide vbicatio.
Anima rationalis in quo ſenſu dicatur eſſe æqualis Angelis q.1.ad7.
Animę rationalis immortalitas, eſt de fide quæſt.3.art.5.

Ap-

Index rerum de Angelis

Apparitiones Angelorum in corporibus non fuerunt imaginariȩ q.7.art.2. conueniebat eas eſſe frequentiores in lege veteri; cur; quæſt.7.ad 2.

Appetitiones in Angelis an dentur. q. 17. ad 4.

Angelus non poteſt appetere obiectum, quod nullo modo debet appetere, quæſt.27. ar.1

Appetitus innatus ſolus non ſufficit in ſentientibus, & intelligentibus, quæſt.17. art 3 & 4.

Aſſumptio corporum eſt triplex, q.7.ar.1. Angeli non aſſumunt corpora per vnionem phyſicam perfectiuam aſſumpti, ibid. Nec poſſunt aſſumere per vnionem hypoſtaticam ibid. Aſſumunt verò per vnionem aſſumentis cum aſſumpto in ordine ad locum, & in ratione motoris ac moti, cũ vi repræſentatiua aſſumentis, art.2.3.

Aſſumptio corpora aſſumpta cur plerumque ſint aerea, q.7.ar 4.

Auxilia Angelorum non ſunt ſolum illuſtrationes, ſed etiam inſpirationes, q. 26. ad 2.preſentis negantis.

B

Beatitudo.

Beatitudo debet eſſe ab aliqua intrinſeca dignitate beati, q. 13.ar.2. Eſt incompoſſibilis cum merito ſui, q.28. art.4.

Beatitudo Angelorum non potuit eſſe ex na-

natura rei in primo inſtanti, queſt. 22. ad 4. art. 1.
Beatitudo naturalis perfecta debuiſſet conferri Angelis dependenter à meritis, quæſt 23. ad 3. Imò ſupernaturalis ex natura rei collata eſt ex meritis ipſorum ibid. art. 1. & ſeq.
Beatitudinis naturalis nimius amor fuit primum peccatum Angelorum, q. 27. art. 6.

C

CHoros Angelorum eſſe nouem eſt de fide, quæſt. 24. art. 5.
Chori vnius vel etiam Hierarchiæ præeminentia ſupra aliam deſumitur, ex operatione ſuperiorum Angelorum circa inferiores ſubſtantias intellectuales ibid.
Ex hac partitione in choros non poteſt colligi diſtinctio ſpecifica in Angelis ibid. Ex omnibus choris aliqui Angeli peccarunt, q. 30. art. 2. Non tamen retinent damnati Angeli denominationem cherubinorum ſeu ſeraphinorum &c. art. 4.
Chriſtus D. propoſitus fuit adorandus Angelis, qu. 27. art. 8. Angeli habuerunt gratiam per fidem in Chriſtum, qu. 28. art. 6. Chriſtus D. non habuit Angelum cuſtodem, q. 32. ad 4.
Cælorum motus an probet exiſtentiam Angelorũ, q. 1. ad 6

Cogitatio. Cognitio.

Cogitationes non cognoſcit Angelus infallibiliter ſine conſenſu cogitantis ex natura rei, quæſt.24.art.14.

Cognitio abſtractiua eſt radix peccabilitatis, quæſt.25.art.6. Si tamen eſt perfectiſſima inter omnes poſſibiles conſtituit impotentiam moralem peccandi, quæſt. 26.art.4.

Cognitio omnis etiam ſpeculatiua monet voluntatem, q.17.ad 2.

Cognitio Angelorum obiectum & modus cognoſcendi.

Cognitio Angeli matutina,& Veſpertina, q.16. art. 1. Ab omni cognitione ſui nequit Angelus ceſſare ibid. ad 3.

Cognitio inter omnes poſſibiles perfectiſſima debebatur, ex natura rei Angelo in primo inſtanti, q.26. art.3.

Cognoſcit Angelus naturaliter intuitiuè omnia exiſtentia infra Deum non ſubiacentia dominio ſpeciali alterius, qu. 14. art.1.

Deum ſolum cognoſcit abſtractiuè naturaliter art.2.

Futura contingentia libera non cognoſcit infallibiliter, art.3. Plura vt plura non ſubordinata non poteſt cognoſcere ſimul, quæſt.16. ad 4.

Seipſum, æqualia, & inferiora comprehendit, quæſt.14.art.1.

Sin-

Singularia cognoſcit Angelus, & materialia, q.16. ad 4.
Supernaturalia nec quoad exiſtentiam, nec quoad poſſibilitaté cognoſcit certò diſtinctè, quæſt.14.ar 7.ſeqq.
Angelus in ſua eſſentia non poteſt clarè, ac diſtinctè cognoſcere omnes perfectiones obiectorum tam ſuperiorum quam inferiorum, q.16.ad 2.
Cognoſcit independenter à propinquitate obiecti, q.12 ad 1.
Modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi, quæſt.15.art 3.
Angelus poteſt cognoſcere inadæquatè ſuperiora per ſe, inferiora vero per accidens ob diuerſionem attentionis, q.15.ad 6.
Poteſt Deum quem cognouit mediatè, cognoſcere immediatè ſola ſpecie relicta concurrere, q. 16 art.3.& ſeqq.
Angelus nil cognoſcit componendo, aut diuidendo q.15 art.8
Abſentia, & præſentia ſibi omnia cognoſcit per ſpeciem impreſſam multo magis materialia, q.12. art. 8
Seipſum & accidentia ſibi vnita phyſicè cognoſcit, ſine ſpecie impreſſa, ibid.art.7.

Compoſitio.

Compoſitio in Angelis ex nulla materia etiam ſpirituali datur, q.2.art.1.& ſeq.

Comprehenſio,
Angelus ſeipſum æqualia, & inferiora comprehendit, q.14.art.1
Poteſt ceſſare à comprehenſione ſui, quæſt. 16. ad 3.
Cum comprehenſione ſui poteſt coniungere cognitionem alterius motiui, ib.
Cooperatio cauſarum ſecundarum cur requiratur, q.32. ad 2.
Corpus.
Corporeitas Angelo um refutatur, qu.1. art.1.& ſeq. Quomodo ſit explicanda in locutionibus PP. q.1 ad 4
Corporum aſſumptio. Vide aſſumptio.
Angelus nequit corpora immediatè alterare, gignere aut corrumpere, qu. 31. art. 1.
Creatio Angelorum nomine creationis Cælis comprehenditur. q.2 ad 2.
Cuſtodia Angelorum eſt de fide, & conuenit homini ex natura eius q.32.art.1. ſinguli Angeli ſingulis hominibus cur deputentur art.2. Singulis prouinciis & communitatibus ſuperadduntur, art.3. ex ordine altiori art.4. Cuſtodia hæc incipit a natiuitate, art.3. Idem Angelus an ſucceſſiuè cuſtodiat plures homines, art.4
Cuſtodia hęc fit tum interius, tum exterius, per determinationem fauorabilem motuum localium, art. 6. In ſtatu innocentię non fuit neceſſaria cuſtodia Angeli interior ibid. ad 7.

Deus

D

Deus quomodo cognoſcatur ab Angelo vide Cognitio.
Delectatio Angelorum beatorum eſt et iā ex rebus corporeis, q.29.ad 3
Differentia ſecundum ſe non ſemper ſuperaddit maiorem perfectionem generi, q. 4.ad 1.
Difficultas intenſionem actus non impedit, q.24.art.1.
Difficultatem in operando quam habuerint Angeli, q.22.ad 2.& q.23.ad.5.
Dilectio.
Diligit Angelus naturaliter Deum ſupra ſe, tum amore concupiſcentię, tum amicitiæ, q.20.art.5.& ſeq.
Subſtantiam ſuam, & exiſtentiam Dei ſecundum ſe diligit neceſſariò, q.20.ar.1.
Non diligit ſeipſum neceſſario dilectione maxima, & comprehenſiua ſui, ar.2.
Dilectio Angelorum mutua inter ſe, eſt neceſſaria quoad ſpeciem actus, ar.3.
Nequit tamen vnus amare alterum æqualiter, ac ſeipſum art.4
Diſcernibilitas naturalis in Angelis vnde deſumatur, qu.5.ar.6. In rebus materialibus ſumitur ex loco, & tépore, a.2
Diſcurſus formalis repugnat in Angelis, quæſt.15.ar.2.& 3.
Diſcurrere non eſt pręciſe rem cognoſcere in medio ibid.ad 4.
Diſtinctio rei differt ab indiuiduatione, quæſt.5.ar.7.

Di-

Diſtinctio ſine diſcernibilitate dari non poteſt, art.4
Dæmones nunc etiam ſuperbia peccant, q.27.ar.10. quomodo cruciantur igne corporeo, q.29.ar.5.ſeqq. Ex omnibus Hierarch. aliqui Angeli ſunt damnati, q.30.ar.2.

Duratio.

Duratio aliqua vagè eſt eſſentialis creaturæ, q.8.art.1. Diſtinguitur realiter à re durante art.2.
Duratio Angeli eſt media inter æternitatem, & tempus, art.3. Habet partes realiter diſtinctas, ar.3.4. Quomodo eſt indiuiſibilis ar.5.6.

E

EVidentiam in atteſtante non habuerunt Angeli, q.23.ad 4
Exiſtentia in loco. Vide locus.

F

FAlſitas repugnat per ſe loquendo intellectui Angelico q.15.ar.4.5.
Fidei actus in Angelis fuit liber, q.26.a.8
Finis vniuerſi exigit exiſtentiam Angelorum, q.1.ar.17.ſeq.
Futura contingentia non determinata in cauſis non cognoſcit infallibiliter Angelus, q.4.art.3.

G

GEnus & differentia dantur in Angelis, q.2.ad 5
Genus peculiare perfectionis quæ conſtituant, q.1.ar.31.

Genera, quò ſunt perfectiora, eò in plures ſpecies diuiduntur quæſt. 2. art. 23. quæſt. 4. ar. 1.

Gratia.

Gratia tam actualis, quã habitualis conceſſa omnibus Angelis in primo inſtanti ex natura rei, q. 22. art. 4. ſeqq. Omnia dona gratię, tam actualis, quam habitualis fuerunt inæqualia in Angelis pro inæqualitate naturæ, q. 24. a. 1. ſeq.

Gloria Angelorum. vide Beatitudo.

H

HAlitus ſupernaturales infuſi ſunt Angelis ex natura rei, in primo inſtanti q. 22. art. 4. ſeq.

Hierarchia. Vide Chorus.

Homo non ſufficit ad perfectam directionem irrationalium, q. 1. ar. 20.

I

IGnis dæmones crucians eſt corporeus, q. 29. ar. 2. Non eleuatur per potentiã obedientialẽ ad cruciandum dæmones ar. 3. cruciantur illo dæmones per alligationem ad illum, ar. 5. & ſeqq.

Ignorantia quę fuerit in Angelis, quæſt. 26. ad 5. partis negantis Illuminatio quid ſit, q. 21. ad 2. quomodo Angelus ſuperior illuminet inferiorem, q. 33. ar. 1. 2. ſolus ſuperior poteſt illuminare inferiorem, ar. 4

Imago Dei cur homini potius quam Angelo tribuatur, q. 1. ad. 1

Immutabilitas Angelorũ moralis in pro-

po-

poſito probatur, q.28.a.7.8. imò etiam phyſicè eſſe immutabiles, ar.9.
Incarnatio propoſita fuit Angelis in primo inſtanti, q.27 ar.8.9
Incorruptibilitas conuenit Angelis ex natura rei, q.3,a.1.ſeq.
Indiuiduatio quo ſenſu ſumitur ex materia, quæſt.5.ad 1
Indiuidua multiplicari ob conſeruationē ſpecierum, non eſt verum vniuerſaliter, q.6.ad 5.
Inſtantia Angelorum quomodo multiplicentur, qu.26. ad.2. partis negantis. Angeli boni abſoluerunt viam vno inſtanti, mali vero duobus inſtantibus, q. 28.art.2.
Inſtrumentum nihil poteſt agere immediatè, non coagente immediatè principali, q.18.ar.5
Intellectus Intellectio.
Intellectiuum connectitur ex ſuo conceptu cum volitiuo, q.17.ar.1.ſeqq,
Intellectiuum præeminet omnibus generibus, q.1.art.2 2
Intellectualis ſubſtantiæ perfectæ exiſtētia probatur, q.1.tota.
Intellectio eſt operatio prorſus immaterialis, q.2.ar.2. debet effici immediatè à ſubſtantia intelligente, q.18.ar.6. Intellectus, & intellectum quomodo ſit idem in immaterialibus. q.12.ad 4.
Intellectus non poteſt differre ſpecie ab alio, ob ſolam vim reflectendi ſe ſupra ſe q.4.a.3

Intellectus non diſtinguitur realiter à volútate, q. 18. ar. 2. & ſeqq. ſpecialiter a. 7

Intellectus creatus ſuperans virtute intelligendi intelligibilitatem totius ordinis naturalis repugnat, q. 4. ar. 3.

Intellectus Angelicus quæ obiecta naturaliter, & quomodo intelligat. Vide co nitio.

Iudicatiua cognitio. Vide compoſitio.

L

Libertus datur in Angelis, q. 19. ar. 1

Libertas quomodo conſiſtat in indiuiſibili ib. ad 3.

Limitatio eſt principium diſtinctionis, q. 5. ar. 7.

Locus.

Eſſe in loco non conuenit propriè Deo & Angelo, q. 9. ar. 2. Angelus eſt dupliciter in loco, phyſicè per operationem metaphyſicè per vbicationem ſpiritualem, art. 4. Angelus poteſt eſſe phyſicè in loco minori pro libito, imò in nullo loco, aut in extremis ſpatij, quin ſit in medio ar. 5. Non poſſunt eſſe phyſicè duo Angeli in eodem loco, ibid. Oppoſita omnia conueniunt modo exiſtendi in loco metaphycè, ar. 6. & ſeqq Vide Vbicatio.

Locutio.

Quomodo loquantur Angeli cum Deo, vel homine, q. 21. ar. 1.

Loquuntur inter ſe Angeli ſola voluntate reuelandi ſuos conceptus, ibid. ar. 3. & ſeqq. Hęc voluntas reuelandi eſt ſolum

con-

conditio, ar.5.6. vel obiectum partiale ad 8.
Locutio Angeli inferioris cum ſuperiori poteſt eſſe manifeſtatio ignoti, non tamen illuminatio, ad 2.
Poſſunt loqui ſecum ſignis, & actionibus externis ſignificantibus naturaliter, vel ex placito, art.8
Lucifer fuit auctor peccandi aliis Angelis, q.27.ad 4. fuit ſupremus inter omnes angelos ad 5.

M

MAlum purum implicat, q.30.ad 3.
Materia quomodo ſit principium diſtinctionis, q.5.ad 5.
Materia etiam expers quantitatis non datur in angelis, q.2.ar.1.2
Materialia an cognoſcat angelus. Vide cognitio.
Mentiri poſſunt angeli. q.21.ad 4.

Meritum.

Angelis data eſt gloria ex meritis ex natura rei, q.23.ar.2. quibus actibus eam meruerint art.3. quomodo meruerint ſubſtantiam gloriæ ar.4
Meritum angelorum fuit ſummo conatu neceſſariò exhibitum, q.24.ar.6.
Cum merito non poteſt componi beatitudo, q.28.a.4
Miracula vera nequeunt facere angeli, q.31.ad 6.

Motus.

Motus quomodo ſit actus imperfecti, qu. 10. ad 2. partis negantis.
Motus angeli metaphyſicus & ſpirititualis eſt diſcretus phyſicus autem poteſt eſſe continuus ad 2. partis affirmantis.
Quomodo angelus poſſit tranſire de loco ad locum ſine medio ibid. ar. 1
Motus localis eſt nobiliſſimus inter actiones agentis corporei relatè ad ſubiectū q. 31. ar. 2. Angeli poſſunt corpora mouere localiter ibid. & ſeqq. ſuperior angelus poteſt mouere localiter inferiorem, ar. 3. quos motus in corporibus cauſare poſſint angeli ar. 4. ſeqq.

N

AD naturalium proportionem data eſt angelis omnis gratia. V. gratia.
Ex naturalibus non poteſt euidēter cognoſci poſſibilitas ſupernaturalium, q. 14. ar. 9. 10
Numerus angelorum. Vide angelorum multitudo.
Numerus non ſemper eſt ſpecies quantitatis, q. 8. ad 2. partis affirmantis.

O

Obiectum.

OBiecti concurſus requiritur ad omnem intellectionem creatā, q. 12. a. 1
Obiectū cognitionis angelicæ, q. 14. tota.
Obiecti propinquitas non ſufficit ad cognitionem angelicam, q. 12. ar. 8
Angelus cognoſcit indepēdēter à propinquitate obiecti ad 5

Obiectum immediatum potentiæ cognoſcitiuæ, non poteſt eam mouere ad falſum q.15.art.4
Obiecta materialia perficiunt angelum per ſpeciem ſui, q.14.ad 4
Cognoſcuntur per accidens ab angelo, ib.
Ordo angelorum. Vide Chorus Inter dęmones datur aliquis ordo, ſecundũ quid q.30.a 1. fundatur in inæqualitate naturarum art.3. finis huius ordinis ad 2.

P

Peccabilitas, Peccatum.

PEccabilitas proxima conuenit angelis ex natura rei, q.25.ar.2. & omni ſubſtantiæ creatæ ac creabili ar.4.& ſeqq. Peccabilitas phyſica tollitur per ſolam viſionem Dei immediatam, ar.6. Cognitio abſtractiua inter omnes poſſibiles perfectiſſima, ſolam facit impotẽtiam moralem peccandi, ar.4.
An potuerint angeli peccare venialiter ad 8.
Peccatum deſtruit id, quod intendit, q.27. ad 5
Peccaſſe angelos in primo inſtanti eſt erroneum, qu.26.ar.1. In primo inſtanti habuerunt impotentiam moralem peccandi ex natura rei ar.2. ſeqq. Non autem impotentiam phyſicam ar.7.& ſeq
Peccatum primi inſtantis cur tribueretur Deo, q.26.ad 3.
Peccati angelorum obiectum non potuit eſſe aliquid vtile, q.27.ar.1. Primum

pec-

peccatum eorum fuit ſuperbiæ, artic. 1. 2. Non poterant peccare appetendo aliquid impoſſibiles etiam quoad modum art. 3. Peccatum eorum non fuit appetitus diuinæ æqualitatis, nec vnionis hypoſtaticæ, nec beatitudinis ſupernaturalis per ſuas præciſè vires, art. 4 ſed nimius amor beatitudinis naturalis, art. 6

Perfectio vt talis non repugnat alteri perfectioni, qu. 13. ad 3

Perfectio naturæ Angelicæ fuit ex natura rei menſura donorum ſupernaturalium quæſt. 24. art. 1. Perfectio angelorum, Vide Angelus.

Phantaſia eſt cauſa compoſitionis, aut diuiſionis in intellectu, q. 15. ar. 1

Plura per modum plurium an cognoſcat angelus. Vide cognitio angeli. In pœnam non ſunt priuati bonis naturæ determinatè exigitis, ſed tantum donis omnibus ſupernaturalibus, q. 29 ar. 1

Potentię actiuę ſubſtantiæ non identificantur cum illa adæquatè, qu. 18. art. 1. Potentiæ ſunt per ſeipſas immediatè relatiuæ tranſcendentaliter art. 4. Potentiæ intellectiuæ & volitiuæ non diſtinguuntur à ſubſtantia ab ar. 2

Pręſentia angeli ad locum eſt duplex, qu. 9. art. 3

Princeps dæmonum, q. 30. ar. 2

Producere immediatè quidquam purè phyſicum nequit angelus, quæſt. 31. a. 1

Ne-

Neque vnus angelus alterum ibidem...

R

Reprobatio paſſiua eſt incompoſſibilis cum ſtatu demerendi, q.38.a.4
Reuelatio qua Deus reuelet alicui ſe nolle concurrere cum illo ad vllum actum voluntatis, repugnat, q.17. ad 2. Deus poteſt reuelare angelo conceptus alterius angeli abſque conſenſu eius, vel per ſpeciem connaturalem, vel per ſupernaturalem, q.21 ad 6

S

Scientia de ſingularibus immaterialibus datur per ſe in angelo, q.14 ad 5 de materialibus per accidens ad 4.
Secreta cordis. Vide Cognitio.
Senſatio externa an immediatè inducat aliquam appetitionem, q.17 ad 3
Spatium cui ſimul poteſt adeſſe angelus eſt finitum, qu.10.ad 4. partis negantis.

Species impreſſa.

Specie impreſſa indiget angelus, qu.12. ar.2. non tamen ad cognoſcendum ſe vel accidentia ſibi vnita phyſicè art.7. ſed reſpectu aliorum omnium obiectorum art.8. ſpecies Angelicæ ſunt infuſæ in creatione à Deo art.9. Non ſunt omnes ſupernaturales ad 5
Species impreſſę angelorum perfectiorũ ſunt vniuerſaliores, qu.13.a.1. Nullus angelus intelligit per vnicam ſpeciem. ar.4. Angeli ſuperiores habent paucio-
res

res ſpecies, art. 3. Species impreſſæ angelorum differunt inter ſe mutuo ſecundum perfectionem diuerſam, ad 3.

Spiritualis ſubſtantia ex ſuo conceptu eſt intellectualis q 11. ar. 1. & ſeq. ſi nõ eſſet intellectualis non poſſet quidquam operari, art. 3

Subſtantię creatæ conceptus non eſt omninò abſolutus, q. 18. ad 3.

Subſtantia reſpectu quorum effectuum ſit immediatè actiua, ibid.

Supernaturale non ſolum eſt ſuper omnẽ actiuitatem naturæ, ſed etiam ſupra exigentiam, q. 12. ad 5

Supernaturalium cognitio, V. Cognitio.

Supremus angelus ex natura rei comprehendit ſe, & omnia creata pertinentiá ad complementum vniuerſi, q. 4. ar, 2. nec plus intelligere poteſt ar. 3.

T

Tentationis dæmonis cauſa, q. 32. a. 5. Deſignãtur à Lucifero dęmones ad tentandos homines iuxta qualitatem negotiorum ibid. Tentationes peraguntur, tum interius, tum exterius ex determinatione noxia motuum localium, art, 6. Deus non eſt auctor tentationis ad 6.

Tranſire poſſe angelum ad extremum ab extremo ſine medio, in quo ſenſu verum ſit, qu. 10. ar. 1

Trinitas non poteſt naturaliter cognoſci ab angelo, q. 14. ar. 11

Vbi.

Index rerum de Angelis

V

VBicatio aliqua vagè eſt eſſentialis creaturæ, q.3.ar.1. eſt realiter diſtincta à re vbicata, a.2. Vbicatio angeli ſpiritualis independens à corpore, & operatione, q.9. ar.4. Eſt definitiua, qu. 10. ad 4. partis negantis. vide locus

Veritas. Vide falſitas.

Via angelorum fuit breuiſſima, q.28.ar.1. Via bonorum angelorum durauit per vnum inſtans; malorum vero per duo inſtantia, ar.1

Virtutes omnes fuere infuſæ omnibus angelis, q.22.a.2. idque in primo inſtanti ex natura rei art.4 & ſeqq.

Sola viſio Dei tollit peccabilitatem phyſicam, q.25.ar.6

Viuentium operationes ſunt in duplici differentia, q.7.ad 5

Vnio angeli cum corpore perfectiua vtriuslibet repugnat q.7.ar. 1.

Vniuerſum debet continere perfectiones omnis generis, q.1.a.16. finis vniuerſi nequit ſubſiſtere ſine exiſtentia angelorum, ar.17. in vniuerſo nihil exiſtit inutile omnibus, & ſingulis partibus vniuerſi q.11.ar.3.

Volũtatis angelorũ exiſtentia probatur, ex ſcriptura, & ratione, q.17.ar.1.& ſeqq.

Voluntas non quoad omnia ita comparatur ad media, & finem, ſicut intellectus ad concluſiones, & principia, q.25.ar.2.

Volũtas vnius angeli quomodo moueatur ab altero, q.33.a.3

Erra-

Errata			Corrige
pag. 22.	v. 14.	imperfectæ	perfectò
45.	5.	q. 1.	q. 11,
47.	13.	recepetat	receſſerat.
ibid.	18.	vtilitatem	vilitatem (niſi in
52.	6.	differentia in	differẽtia duratio.
87.	8.	multitudinem	multitudine
ibid.	20.	poſitum	poſſum
104.	4.	cõuenire poſſint	cõuenire nõ poſſint
112.	3.	ſunt	quæ ſunt
120.	3.	negatiuæ	vegetatiuæ
130.	5.	vnione	alienæ vnione
161.	21.	iiſdemq vocibus	idẽ iiſdẽq vocibus
171.	32.	aperti	aſſerti
207.	25.	non ſufficientia	non ſun ſufficiẽtia
211.	4.	hic ſermo	hic ſit ſermo
227.	12,	cognitio	cognito
230	1.	quoduis	quod quis
236.	1.	comparatur	comparatiuæ
240.	14.	ſupernaturaliter	naturaliter
243.	16.	comparentium	non comparentiũ
254.	5.	breuiter	benè
275.	17.	ſolet	R. ſolet
329.	5.	eſt	&
343.	2.	fines	vires
357.	24	ab	abſque
378.	2.	non probet.	*dele* non
388.	9.	præcedunt	procedunt
454.	3.	iiſdem	iidem
463.	7.	q. 13.	q. 3.
ibid.	20.	q. 15.	q. illa 15. de gr.
485.	23	quia	quin
491.	20	proprium.	propria
515.	9.	duratione	à duratione
525.	10.	eſt	& beſtia
540.	4.	huiuſmodi	huius mundi
542.	17.	re ipſa	ad finem re ipſa
551.	6.	perfectionem	imperfectionem.

FINIS.

5-3-1

Digitized by Google

Errata			Corrige
Pag. 22.	v. 14.	imperfectæ	perfectò
45.	5.	q. 1.	q. 11,
47.	13.	receperat	receſſerat.
ibid.	18.	vtilitatem	vilitatem (nis in
52.	6.	differentia in	differẽtia duratio.
89.	8.	multitudinem	multitudine
ibid.	20.	poſitum	poſſum
104.	4.	cõuenire poſſint	cõuenire nõ poſſint
112.	3.	ſunt	quæ ſunt
120.	3.	negatiuæ	vegetatiuæ
130.	5.	vnione	alienæ vnione
161.	21.	iiſdemq vocibus	idẽ iiſdẽq vocibus
171.	32.	aperti	afferti
207.	25.	non ſufficientia	non ſun ſufficiẽtia
211.	4.	hic ſermo	hic ſit ſermo
227.	12.	cognitio	cognito
230	1.	quoduis	quod quis
236.	1.	comparatur.	comparatiuæ
240.	14.	ſupernaturaliter	naturaliter
243.	16.	comparentium	non comparentiũ
254.	5.	breuiter	benè.
275.	17.	ſolet	R. ſolet
329.	5.	eſt	&
343.	2.	fines	vires
357.	24	ab	abſque
378.	2.	non probet.	*dele* non
388.	9.	præcedunt	procedunt
454.	3.	iiſdem	iidem
463.	7.	q. 13.	q. 3.
ibid.	20.	q. 15.	q. illa 15. de gr.
485.	23	quia	quin
491.	20	proprium.	propria
515.	9.	duratione	à duratione
525.	10.	eſt	& beſtia
540.	4.	huiuſmodi	huius mundi
542.	17.	re ipſa	ad finem re ipſa
551.	6.	perfectionem	imperfectionem.

FINIS.

5-3-1

Digitized by Google